Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
L
E
11
NAPOLI

TRIAS
ATLANTIS MARIANI
TERTIA.

Continens VII. VIII. IX. Centuriam

HISTORIARVM.

De origine Imaginum Miraculoſarum.

MARIÆ
SANCTI SPIRITVS
SPONSÆ

Ab Auctore

DICATA.

Tibi dixit cor meum, exquiſivit te facies mea,

(O MARIA.)

Faciem tuam, Domina, requiram. Pſam. 83.

NAPOLI

PROGRAMMA.

Alma Redemptoris Mater, quæ pervia cæli
Porta manes, & ſtella maris, ſuccurre cadenti;
Surgere qui curat, populo: tu, quæ genuiſti,
Naturâ mirante, tuum Sanctum Genitorem;
Virgo prius ac poſterius; Gabrielis ab ore
Sumens illud Ave: peccatorum miſerere.

ANAGRAMMA.

Ne metuas, quamvis curſu pernice procellæ
Nutat & irrugit ſpumoſâ navis in undâ,
Téque tuámque ratem placato ſidere ducam;
Clarum lucis iter curres, cita prora volabit,
Errores pelagi retegam, miſerebor egeni,
Euge, meos portus intra, ſum ripa ſalutis.

Auctore
R. P. Everardo Hochio Soc. IESU.

CENTURIA VII.

DCI.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE PACE.
Anicij in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Pura tu cara es, amatum agni Dei monile.*

1. Pax confecta.
2. Sigillum B. V.
3. Dilectio inimicorum.

MIrum quantum deſideret Deipara pacem inter Principes Chriſtianos, refert *S. Antoninus p. 2. hiſt. tit. c. 9. v. 27.* Anicij, ubi anno 1182. pacis faciendæ gratiâ plurimi Principes convenerant, apparuiſſe Deiparam fabro cuidam lignario, in ſilva, & ei obtuliſſe ſigillum Iconis ſuæ cum filio ſuo, hac inſcriptione appoſitâ: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.* Hoc ſigillum ferri ad Epiſcopum Anicienſem juſſiſſe, & imperâſſe, ut omnes, qui tenere pacem vellent, ejusmodi ſignum ſibi conficerent, & in ſignum pacis portarent. Hinc pacem ortam. Memorant quoque, tantæ efficaciæ fuiſſe ejusmodi Imagines; ut, ſi quis inimico occurriſſet; nil inimicum cogitare poſſet. Imaginem porrò primam à Deipara miſſam Epiſcopo, dubium non eſt, fuiſſe publico cultui expoſitam, præſertim poſt tot miracula.

Pax.

DCII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE CARQUERA.
Carqueræ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Gemmà una i pura mali; veſtita candore.*

1. Princeps infelix.
2. Templum ſub terra.
Æger Princeps aræ impoſitus.

HÆc Deiparæ Statua unà cum templo reperta eſt, infra terram, ut refert *Vaſconcellus.* Nam cùm Rex Alfonſus Infans in lucem prodiret, diſtortis fædè cruribus, nec quidquam bellicorum ſpirituum in eo appareret, ob hunc corporis turpem defectum, ejus Præfectus *Moniſius*, vir bonus, Dei-

Deiparæ pro Rege ſuo orationes fudit & lacrymas: illa per ſomnum ei apparens, juſſit terram fodere, dum templũ, & in templo Statuã reperiret, hiſque aris priùs decenter mundatis imponeret miſerum Regem. Regi quamprimùm pedum naturalis uſus conceſſus, & omnis deformitas ablata. Hic eſt ille Rex, qui unâ victoriâ mirabile illud annuũ tributum, quod Hiſpani pendebant Mauris, ſuſtulit, quod *Mauregatus* Rex olim bello à Mauris coactus conceſſerat, emptâ tam grandi pretio turpi pace. Ducentas Virgines, centum nobiles; totidem plebeios annuatim tradere tributi loco tenebantur Mauris. Ab hoc tributo liberavit Alfonſus ſuum regnum, ſeptuaginta millibus hoſtium uno prælio cæſis. Ita auctor *l.2.c.11.* ſi Lector miraris impietatẽ tributi, ego Hiſpanam nationem (quod Auctor Hiſpanus non facit) in tantum excuſo; ut credam, optimâ intentione eos hoc feciſſe, & converſionem Saracenorum per hoc intendiſſe. Nuſpiam lego, has Virgines, præſertim nobiles, datas Mauris ad turpes & illicitos uſus. Inter pacis fædera hæc conditio erat, quæ nunquam cum tanta & continua ignominia conjuncta fuit. Itaque ſi non certum, certè credibile eſt, centum è nobilitate, & totidem è plebe juvenes petiiſſe ſponſas Chriſtianas, ſponſione datâ, nil ſe Chriſtianis Legibus contrarium poſtulaturos. Hoc ſi eſt, ut fuiſſe credo, minore dedecore nationis Hiſpanæ minoréque fidei Chriſtianæ damno hæc peracta ſunt; meritò tamen ab Alfonſo reſciſſa.

Rex. Tributum.

DCIII.

Imago B. V. Miraculoſa. WOLODIMERIANA.

Moſcuæ in Moſcovia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Candore ſummi agni parata luem evita.*

1. Error Moſcovitarum.
2. Imago B. V. honoratur.
3. Gratitudo notabilis.

QUòd miraculoſam Imaginem ex Moſcovia afferam, non mirare, Lector; fecit etiam Deipara miracula inter Schiſmaticos & Hæreticos: ſiquidem hæreſin Iconoclaſtarum excipias, ubi ſi miracula fiunt, plerumque in ipſorum damna fiunt, quanquam & alterius generis nonnulla habemus cum Turcis & Saracenis miracula fieri ad eorum utilitatem, cùm Deiparæ ſupplices ſunt, novum non eſt ijs, qui de terra ſancta legerunt, quæ probati Auctores ſcribunt.

De Moſcis certum eſt, ſanctiſſimæ Deiparæ, & ejus imaginibus eos eſſe addictiſſimos, haberéque in ſumma veneratione; vidi ipſe apud Moſcoviæ Legatos duas: Salvatoris unam; alteram Deiparæ, venuſtiſſimas & unionibus ornatas, quibus vitam in periculis viarum

Moſcovia.

rum

rum conſervatam adſcribebant, non ſine pientiſſimi ſensûs ſignificatione. Cæterùm ut Lectori ſcrupulum eximam, ſi quando audivit, Statuas Deiparæ & Sanctorum à Moſcis confractas; ſi quam forte urbē victoriosâ manu apud Chriſtianos obtinuere: ſciat, inter miſeranda hæreſeos eſſe, quòd, ubi ſemel à vera fide & capite Ecclesiæ Catholicæ Romanæ diſceditur, omnis prorſus intelligendæ Scripturæ peritia, ſi quæ forte antè fuit, ſimul perdatur.

Interpres

Ita ſimplices Moſci litteræ adhærentes, ubi prohibetur: Non facies tibi ſculptile. Exiſtimant, Statuas ſculptas ſolùm prohiberi; non verò Imagines pictas: id eſt, in Imagine picta Judæos non potuiſſe committere Idololatriam; ſed tantùm in Statuis. Eam ob prohibitionem judicant, Sanctis injuriam non fieri, ſi Statuæ eorum aboleantur: contentos eſſe, ſi in imaginibus pictis honorentur; ita ipſe ego vidi ſacerdotem Moſcum, quem per templa Auguſtanæ urbis duxi, picturis ſacris exhibuiſſe honorem, non item ſculpturis. Hæc Moſcorum ſimplicitas eſt digna, quæ orationibus verorum Fidelium juvetur: ut, quia tam propè in hoc puncto abſunt à vera fide, opē Deiparæ, quam impenſiſſimis modis colunt, perfectè convertantur. Circa annum (ut ad miraculum veniam) nongenteſimum nonageſimum tertium Tartari Moſcoviam exercitu inundàrunt ſub Duce eorum *Themiraſſack*. Moſci, cùm propter inexpectatam irruptionem omnia deficerent, neque tā citò etiā exiguus exercitus colligi poſſet, ad Deiparam confugerunt. Erat in *Wolodimeria* Imago Deiparæ, jam dudum apud ipſos miraculis clariſſimā, qualis eſt apud Polonos *Czſtocoviensis*, miſſi à magno Duce Legati cum idoneo comitatu, qui hanc quamprimùm quàm decentiſſimè Moſcuam afferent, ubi ſedes Ducum eſt. Factum.

Hæreſis.

Princeps extra urbem obviam Imagini ſacræ proceſſit: Principem ſecuta eſt penè tota urbs, & in ampliſſimo campo expectavit adventum ejus, à quā totius Ducatûs ſalus expectanda erat. Eam, cùm in conſpectum venit, honoribus Eccleſiæ conſuetis reverentiâ ſummâ cultam, intulerunt in urbem, & continuis precibus contra Tartaro invocàrunt: obtinuerúntque, ne ultra *Rezam* progrederentur, quantumvis toti Moſcoviæ metuendi, & neminem metuere coacti in actionem gratiarum Extra urbem huic S. Imagini templum novum à fundamentis extructum eſt eo loco, ubi dux eam cum populo adventantem ſalutavit. Hæc Sigiſmundus, Liber Baro in Horberſtein in Commentar. rerum Moſcoviticarum.

Cultus.

DCIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
BROUCHBURGANA:
Brouchburgæ in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Evita maculæ portam; munda in Regina.*

1. Hæretica & militaris licentia.
2. Situm Statua mutat.
3. Pœna furum.

STatuam hanc Deiparæ jam dudum miraculoſam adhuc clariorem fecit miraculum, quod anno 1583. contigit, & populi pietatem accursúmque mirè auxit. In octobri, anno prædicto, capta urbs eſt, & direptioni militum à ducibus conceſſa. Fœda ſunt, quæ militaris & hæretica libertas commiſit; in pueros etiam & mulieres ſævitum eſt, ijs exceptis, quos propter venuſtiorem formam ad turpiores uſus ſervabant: templa ita habebantur; ut neſcires, quid ſacrum, quid profanum eſſet. Hæc à Chriſtianis fiebant. Cùm Deiparæ unum alterúmve procaciorem ſtatuit ſacrum facere, &, quid poſſit, cæteros docere; ſi fortè reſipiſcerent.

Templum ingreſſi milites circùmſpiciebant, quid quis tolleret: cùm uni eorum gemma placuit è collo S. Statuæ dependens: hanc ubi tetigit, S. Statua ſurgens ſe avertit, & tergum militi præbuit, mox in terram cadenti & in conſpectu cæterorum repentè mortuo: nil motus adſtans cordatior miles idem tentavit: ſed & eandem pœnā à Deipara tulit. Sufficere hi duo ad cæterorum eruditionem qui ne & ipſi iratam Virginē experirentur, munera attulerunt, Virginē placaturi. Froſſardus l. 2. c. 145. Impietas.

DCV.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE GRANATO.
Llerenæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Regina tota pura immunis maculâ Adæ.*

1. Felix ſagitta & pia.
2. B. V. gratias agit ſacerdoti.
3. Templum novum.

IN obſidione civitatis Llerenæ tanta incolarum Maurorum fuit fortitudo; ut obſidentes Hiſpani deſperarent. Sacerdos, qui militibus Chriſtianis animos faciebat, ab ipſa Deipara animoſior factus eſt. Apparuit hæc ei per ſomnum Angelis comitata, & cæleſti Virginum Gynæceo: & ſacerdoti quidem gratias ante omnia egit, quòd morientibus pro fide militibus aſſiſteret, aliáque faceret in cælis præmianda: tum poſt victoriam diſparuit: ſacerdos publici intereſſe ratus, revelationem

hanc

hanc non prætęrire ſilentio, per omnem exercitum paſſim omnibus recenſuit. Hinc reſumptis animis aſſultus urbi datus ita feliciter ceſſit; ut miles in nomine *Virginis de Malogranato* ſagittam torquens, initio ſtatim pugnæ, ipsũ Maurorũ Ducem interfecerit: quo cadente, ciciderunt quoque animi omnium, & urbs capta eſt. Virgini ante omnia templum ædificatum eſt, in quo Deiparæ Statua collocata eſt eâ formâ, quâ Sacerdos à ſe viſam affirmavit, cum titulo: *Domina noſtra de Granato.* Salazarius in Triumphis Catholicis, triumpho quinquageſimo.

DCVI.

Imago B. V. Miraculoſa.
MEDUNTANA.
Medunti in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Adæ impuritatem ac luem una ignorans.*

1. Proles miraculo data.
2. Veſtis Statuæ data.
3. Concurſus.

MEduntenſe Cænobium, quod PP. Cœleſtini Medunti incolunt, Statuam Deiparę habet jam dudum miraculis claram, cujus originem non legi. Cæterùm augmentum pietas accolarum ex miraculo cæpit: quod circa annum 1537. contigit. Prolem habere non poterat fæmina honeſta: hæc ubi ad Meduntenſe templum venit, & Deiparæ ſupplex facta eſt, voti quoque compos facta eſt, nec ingrata ſuæ Soſpitatrici fuit: veſtem pretioſam attulit, Statuæq; accommodatam reliquit, teſtata beneficium, quod petierat à ſe obtentum. Hinc fama in plures abijt & populos accivit ſimilia poſtulaturos, quæ quia obtinuerunt, iterũ primi honores Deiparæ ſunt exhibiti. Ita Chron. Ordinis.

DCVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
BORIANA.
Boriæ in Hiſpania.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Ignoras apertè vitia, damnum maculæ.*

1. Roſarium torquet dæmones.
2. Exorciſta torquetur à dæmone.
3. Dæmonis fuga.

DEiparæ Imago, quæ in loco Arragoniæ, qui *Borias Plancas* dicitur, in templo RR. PP. Dominicanorum colitur, noménque *de Roſario* habet, cultum majorem & famam accepit, quâ nitor: quia ejus primam originem ignoro. Concionator *F. Ioannes Amar* cùm conciones per Quadrageſimam eo loci circa annum 1538. haberet, Energumena puella ei oblata eſt.

Pater

Pater puellæ Roſarium appendit ad collum, vociferante dæmone, & puellam miris modis torquente. Ne autem illa nimis torqueretur, recepto iterum Roſario puellam dimiſit, & domum ſe contulit, noctu à dæmonibus mirè tortus, Deiparæ ſe identidem commendavit: nec Roſarium dimiſit, quantumvis dæmone id unum ad laborante, ut Roſarium ei eriperet. Alterâ die cùm ad templum rediret, obvia iterum ei puella fit: & ille majore ſpiritu impoſito ei ad collum Roſario dæmones exorcizat, & feliciter, inſpectante populo, pellit. Auxit mirè res hæc concurſum fiduciámque populi ad hanc S. Deiparæ Imaginem.

Puella.

Rem hanc fuſiùs deſcribit Gon. Anno 1538.

***

DCVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.

RANSPERGANA.

Ranſpergæ in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Macula reatum odiſti: agna enim pura.*

1. Pictura utilitas.

2. Utilis renovatio.

3. B. V. liberalitas.

Nō plùs unâ leucâ diſtat *Ranſperga* ab urbe Thenenſi: perantiqua ibi Deiparæ Statua eſt, cujus originem non legi, olim ſanè miraculoſa: nam & pictura id è muro docet, obſeſſos hìc à ſpiritibus malignis liberatos, & mortuos reſuſcitatos loquuntur picturæ. Languentem pietatem iterum ſuſcitavit, qui anno 1618. picturas evanidas renovavit, fecitque, ut ſimul etiã antiqua pietas rediret, & Deip. favor. Nec plura Wickmanus, qui nonnunquam etiã longâ oratione digna nimis breviter perſtringit.

DCIX.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE VALLE VIRIDI.

In Monte Ætna in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Pura, attamen mera divina Imago luces.*

1. Ex milite non bono latro non malus.

2. Gruum corona.

3. Reperta Imago.

Vir militaris *Dionyſius*, deſertâ militiâ, ad latrocinia ſe convertit, ſpeluncam in Monte Ætna nactus, quam incolebat non procul à via publica, è qua raptos atque in ſpeluncam deductos ſpoliabat primùm, tum etiam occidebat, necquidquam erectis ad Superos manibus. Tranſijt hàc negotiorũ cauſâ *Ægidius* quidam Catanenſis, non ignarus periculi, de quo identidem amici monebant,

non

Secundum. non alijs arm s, quàm Deiparæ patrocinio ſecurus. Et ſanè non prætertire eum permiſit Dionyſius: ſiquidem è ſpecu ſua erumpens Ægidium illuc pertraxit, & ad laniēnam adaptavit, ſed invocata ab Ægidio Deipara in tempore adfuit; non ſine vehementiſſimo terræmotu, & fulgore cæleſti: unde vox audita ter Dionyſium inclamans: ille attonitus, trepidâ voce quærit, à quo vocetur.

Tum Deipara: Maria, inquit, ſum, & adſum, ut Ægidium ſervum meum tibi eripiam. Dionyſius jam alius, in genua procidit, veniam poſcit, & ad omnia promptum ſe offert. Tum Deipara viſendam ſe claiè Dionyſio præbet, &: Vitam, inquit, ante omnia emenda: tum hoc in loco vitam age Eremiticam: jam verò Magiſtratum urbis adi: fac, ut Clerus cum populo huc ordinatâ ſupplicatione veniat, eóque in loco, in quo gruum coronam viſui ſunt, templum mihi extruant, nec de aqua ſoliciti ſint. Tu eo in loco, ubi tantum humani ſanguinis fudiſti, fode, & fontem reperies bibituris ſalutarem. Ille, quem habitus & tonſura repentè Eremitam fecère, *Acim* oppidum accedit, civibus omnia denarrat: qui in rem piam bono ſuo creduli, ut imperatum erat, ordinatiſſimâ ſupplicatione Vallem viridem tribus paſſuum millibus petunt.

Legatio.

Grues magno numero ſimul congregatos inveniunt, & quamprimùm templum decernunt, & deſignant, in rem ſuam ſapientioribus, & longas diſputationes de caſuali gruum adventu parantibus: adfuit ſignum ſecundum, quò malignis his, ne obſtreperent, os clauderetur. Ad tertium ligonis ictum fons è ſicca rupe perpetuus erupit, omnibus profuturus, præterquam ijs, quibus Deiparæ gloria ſemper gravis eſt. Intra annum, urgente Dionyſio, templum ſtetit, ſed de Imagine cùm quæreretur, quæ in altari publico exponi digna eſſet, ipſe quoque Dionyſius litem decidit: poſtquàm narravit, viſam ſibi Deiparam cum Virginum Choro, ad pilam templo vicinam accedere, & repentè ex oculis abire, pilam hanc fodite: fallor, niſi Imago Deiparæ illic lateat.

Gruës.

Ad imperium Dionyſij diffracta ligonibus pila Imaginem dedit picturæ Græcæ. Sedebat cæruleo velamine aureis notis diſtincto cooperta ſanctiſſima Mater, dexterâ filium tenens, erectâ dexterâ benedicentem: ſiniſtrâ manu gruem habet; tres aureas coronas Angeli tenent, in Virginem officioſi. Templum, præſente Rege *Friderico*, tres Epiſcopi dedicârunt, qui & magnis redditibus & privilegijs hoc novum Deiparæ domicilium auxit. Mirum eſt, quod accidit: cùm templum propter affluentem multitudinem in majorem formam reduceretur, Deiparæ Imago muro diruendo appicta ne periret, à tribus pictoribus, quã potuit, accuratiſſimè depicta; alterâ tamen die in nulla tabularum apparuit. Tentatum id ſæpius, ſemper eodem, non alio effectu. Itaque decretum, ut integrâ pictu-

Pila. Pictura.

râ murus totus aliquot paſſibus promoveretur; ſed nec hoc ullæ potuerunt machinæ: dum Deipara amico] cuipiam ſuo apparens, diem denunciaret, quâ aggrediendum opus eſſet, ſed ubi id tentaturi ergatas aptârunt & funes, aliâ potentiore dexterâ impulſus paries ultrò, nullo duce, ad alium ſe parietem adjunxit, ubi marmoribus ornatus murus unà cum S. Imagine hodie videtur. Porrò miraculorùm numerus non eſt. Plurima per Epiſcopum approbata ſunt. Cæterùm hæc circa annū 1040. Ita R. P. Octav. Cajet. S. I.

DCX.

Imago B. V. Miraculoſa.

NIZELLANA.

Nicellæ in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Luces, en! amata mira pia & munda Virgo.*

1. *Proceſſio nudipes.*
2. *Privilegiorum conſervatio.*
3. *B. V. facit amicis amicos.*

VIrorum hoc Cænobium eſt Ordinis Ciſtercienſis: hic ab antiquo Statua Deiparæ eſt miraculoſa. Ex miraculis, quæ Statuæ cu'tum langueſcentem iterum reſtituerunt. Unum ſolum, & ſtrictim affero ex *Cæſario l. 7. c. 6* Litteris Apoſtolicis mandaverat huic Ordini Ciſtercienſi *Innocentius III.* ut quadrageſimam partem omniū mobilium in ſubſidium belli terræ Sanctæ tranſmitteret, Ordo verò privilegijs ſibi ab ejus Anteceſſoribus datis innitens, non acquievit huic exactioni &c. Abbates autem, qui in proximo Generali Conventu confluxerant in hoc Monaſterium (ut reipsâ aſſerit *Auguſtinus Wichmans l 3. c. 28.*) ſpem ſuam in Deipara Ordinis Patrona ponentes, ſpeciales orationes indixerunt, atque inter cætera ſtatuerunt, ut à principio Quadrageſimæ nudis pedibus de Capitulo exeuntes, ſeptem Pſalmos cum Li anijs canerent, interim verò ſancto Pontificis Confeſſario apparens Deipara, Pontificem inhibuit, &c. unde Innocentius III. ſingularis poſteà Ordinis Patronus factus, Privilegia olim data Ciſtercienſibus de novo confirmavit. Auguſtinus Wickmans l. 3. c. 28.

DCXI.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE MIRACULIS.

Alcami in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Virgo ſanè pia Mater cautè munda mali.*

1 *Iudi-*

1. Iudicium mulierum.
2. Fama quid poſſit.
3. Imago ſudans.

Ducentis & amplius ab urbe Alcamo paſſibus arcus fuit, limpidiſſimum fontem tegens, qui nullo publico bono in vicinum rivum ſe exoneravit. Fonti tamen tutando Alcamenſium quiſpiam muro arcûs appinxit Deiparæ Imaginem, non invenuſtam. Cum tempore fons fruticibus excreſcentibus neglectus eſt, & cum fonte fons tantorum bonorum ſanctiſſimæ Virginis Imago, quæ & ipſa proximarum arborum ramis obtecta erat. Memorant frequenter, ex ijs arbuſtis exire viſum infantem pulcherrimum; fuiſſe quoque non rariùs, qui velut à via aberrantem alloqui cuperent; ſed eum dumis iterum abditum non ampliùs compâruiſſe; non defuêre, qui viſa referrent ad Imaginem olim à tranſeuntibus cultam; & nunc neglectam; filium velle reduci honores priſtinos, ideóque videndum ſe præbere. Sed quid hæc, licèt vera, inter tot tantóſque, quibus cælum nunquam ſatis clarè loquitur? quid ultra? ſi ſimplices, quibuſcum Deo converſatio eſt, tacent, ſaxa loquuntur. Infans.

Contigit, ut ad ſubjectum amnem *Vallonem* pauperes, ſed honeſtæ fæminæ pannorum lotionem inſtituerent, cùm ex imminente rupe Imagini vicinâ parvi lapilli decide runt Ratæ mulieres, juvenum eſſe jocos, eloquentiâ fæmineâ impetunt, quos non videbant, juvenes. Ceſſavit non nihil hæc calculorum innoxia aliàs pluviâ, jam non parùm eloquentiam ſuam jactantibus fæminis, quâ lapides ſtitiſſent, ſed mox grandiores lapilli, ſaxa inquam, devoluta ſunt: quorum impetu duæ è fæminis in aquam dejectæ magno quidem periculo, nullo tamen aut dolore, aut damno. Fæminæ terrefactæ famam fecêre, famáque volans brevi per omnem viciniam divulgavit, adeſſe latrones. Pluvia.

Itaque edicto Magiſtratûs Alcamenſes arma corripiunt, & ſecures, his omnem ſilvam extirpaturi; illis, ſi latrones adeſſent, in contumaces pugnaturi. Fæminæ interrogatæ, num quem latronum vidiſſent, negârunt ſe virorum ullum vidiſſe; fæminam tamen candido veſtitu vidiſſe, utique ad latrones pertinentem. Cæterùm nec hoc tacuêre, nullam earum, quantumvis à ſaxo tactam, quidquam mali ſenſiſſe; quin unam earum, cùm brachium haberet doloribus affectum, tactu cadentis ſaxi omni dolore nunc liberam. Jámque multi civium exciſis fruticibus ad jugum venêre, unde dejecti lapides, timentes invenire, quos quærebant, latrones: cùm remotis dumetis conſpiciunt Deiparæ Imaginem, quam proni in terram omnes quamprimùm venerati ſunt, inſolitâ lætitiâ geſtientes: cúmque propiùs Imaginem intuerentur, obſervatus eſt ſudor à fronte Virginis defluens: fit clamor, & accurſu ſcivium. Lapides.

Collectus ſudor à ſicco muro ægris cum fide adhibitus profuit, quin etiam ipſi lapilli domum

portati idem fecêre. Nec mora: decretum Virgini in loco templum cum titulo: *A Miraculis*, ipſi verò S. Imagini Sacellum peculiare conſtructum ex politiſſimo lapide, qui tunc primùm inventus eſt. Concurſus undique toto penè anno maximè 21. Iunij, quo memoria Inventionis celebratur. Ita R. P. Octavius Cajetanus S. I.

D C X I I.

Imago B. V. Miraculoſa. DE EXILIO, *Madriti in Hiſpania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Virgo & Diva eſt, pura mali manet. Amen.*

1. *Eremita felix.*
2. *Luſus pilæ.*
3. *Sortes licitæ.*

HÆc à Monachis Baſilianis côlitur, olim propter vaſtationem Maurorum abſcondita: Placuit locus Eremitæ, qui ignarus, quid lateret, ibi ædiculam extruxit, contigit verò, ut, pilis ligneis luſum facientibus, una pilarum in ſcrobem decideret, Eremitario ſubjectam, eam extracturi ignes vident & flammas: quapropter Eremitam inclamant, auxilio futuri ignem extincturo, quem neſcio quis domui ſubjeciſſet. Ille Ignis. profundius in antrum deſcendit, & inter fulgores cæleſtes hanc Deiparæ Statuam extrahit, ſervaturus ipſe, niſi ter ductæ ſortes Monachis Baſilienſibus dediſſent. Hodie in magno honore eſt, & implorata pluvias affert.

Blaſcus.

D C X I I I.

Imago B. V. Miraculoſa. DE CONSOLATIONE, *Himeræ in Sicilia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Mali capturam in te Virgo amans evade.*

1. *Olei è lampade virtus.*
2. *Pedes inutiles.*
3. *Murus miraculoſus.*

IN Thermis Himæræ (ſic enim locus vocatur) Coſmas de Agra Pharmacopœius in Pharmacopolij pariete Deiparæ Imaginem pinxit, quam ardente lampade ſingulis Sabbatis, feſtiſque Deiparæ diebus honoravit. *Dominica Ruſſa*, non ignota Coſmæ, quotidie hoc oleo pedes filij unxit ſummâ in Virginem fiduciâ, non invito Pharmacopœio, imò magnopere optante, ut hæc Imago miraculo quopiam innoteſceret. Porrò malum pueri medicorum peritiam ſuperabat, in lucem editus, pedes habuit nullo vitio turpes, niſi quòd oſſa adeò eſſent mollia, ut pedes poſſet circumdare collo, adeòque nec ſtare; jámque in duodecimum annum conſolidati non erant quantum-

vis Medici artem omnem adhiberent.

Nocte quadam, cùm poſt piam unctionem puerum ad lectum deportâſſet, olei virtus comparuit: nam puer manè ope Virginis incolumis & ſtare, & ambulare, & currere potuit. Vulgato miraculo ſupervenêre miſeri, & ſimilia petentes, ſimilia impetravêre. Demum ex Eleemoſynis templum ſtetit anno 1553. Mirum illud, quòd, cùm anno 1591. paries, in quo picta Imago, aliò transferendus eſſet, jámque machinis in altum ſublatus decidiſſet in terrā fruſtillatim, ea tamen pars, quæ Imaginem habebat, iterum conjunctis partibus ſponte ſic cojerit ac coagmentata ſit; ut rupta unquam fuiſſe credi non poſſet, niſi in plurimorum teſtium conſpectu contigiſſet. Porrò feſtum 14. Ian. celebratur R. P. Oct. Cajet. S. I.

Oleum.

DCXIV.

Imago B. V. Miraculoſa DE PARCO DOMINARUM. *Lovanij in Germania Inf.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Evade à primo inſtanti, ac argue malum.*

1. Iudæa fit Chriſtiana.

2. Beatricis Monialis miraculum.

3. Autores graves.

HAbet Ioannes Patricius Romanus cum conjuge imitatores in Belgio, *Ioannem Hugonem* & conjugem ejus *Beatricem*, jam longè ante annum milleſimum ducenteſimum decimum ſextum. Hi quia ſteriles, ſua Deiparæ dicârunt virginibus ex præſcripto Regulæ D. Auguſtini alendis: & ne ignoraretur, cui domus hæc ſacra eſſet, in frontiſpicio Monaſterij ſupra portam Deiparæ Statuam conſtituerunt. Sed in choro, ut vocant, hoſpitum ad ſiniſtram altaris ſummi in Sacello peculiari aſſervatur alia S. Virginis Statua plurimis miraculis illuſtriſſima. Prætereo tabulam, quæ una ibi appenſa proximi ſæculi miracula refert; fuit hæc S. Statua in honoribus *Catharinæ* Lovanienſi, quæ ex Judæa facta Chriſtiana, & Monialis, vitam hic ſanctè clauſit: de qua *Cantipr. l. 1. apium*, alijs Monialibus quandoque loquentibus cum parentibus ſuis & cognatis, hæc ad hanc Deiparæ Statuam accurrit. Ego, inquiens, paupercula, pupilla, & indigna ad te Dominam & cognatam meam fidenter accedo, tu ſola præ omnibus eſto mihi refugium & ſolamen. Porrò revocet in mentem Lector, quæ ſcribit *Cæſarius l. 7. c. 35.* de Beatrice Moniali, quæ cuſtos templi cùm eſſet, ſeducta à Clerico, poſitis clavibus in altari Deiparæ, eíque commendatis, Monaſterium deſeruit, & quindecim annis in cœno volutata redijt, acturà pænitentiam: quæ cùm dixiſſet Portario: Noſti Beatricem quondam hujus oratorij cuſtodē? reſpondit ille, optimè ſe noſſe, eſſéque ſanctam, & vivere ſalvam.

Iudæa.

 Illa

Illa abitum parans, habet obviam Deiparam in hæc verba ſibi loquentem: Ego per quindecim annos abſentiæ tuæ, officium tuum ſupplevi: revertere nunc in locum tuum, & pænitentiam age; quia nullus hominum novit exceſſum tuum; in forma ſiquidem & habitu illius, Dei Genitrix vices cuſtodis egerat, quæ mox ingreſſa, quamdiu vixit, gratias egit, per confeſſionem circa ſe geſta manifeſtans. Hæc, quæ narrat Cæſarius, ad hanc Deiparæ Statúam contigêre: hodiéque ſuffragantur Moniales, aſſerentes hanc Beatricem ſuam conſorore. Quòd ſiquis exemplū hoc credat eſſe ultra fidem, ejus fuſam defenſionē reperiet apud Wickman. l. 3. c. 16.

DCXV.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE BONASTRA,
Bonaſtræ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Teris, en! anguem ò par Immaculata diva.*

1. Reditus Statuæ ad locum.
2. Pietas ditiorum.
3. Annuus accurſus.

PAſtor fuit, qui hanc Deiparæ Imaginem reperit, repertámque cum gaudio *Pinam* tulit: quæ villa eſt, non multùm loco diſſita. *Pinenſibus* Deipara in honore fuit: eámque ob cauſam ad templum parochiale delatam collocârunt in altari; Deipara voluit, ut Angelorum manibus proximâ nocte reportaretur ad locum, ubi inventa fuit: iterúmque reperta ab eodem paſtore, qui monitis, non jam *Pinenſibus*, ſed *Pincianis* agricolis, fortè ditioribus, effecit, ut Ruſticus. quamprimùm ædificatâ in loco ædiculâ honoraretur. Annuus hodie accurſus eſt feriâ tertiâ poſt Feſtum Reſurrectionis. Tres palmos altitudinem Imago non ſuperat. Majores appinxêre paſtorem ad pedes Deiparæ, quæ IESULUM in ſinu geſtat.

Vaſcus.

DCXVI.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE PROVENZANO.
Senis in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Malum, poma Adæ, tu Regina unica terris.*

1. Libido inemendabilis.
2. Ruina & Medicina.
3. Gemma in luto.

INter peccata, quæ Virgo præ cæteris odit, illa ſunt, quæ (ſi de urbe Senenſi loquamur) in domo commiſſa ſunt, quam Provenzanam appellant. Vocis originem, quam Majores fornici impoſuêre, piget inquirere, ſufficiat ſcire,

ſcire, hic mulierculas habitare, quas pudor proſtituit, quáſque depereunt, qui perire volunt viri, neque has tamen, quod mirum eſt, deſtitit Virgo etiam miraculis ad frugem revocare. Ad murum hujus domûs Statuam Majorum quiſpiam poſuit Deiparę exiguam. Olim hæc creditur brachio filium tenuiſſe. Sed quid mirum, ſi filius faſtidio loci vel ipſe ſuam Statuam abſtulerit, vel auferenti facilè condonaverit? Poterant domum ſceleſtam ingreſſuri, imò debebant aſpectu Statuæ miteſcere, & amorem, quo tunc flagrabant, à meretrice transferre in Virginem, ſed cæcus amor cùm ſit, non videt ſalutem ſuam, quam in lumine præterire neceſſe erat.

Diu hìc ſtetit exiguo hemicyclo incluſa, inter duas feneſtras propudioſæ domûs, mirum quantum hìc Deipara in miſeros fuerit benefica. Qui loco præſunt, librum petentibus oſtendunt, quo trecenta & ampliùs beneficia Virginis publicâ fide inſcripta ſunt miraculis annumeranda. Certè juvenem ab utero Matris in vigeſimum uſque annum, linguæ auriúmque uſu carentem, utriúſque recto uſu donavit. Puduit tandem pios, Thaumaturgam Imaginem, quando dominari in medio inimicorum ſuorum, id eſt, in hac domo neque vellet; neque ipſorum voluntate poſſet, hìc ampliùs relinquere. Ablatam itaque donarijs primùm, deinde etiã templo honorârunt. Ità ut, quantum hodie Senenſis urbs infamiã apud exteros capit à Provenzano, tantum laudis capiat à Virgine quæ de *Provenzano* nomen habet, de hac *Conſtantinus Ghinius* Canonicus Regularis Ord. S. Auguſtini in dialogis de SS. imaginibus. Felix Aſtolfi lib. 14. Ioannes Baptiſta Alberti lib. 2.

DCXVII.

Imago B. V. Miraculoſa. HODOEGITRIA.

Conſtantinopoli in Græcia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Diva Virgo item Sanctâ manè almâ pura.*

1. Opus S. Lucæ.
2. B. V. dux cæcis.
3. Feſtum Hebdomadarium.

HÆc, ſi ulla, eſt picta manu S. Lucæ, ab Eudoxia Conſtantinopolim allata, & ſumptuoſiſſimo templo illata, propter frequentiſſima miracula multos honores accepit, nam & ad bella eſt educta, & ante prælia ſingularibus modis culta, iterum cum ingenti pompa præſertim à *Zemiſcè* & *Comneno* Imperatoris reducta in curru triumphatur, ad hanc Deipara duos cæcos extra urbem à via aberrantes, ipſa deduxit, ſtitítque, & viſum reddidit. Porrò, inquit *Nicephorus l. 15. c. 14.* in templo illo, ut tertio quoque ſeptimanæ die privilegium, ita & ſupplicatio peragatur, curavit *Pulcheria* Auguſta; quod ad hanc

uſque

uſque diem ſervatur. Hæc *Nicephorus*. Hinc frequenter picta videtur arca, quam duo Baſiliani Monachi portant.

DCXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE QUERCU.
Orſchoti in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Pura, ter immunis à macula, à Deo genita.*

1. Reditus ad quercum.
2. Supplicatio annua.
3. Tria Sabbata.

HAnc ante duo ſæcula bubulci invenerunt in ripa Alphæ fluvij, cámque quercui alligârunt, & quotidianâ pietate honorârunt: aiunt ablatam à Beerſianis ad quercum rediiſſe, hinc origo cultûs publici, & miraculorum, hinc quoque originem habet annua ſupplicatio, quæ Sabbato ante Feſtum S. Ioannis Baptiſtæ huc inſtituitur, quæque jam olim, antequam prima ædificaretur è ligno ædicula, in uſu fuit, & concio habita ſub dio. Imago tempore bellorum in urbe Buſcoducenſi Aſylum ſemper habuit, Sacellum ligneum facilè vel deſtructum eſt, vel corruit, factâ aliquantiſper pace, aliud tumultuario opere, ſed vix altaris capax erectum eſt: donec è latere coctо paulò amplius ſucceſſit, quacunque fortunâ, ſemper tamen populi pietas ſibi conſtitit, ij præcipuè hinc gratias abſtulêre, qui tribus Sabbatis devotionem ſuam peregerunt. Hæc accepi ex Auguſt. VVickm. l.2.c.34. Sacellum.

DCXIX.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE ALMUDENA.
Madriti in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Genita verè Immaculata ò munda paris.*

1. Muri ruptura miraculoſa.
2. Urbs Mariana.
3. Urbs ab hoſte liberata.

FUit, cùm à Saracenis Madritum peteretur, nec ampliùs ſuppeterent vires Madritenſibus tanto hoſti pares: jámque non dubij, primariam urbis Baſilicam, quæ *S. Maria de Almudena* appellatur, convertendam in Moſcheā Machometanam, ne hæc Deiparæ antiqua, & aliàs miraculoſa Statua in ludibrium Saracenorum remaneret, eam intra muros urbis abſconderunt: ut urbem ipſa eſſe ſuam ſciret, nec obliviſceretur tempore, quo ipſi placuiſſet, eam iterum Chriſtianis reſtituere. Thesaurum. Porrò locus per traditionem nepotibus non erat ignotus: diverſæ tamen & multæ erant ſententiæ, nemine non affirmante intra mœnia

hunc

hunc theſaurum latere: quâ verò muri parte lateret; hîc enimverò & diverſiſſima; & non niſi dubia afferebant. Quapropter ſuaſu piorum ſupplicatio inſtituta eſt, quâ Virgo rogabatur, dignaretur Iconem ſuam detegere. Cùm ecce! pars muri concidit, detegitur S. Imago, & incredibili lætitiâ iterum ſuo templo reſtituitur. Huic S. Statuæ Madritenſes adſcribunt, quòd in ſecundâ à Saracenis obſidione ſervati ſint. Viſconcellus.

D C X X.

Imago B. V. Miraculoſa.
GELDONENSIS.
Geldoniæ in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Luces, en! amata mira pia & munda Virgo.*

1. Forum felix.

2. Pietas quotidiana.

3. Centrum verbis.

Geldoniæ in medio foro Sacellum Deiparæ eſt; quòd ab antiquo *Sacellum Forenſe* dicitur: aiunt conſecratum fuiſſe anno 1353. 12. Auguſti, in eo erecta eſt Congregatio SS. Roſarij anno 1608. Hinc antiqua arguitur quoque pietas, & utique inſignis non ſine miraculo aliquo origo, quòd in foro medio ædificatum ſit: quæ quidem origo ad me non pervenit, uti multum etiam ex miraculis ad me perſcriptum eſt: ſiquidem miraculum non eſt, concurſum quotidianum in hanc uſque diem durare, qui ſine Virginis beneficijs eſſe non ſolet. Wikmans.

D C X X I.

Imago B. V. Miraculoſa.
IN HOSPITALI.
Geldoniæ in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Paris intemerata, munda jugo maculæ.*

1. Solennitas operariorum.

2. Supplicatio annua.

3. Cerimonia.

Antiquius priore Sacellum eſt Deiparæ apud leproſos, erectum anno 1248. magnâ ſolennitate, quâ ſingulis annis Statua Deiparæ honoratur, notabile, moribus receptum eſt (ſunt verba *Wikmanni*) ut Sabbato poſt Feſtum Viſitationis, ante veſperas, Clerus, comitante Prætore, Conſulibus, Magiſtratu, ſupplicationis ritu, ad Divam hanc procedat, unaquaq; familiâ unam ad minimum ex ſuis perſonam Religioſo huic actui deſtinante. Deportatur tum hinc Imago Deiparæ ad Sacellum oppidi in foro medio ſitum, in cujus umbilico ambæ hæ ſacræ Imagines ſibi mutuò collaterales ſtatuuntur: dum omnis ſolennitas Proceſſio.

Tttt ſup-

Porrò Feſtum ſacræ Imaginis celebratur Octavo Decembris, & proximis ſeptem diebus Mercurij antecedentibus. Cingulum publico cultui exponitur. Ita *Aloyſius Turelli* in Compendio vitarum RR. PP. Erem S. Auguſtini Centuriâ quintâ fusè deſcribit.

DCXXIII.

Imago B. V. Miraculoſa. IN CATHEDRALI *Eyſtadij in Germania Sup.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Pia, te Matrem agnovi ſine macula dura.*

1. Ægritudo gravis.
2. Repentina curatio.
3. Miraculum in Epiſcopo.

PHilippus Rathſamhuſius, è nobili familia oriundus in Alſatia, Abbas Periſcenſis, quod eſt Monaſterium Ordinis Ciſtercienſis, prope Coloniam, Epiſcopatum Eyſtetenſem Clementis V. Pontificis juſſu & nutu acquiſivit anno 1306. ſcripſit hic Philippus ſtylo non ineleganti vitam S. VValburgæ Virginis, & S. VVilibaldi Epiſcopi: ubi inter alia de ſeipſo ſequentia teſtatur: Nos ipſos more ſolito in ſtudio lectionis exiſtentes, quædam paſſio viſcerum adeò vehemens & dolore plena apprehendit quòd ſi continuata fuiſſet, uſque ad veſperam, omnino, ut certiſſimè credimus, & experimento doloris didicimus, à luce hujus ſæculi migraſſemus: ſurgentes igitur cum magna attritione corporis, & cum multa contritione mentis, difficultate inenarrabili, ad chorum B. VVilibaldi pervenimus, & cupientes aſcendere per paucos gradus, qui inibi in aſcenſu ejuſdem Chori habentur, non poteramus, ſed ante januam ſtantes Imaginem Virginis ac Matris Dei oppoſito in fine Chori locatam, quæ verſo vultu ingredientes reſpicit, lamentabiliter aſpeximus, orantes in hæc verba: B. Mater Dei! ob reverentiam & honorem B. VVilibaldi, Capellani tui, qui ſemper te ſingulariter honorando venerabatur, me indignum Succeſſorem ſuum curare digneris, præſertim cùm hæc paſſio in compoſitione ſui Operis ac Legendæ me invaſerit: & illico ipſâ horâ curati ſumus, nullum dolorem, vel aliquod veſtigium doloris ex ipſo momento curationis ſentientes. Hæc autem in verbo Domini ducimus teſtimonio bonæ conſcientiæ, non mentientes. Hæc ad me R. P. Erricus Pirring Rector Eyſtadij Soc. IESU, ex Iacobo Gretſero legi de Divis Tutelaribus Eccleſiæ Eyſtadij.

Epiſcopus.

DCXXIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
AD S. BENEDICTUM.
Guadagnolij in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Dura pomagementis avi minutà lacera.*

1. Hæreditas S. Euſtachij.
2. Loci antiquitas.
3. Religionis Spiritus initio miraculoſus.

CErtum eſt, ad montem Vulturellum, qui non longè abeſt Guadagnolia, prope urbem Prænestinam, S. Benedictum habitationem ſuam habuiſſe in ſpelunca, priuſquam Sublacum ſecederet: nec dubitare quenquam permittit Auctor, dictum ſanctum è prædijs, quæ olim S. Euſtachij erant, ædificâſſe illic Monaſteria: quod ego ex dicto Auctore *R. P. Athanaſio* ſuppono, inter quæ illud Monaſterium non poſtremum eſt; quod ad montis Vulturelli pedem ædificavit, quódque octingentis circiter annis proprium Ordinis S. Benedicti fuit, cujus templum in hodiernum uſque diem extat, longum palmos quadraginta octo latum ſexaginta: in altari etiamnum extat Statua Deiparæ lignea IESULUM brachio tenentis ſex palmos alta, quæ uti vetuſtate, ſuâ veneranda eſt, ita mirum in modum advenarum animos exhilarat, & ad devotionem excitat. Miracula Deiparam hîc olim patrâſſe, non video, cur dubitare quis poſſit; ſive hæc, ſive antiquior olim Statua hoc in loco culta ſit: quandoprimi Ordinis Benedictini ſpiritûs miraculum fuêre. Concurſus namque peregrinorum illuc tantus olim fuit, quantus hodie Lauretum. Nolui itaque, propter ſcripturarum defectum, hunc ſanctum Deiparæ & antiquiſſimum locum à miraculoſis Imaginibus excludere, R. P. Athan. Kurcher Soc. IESU in Hiſtoria Euſtachiana.

Antiquitas.

DCXXV.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE CONSOLATIONE SOC. IESU.
Ariæ in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Lacera inviſum Ditem; Agno puré amata.*

1. Preces repetitæ.
2. Pes mire curatus.
3. Anathemata argentea.

IN templo Societatis IESU, quod Ariæ eſt, celebris eſt populi frequentiâ & cultu Beatiſſimæ Virginis Statua, quæ de *Conſolatione* nomen habet, ſimilis quoad omnia Luxenburgenſi & admodùm prodigioſa, teſtantur hoc magno numero Anathemata, pleraque argenteo elaborata, corda, manus, pedes, oculi, aliáque beneficiorum monumenta. Præ cæteris nu-

nuperâ pueri curatio medicos & chirurgos æquè atque cæteros obſtupefecit. Erat illi à nativitate pes malè contortus; imò non pes, ſed maſſa carnis informis: quod monſtrum pedis non ferens Mater in filio, ſubinde ad aras Divæ Conſolatricis cum fiducia advolat, preces ardenter inſtituit; iiſque jam quartum diem per vices repetitis, cùm forte filioli pedem contrectare parat, videt de monſtro jam verum pedem efformatum, nullo veſtigio prioris deformitatis: videmus etiamnum puerum prodigioſum, Virginis opus. Miraculum ritè examinatum, ritè quoque ab Epiſcopo Audomarenſi eſt approbatum; privatorum miraculorum nullus numerus: unde tantus in omni neceſſitate concurſus ſummorum & infimorum. Miſſæ in altari illo continuæ ne numerantur quidem. Ita ad me R. P. Antonius Boulogne, Rector Arienſis, Soc. IESU. Pes.

DCXXVI.

Imago B. V. Miraculoſa.

LAVENSIS.

Raguſæ in Dalmatiâ.

Progr: AVE MARIA, gratia plena; Dominus tecum.

Anagr. *Amata, i, Virgo purè ac almè munda nites.*

1. *Imago Græca.*
2. *Pæna non ſoluti voti.*
3. *Pericula maris.*

ANno 828. rediit ex Oriente navis Veneta, in medio curſu tantam tempeſtatem experta; ut; omnibus mediis humanis deſperatis, ad vota preceſque Nautæ confugerint. Votum igitur fecêre, quæcunque illos terra ſanos ſalvóſque exciperet, ibi Deiparæ templum quamprimùm curaturos, in quo ponerent colendam Imaginem picturæ Græcæ, quam ſecum ex Oriente ferebant. Collecti ſunt, hunc in finem ducati centum.

Ventus. Eâ nocte ventus tempeſtatem abſtulit, & quievit mare, navíſque manè nullo negotio appulit ad caſtellum *Lavenſe*. Pænituit vectores voti, & neſcio quid cauſati, iterum ſe mari commiſêre: ſed major priore tempeſtas extinctam pietatem inflammavit, iterúmque promiſêre, ſe promiſſa ſervaturos, iterum etiam pacatum mare eos reddidit littori, in quo priùs fuêre. Itaque exſcenſionem fecêre, atque Imaginem ſuam ritu ſupplicantium caſtello Lavenſi intulêre. & ducatos centum collectos ad pedes Statuæ poſuêre. Placuit Senatui populóq; Raguſæo & quia centum ducati in templum ſufficere non poterant, Senatus populúſque Raguſæus tantum addidit, ut inſigne templum brevi ſtaret. Cuſtodiunt colúntque hodie Imaginem hanc in adjuncto Monaſterio Sanctimoniales Benedictinæ, quanquam hodie hîc non eſt niſi Ectypon dictæ Imaginis miraculoſæ: cùm propter miraculorum copiam jam pridem ipſa vera Orientalis Imago mira- Miracula

 culo-

culoſa ſit tranſportata in templum Cathedrale. In neceſſitatibus publicis unde unde exortis, magna pompa circumportatur per urbem. Aiunt, nunquam cerimoniâ honoratam hactenus fuiſſe, quin id, quod petebatur, ſit obtentum. Hinc apud multos ea opinio increbuit, eſſe opus S. Lucæ. Hæc ad me R. P. Ioannis Baptiſta Tartaglia, Rector Anconitanus, Societatis IESU ex vetuſto Manu Scripto quod conſervatur Raguſij.

DCXXVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
LAURETANA.
Stwolowicij in Lithuania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Nites item pura macula, Virgo amanda.*

1. Lauretanum Sacellum.
2. Miraculoſum decus.
3. Concurſu in Feſtis B. V.

DE ædiculis ad formam & menſuras Sanctæ Domûs Nazaretanæ factis tanta hominum ubique perſuaſio eſt, tanta támque certa Deiparæ beneficentia, ut ſine allatis miraculis ſemper miraculoſam quamcunque talem ædiculam dicere poſſimus. Hanc Raziviliusl Imperij Princeps ædificavit, & opulento ſacerdotio ditavit, concurſus non ex Lithuania modò, ſed & ex Polonia continuus, maximè tamen feſtis Deiparæ magnus eſt. Clarétque locus miraculis. Ita ad me R. P. Albertus Koialovviz, Rector Vilnenſis, Soc. IESU.

DCXXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
AD S. AGATHAM SOC. IESU.
Catanæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Amanda tu pura vitij, en! claret ô gemma,*

1. Cultus B. V. ab Ethnicis.
2. Magus potens.
3. Epiſcopi fiducia.

COngregatio Nobilium virorum in Collegio Societatis IESU Catanæ tabulam habet in altari, Ectypon bonæ manûs & illius tabulæ, de qua *Carthagena l. 6. hom. 7.* hæc habet: Cataneñſes Idololatræ in magna veneratione habuêre Virginem quandam, Infantem manibus tenentem, in tabula depictam, hanc annis ſingulis ſingulari pompâ certo die per urbem ferre ſoliti, cùm rogarentur cultûs ſui cauſam, reſponderunt, id ſe præſtare in honorem & cultum cujuſdam Virginis, quæ Virgo permanens pariet filium ſuum, &c.

Et quanquam hæc priſca tabula dominantibus in Sicilia Saracenis

cenis interierit, vel adhuc abſconſa alicubi lateat: ejus tamen priſcum templum non penitùs interijt, ſed poſt exactos Mauros, regnante *Rogerio*, fuit reſtauratum, imò etiam in ampliorem formam redactum, & hodie vocatur *Baſilica S. Agathæ* Catanenſis Virginis & Martyris, cui fuit dedicatum, anno 1094. ut habet marmorea Epigraphe. In illo ergo priſco templo ad hanc Imaginem, quam Ethnici unde unde acceptam ante Chriſtum venerati ſunt, miracula tempore Chriſtianorum facta ſunt (quin fortè etiam tempore Gentilium, uti Carnuti in Gallia) miracula, inquam, quorum narrationes interiere: ſi unum excipias, quod legitur in vita *Leonis* Epiſcopi Catanenſis Thaumaturgi: cujus tempore *Heliodorus* nobilis magus, qui Catanæ captus repentè ſe ſtitit Conſtantinopoli, ibidémque iterum captus, iterum poſt breves horas repertus eſt Catanæ in Sicilia: hic, inquam, magus cùm etiam templis non parceret, riſúmque ſuis nugis cieret in populo, quinetiam minaretur, facturum ſe, ut Epiſcopus cum Clero ſaltaret: Sanctus magnâ fiduciâ in Deiparam, in hoc altari coram hac Imagine de qua loquor, tremenda Sacrificia fecit: quibus finitis, Heliodorum tunc præſentem in nomine Dei, Deiparæque ac S. Agathæ gradum ſiſtere juſſit: ſtoláque circa collum injectâ, vinctum ſine difficultate per medium populum fruſtra renitentem traxit extra templum in medium forum: tenuítq; , dum è congeſtis lignis bene magna pyra excitaretur, cui impoſitum ligatúmque eadem ſtolâ, necquidquam Diabolos in auxilia vocantem, dato igne, combuſſit, & in cineres redegit. Et quia Imago hæc ſacra non ſupereſt: ea, quæ apud nos eſt, velut fidele Ectypon honores accipit, qui illi debebantur, approbante id Virgine, collatis in pios miraculoſis gratijs. Ita R. P. Rector Catanenſis Soc. IESU.

Mauri. Magi. Imago.

D C X X I X.

Imago B. V. Miraculoſa.
PANARIA.
Ariæ in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Roſa tu palam emica, Virginem & munda.*

1. Lampadis miraculum.
2. Obſeſſa urbs felix.
3. Peſtis remedium.

HÆc Statua in urbe Arienſi, in templo Collegiato S. Petri, in honoribus eſt. *Panariam* vocant, originem ejus & cultûs antiquitatem antiquitas abſcondit, nomen acquiſivit à numeroſa Congregatione in ejus honorem inſtituta: quæ quia panes ſolet diſtribuere, *Panariæ* nomen non tantùm Congregatio, ſed ipſa etiam S. Virginis Statua habet. Ita nempe populus caſu in unam opinionem coaleſcens, nomina rebus dat, hon-

nonnunquam rebus parùm convenientia: niſi fortè Dei conſilio Deiparæ, quæ nobis panem vitæ dedit, à panibus nomen acceperit cultus, magnus licèt & antiquus hujus S. Iconis augmentum ingens accepit anno 1641. ex obſidione, quam fortitudine non bene credibili cives ſuſtinuerunt. Obſidio.

Contigit, ut tormenti ictu fornix Sacelli diffringeretur, cadetéretque in lampadem, ante Virginis Iconem diu noctúque ardentem: dejectâ ſanè in terram mole fornicis cadentis, lampas eſt, non tamen fracta: hoc prodigio cives mirè animati, urbem retinuêre, modo non audito: nam ubi demum ad deditionem faciendam coacti cives ſunt, hoſtíſque victor civitatem ingreſſus cum exercitu; non ipſe tamen civitatem habuit, ſed civitas ipſum unà cum exercitu velut carcere concluſum: ſupervenêre nimirum noſtri & circumuallationis lineâ, quam hoſtis incautus deſeruerat, uſu, urbem & inurbe hoſtem obſidione novâ preſſerunt, fecerúntque cum civium auxilio; ut penè totus ille exercitus vel fame necaretur, vel ferro caderet, paucis promiſſo lytro mortem effugientibus, civibus interim nulla ægritudinis aut famis incommoda expertis.

Hoc erat Virginis *Panariæ* auxilium, cui ſe cives toties & tot votis commiſerant. Paucis poſt annis Peſtilentia urbem ingreſſa, hyemem penè totam, totum vér, & partem æſtatis dominata eſt: ſed inſtitutâ ſupplicatione ad Virginem *Panariam* repentè extincta, ad ſummos æſtatis calores omnino concidit, hodiéque durat in Deiparam, & ejus hanc Statuam ſummorum ac infimorum pronus animus; donaria muros ornant, continua miſſæ ſacrificia pietatem augent, & miracula crebra audiuntur. Ita ad me R. P. Antonius Boulogne, Rector Arienſis, Societatis IESU. Peſtis.

DCXXX.

Imago V. B. Miraculoſa. NETINA.

Neti in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Munda nece vitij, alta Roſa, pura gemma.*

1. Urbs ingenioſa.
2. Magiſtratus pius in B. V.
3. Imagines domeſticæ miraculoſæ.

NEtum (Italicè *Noto*) Siciliæ urbs ingenioſa, quam ipſe Cicero oratione quadam in Verrem non ſine encomio memorat. Titulum ingenioſæ civitatis accepit à Rege *Ferdinando Catholico*, ut apparet, in quodam privilegiò data ex urbe Barcinonenſi annò 1503. Semper hæc urbs Deiparæ fuit devotiſſima, magnum tamen augmentum accepit anno 1644. quando Concionator è Soc. IESU perſuaſit civibus, ſingulis horis ad pulſum horologij detegere caput, & ſequentem orationem

rem dicere: *Per Immaculatam Conceptionem tuam, Virgo Maria ſemper benedicta, adjuva nos nunc, & in hora mortis, Amen.* Porrò coram Imagine Immaculatæ Conceptionis, eodem anno, 3. Aprilis, magna cum ſollennitate, nomine totius urbis, Magiſtratus in hæc verba ſequentia animum ſuum erga Deiparam expoſuit: recito verba, ut ad me perſcripta ſunt, ſed latinè.

Conceptio.

O Sereniſſima Regina Cæli & terræ, & ſemper Virgo, & Mater Dei Maria. Nos jurati civitatis Neti ſervi tui, licèt indigniſſimi, in hoc loco tibi conſecrato, & in hoc die lætitiæ proſtrati ante pedes Majeſtatis tuæ, profitemur, te ab æterno per merita Filij tui præſervatam à culpa originali; unde te, & filio tuo, teſte, proponimus per gratiam veſtram tenere & defendere hanc ſententiam uſque ad horam mortis noſtræ, & curare, ut & ab alijs doceatur. Ita vovemus, promittimus, & juramus: ita nos adjuvet Deus, & hæc ſancta Dei Evangelia. Et tu, ò puriſſima & feliciſſima Virgo Maria! Mater Dei, quæ ab æterno ab eodem fuiſti electa & præſervata, imple, precamur, hunc locum tuæ Immaculatæ Conceptioni dedicatum omni bono, da perpetuam pacem & tranquillitatem toti Reipub. Chriſtianæ, & cuſtodi hanc tuam civitatem Netum ab omni adverſitate, & impetra nobis, ò pijſſima & puriſſima Mater Dei! ut tuus divinus Filius nobis concedat puritatem & munditiem animi & corporis, & avertat à nobis ſupplicia, quæ culpis noſtris promeriti ſumus, Amen.

Civitas.

Hac oratione ſe devovit civitas, quæ authenticè per Notarium deſcripta, & ſigillo munita, ad me miſſa eſt. Porrò domus non eſt, in qua non ſit Imago, quæ Deiparæ Immaculatam Conceptionem modis, quibus ſolet, expreſſam habeat, hinc non ad primariam tantùm Imaginem, ſed & ad has domeſticas miraculoſa beneficia Deipara largitur. Volui hunc modum civitatem Deiparæ commendandi hic apponere; ut in promptu formula ſit, ſi quiſpiam urbis cujuſcunq; ſenator animum habeat, & verba, quibus urbi ſuæ eandem pietatem ſuadere velit; & perſuadere poſſit. Hæc ad me miſit R.P. Ioſephus Maria a Pariſi, Rector Netinus Soc. IESU.

D C X X X I.

Imago B.V. Miraculoſa. DE BRUEIN. *Mamezi in Germania Inf.*

Progr. AVE MARIA, gratià plena, Dominus tecum.

Anagr. *Gemma, en! tu clares in Adam à vitio pura.*

1. *Congregatio nobilium.*
2. *Periculum auget pietatem.*
3. *Concurſus pagorum.*

ARiam inter & Tervanam vicus eſt, dictus *Mamez* inſigni circumjacentis latè regionis concurſu celebratus, propter Deiparæ Statuam, quæ iſthic, curationibus admirandis, inclaruit, nomen eſt illi, noſtra Domina *de*

Bruein: & originem habet, vel certè augmentum à Confraternitate olim inſtituta ſub auſpicijs Virginis: quam deinde legibus & privilegijs copioſiùs inſtructam ferè Arteſiæ nobilitas omnis magno incremento illuſtravit, ſubinde auxit devotionem præſentius periculum, quando peſtiferâ lue ingraveſcente, vicatim populi ſeſe Virgini adventantes commendant, aut, qui jam ægri opem ſenſere, gratias acturi adveniunt. Ita R.P. Antonius Boulogne, Rector Arienſis, Societatis IESU.

DCXXXII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE LACROMA.
Raguſæ in Dalmatia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Pura tandem viges à macula omni & ira.*

1. Peregrinatio Hieroſolymitana.
2. Tempeſtas in mari Adriatico.
3. Offertur B.V. figura Draconis.

ANno 1116. Rex Angliæ *Ludovicus*, comitante Reginâ, peregrinationem inſtituit ad ſanctiſſimum ſepulchrum Servatoris noſtri, exemplo hodie admirando, non imitando: Quando Reges & Principes vel domi inter curas ſecuri ab hoſtibus non ſunt. In reditu viſitaturi quoque Italiæ ſancta loca, cùm mare Adriaticum intrarent navigia, tempeſtatem offenderunt, quæ mortis cogitationes ingerebat; adhibita à nautis omnis diligentia non ſuffecit, ut navis Regia alicubi appellere ſecurè poſſet. Rex cum Regina confugerunt ad Deiparam, facto voto duorum templorum Soſpitatrici ædificandorum: quorum primum eo loco ædificaretur, quẽ primum felix excenſio eſſet datura: alterum in ipſa Anglia, ſi proſpere domum rediiſſent. Etiam impenſæ voto firmatæ ſunt, centum millia ducatorum pro primo, totidem pro ſecundo: ne, ut fit, tepidior poſt beneficium animus in vota eſſet, templa quoque ejuſdem formæ figuræque ut eſſent, ex compoſito decretum eſt: ſenſit mare, quàm pios vectores portaret, mitiúſque repentè factum, ventis quoque adjuvantibus brevi ſine periculo navim ad rupem ſuaviter impulit, quæ mille non ampliùs paſſibus ab urbe Raguſæa diſtat, & *Lacroma* vocatur. Excenſionem fecère perſonæ Regiæ: & quia verba Principum ſunt obligatoria, ſtatim ipſo in loco fixis pluribus ſtipitibus templi ambitum non perfunctoriè deſignârunt Senatus populúſq; Raguſinus, audito Regû adventu, duodecim miſere nobiles, qui advenas invitarent ad urbem. Eam intrârunt Rex cum Regina, ſequente aulâ. Hoſpitium Regibus commodum, Raguſinis glorioſum: ſecuta ſunt utrinque munera Regia, cum deventum eſt ad templi Mariani ædifica-

Rex. Senatus.

ficationem: Raguſini optârunt hoc Decus urbi; non difficulter conſenſit Rex: eâ tamen conditione, ut ipſi ſuis ſumptibus templum qualecúnque unà cum Monaſterio extruerent eo loco, quem antè Rex deſignaverat. Et hæc eſt illa miraculoſa Imago Deiparæ, de qua loquor: & ex ejuſdem Regis mandato dicuntur ſingulis Feſtis Deiparę miſſæ pro Regibus Angliæ. Cæterùm & illud templum, quod nunc Cathedrale eſt, relicto Anglo, operis promotore, cæptum eſt ſtatim fabricari opere magnifico, ſed quadraginta quatuor poſt annos, id eſt, anno 1169. finitum: octoginta millia ducatorum fabrica abſumpſit; reliqua viginti mil ia Raguſæis relicta ſunt, ut inde veſtes & vaſa templo digna conficerentur. Etiam hic memoria Regum Angliæ in honore eſt. Et hic quoque in Deiparæ Statua, quæ in ſingulari veneratione eſt, unam Cæremoniam memoro, magnæ ſed debitæ gratitudinis argumentum.

Templum de *Breno*, ut alibi dixi, eo loco ædificatum eſt Deiparæ, è quo S. Eremita dæmonem in forma Draconis expulit, ſecurámque patriam fecit, quæ jamjam migrationem cogitabat. In beneficij hujus memoriam in hoc Cathedrali templo annuatim aguntur Deiparæ gratiæ Feſto S. Blaſij: tum quia hic urbis Patronus eſt, tum ne Feſtum Purificationis ſæculari pompâ minus devotionis naniſceretur. Cæremonia hæc eſt: figura Draconis affabrè facta à Republica inter tubas & tympana offertur Beatiſſimæ Virgini: ut ad me perſcripſit R. P. Ioan. Bapt. Rector Soc. IESU. Templum.

DCXXXIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE NOVA LUCE.
Catanæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. ***Ira maculæ tuæ non ſit pura gemma Dei.***

1. Terræ motus magnus.
2. Vox Cæleſtis.
3. Lux Cæleſtis.

ANno 1169. ut habet *Baron. Annal. t. 12.* die Febr. 4. id eſt, in vigilia S. Agathæ circa primam horam ejuſdem diei adeò vehemens terræ motus totam Siciliam concuſſit; ut in Calabria quoque circa Rhegium urbem, & oppida proxima ſentiretur. Catanenſiū opulentiſſima civitas uſq; adeò ſubverſa eſt, ut vix una domus in ea ſuperſtes fuerit, quæ non graviſſima damna paſſa ſit: viri & mulieres circiter quindecim millia, cum ipſo civitatis Epiſcopo, maximáque parte Religioſorum, ſub ruina ædificiorum fuerint oppreſſa. Ruina.

Hoc idem etiam legitur apud *Petrum Bleſſenſem* & *Hugonem Falcandum.* Dum hæc fierent, audita eſt vox hæc de cælo: *Salvum te fac in monte.* Ad locum igitur oraculi præſignatū accurrunt, qui ſupererant

rant Catanenſes; auxilium protectionis à Domino gemebundis clamoribus gemitibúſque exoraturi. Cúmque, quid in tanta calamitate conſilij caperent, nemini facilè occurreret, illico clariſſima lux ſuboriri viſa eſt, cujus fulgor ita aſpicientium oculos mentéſque alliciebat; ut aliò viſum avertere præ admiratione nequirent. Lumen igitur illud propiùs intuituri accurrunt: nec aliam hujus fulgoris radicem inveniunt, quàm Deiparæ per amœnam Iconem, vocis fulgoríſque indicio oſtenſam: eſt illa coloris fuſci; manus velut auxilium datura protendit.

Fulgor.

Conceptâ ſpe, Catanenſes venerabundi in genua procidunt, ſe ſuáque Deiparæ commendant, nec difficulter impetrant: jam enim illi, quos divina vindicta petebat, perierant, ut obſervat *Petrus Bleſſenſis.* Quare Catanenſes illo in loco ædem Deiparæ ſtruxerunt, dedicârunt, titulúmque dederunt *de Nova Luce*, adjunctum poſtea non longis pòſt annis Ordini Carthuſiano Monaſterium. Etiamnum durat pietas Catanenſium in hanc miraculoſam Imaginem: Sabbatis præſertim toto anno. Pendent è muris Anathemata, teſtantúrque & olim, & hodie munificam Patronam. Felices hac novâ luce Catanenſes, per longa tempora immunes fuêre à certis plagis. Hæc R. P. Rector Catanenſis, Soc. IESU.

DCXXXIV.

Imago B. V. Miraculoſa S. HERIBERTI. *Tuitij in Germania Inf.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Dei vat, Mater pura omni maculâ genita.*

1. Ex Fano templum.
2. Imperator liberalis.
3. B. V. eligit locum.

IN Monaſterio Tuitienſi, quod eſt ad Rhenum fluvium prope Coloniam Agrippinam, *S. Heribertus* Deiparæ oratorium extruxit, ſumptus porrigente *Ottone* Imperatore. Porrò cùm S. hic Epiſcopus Colonienſis, illum maximè locum ſcire deſideraret, qui præ cæteris arrideret Virgini, non diu dubium reliquit ſervum ſuum Benigniſſima Mater; ſed ei præſentem ſe ſtitit, & locum oſtendit, ubi olim idolorum cultus maximè vigebat: hunc obrutũ, inquit, mundari cura; in hoc mihi Oratorium conſtrue; ut, ubi abundavit iniquitas, ibi juſtitia regnet in multitudine Sanctorum. Ita Chronicum Colonienſe.

Apparitio.

DCXXXV.

. D C X X X V.

Imago B. V. Miraculoſa.
GENUENSIS.
Madriti in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Genita Deo amatur ſine impura macula.*

1. Mutatio Conſilij.
2. Plauſtrum immobile.
3. Sedes in B.V. electa.

EX urbe Genuenſi allata Madritum uſque creditur, & Atochano Monaſterio RR. PP. Dominicanorum deſtinata, mutavit tamen ſententiam, qui eam huic loco deſtinaverat, & aliò eam portaturus erat: cùm plauſtrum, quo vehebatur, immobile ante Cœnobium conſtitit, nullis jumentis aut machinis movendum. Itaque huic Monaſterio Atochano ceſſit, ut ait Quintana, lib. 3. c. 41. Bovet. Non oberit, ſi Lector ſibi in memoriam revocet vaccas, quæ in veteri Teſtamento Arcam fœderis ſuo arbitratu tracturæ, in eum locum devenêre, ad quem debebant. Sunt etiamnum plurimæ hiſtoriæ lectu dignæ, quæ referunt, jumentis relictam eſſe loci electionem, quo Virgo Deipara honorari deberet: ita lis deciſa à jumentis, & eorum ſententia libentibus animis excepta, honores optatos Virgini Deiparæ decrevit.

D C X X X V I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE LAPIDIBUS.
Madriti in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Maculâ avitâ ſemper munda ito Regina.*

1. Statua loquens.
2. Mater Dei.
3. Oratio placens B.V.

IN Virginum Cœnobio, quæ ſub Regula S. Dominici vivunt, miraculoſa Deiparæ Imago colitur, quæ nomen *de Lapidibus* habet: unde hoc nomen acquiſiverit, non legi, crediderim eſſe à numero lapidum pretioſorum, quibus Statua ſacra ornata eſt, ut aliunde ſuam originem & primum cultum habet, certè cultûs venerationiſque ingens augmentum accepit, cùm ipſa voce diſtinctâ fœminam allocuta eſt. Viſio. Hæc ante altare flexis genibus voceque clarâ nil aliud ingeminabat, quàm verba illa Deiparæ gratiſſima *Mater Dei, Mater Dei, Mater Dei.* Tum verò Deipara è Statuâ illi clarâ & intelligibili voce ſubjunxit hæc verba: *Et etiam hominis*, quia nimirum homo, quem peperit Virgo, Deus eſt. Hinc S. Statuæ cultus. Blaſcus.

DCXXXVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE LOKERE:
Gandavi in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Regina tutò pia, alma micas, verè munda.*

1. Manus Domini tetigit blaſphemum.
2. Vindicta Dei.
3. In quoquis peccat, &c.

QUatuor milliaribus pagus *Lokere* diſtat ab urbe Gandavo: hîc Deiparæ Statua colitur, quæ IESULUM gremio tenet. Hanc, cum Iconoclaſtica fureret inſania, quidam deturbare conatus; tandem luxavit ita, ut Statuæ cadendum eſſet; & cecidit ſanè, cecidítque hoſtem ſuum ita, ut IESVLVS, qui manum habebat protenſam, in caput Iconomachi impingeret, & maxillam perforaret; caſu hoc accidiſſe Iconomachis, negandum non eſt; miraculo tamen non caruit, quòd manus IESULI tam dextrè maxillam blaſphemi perforârit. Utinam præter nos & ille credidiſſet, cui accidit. Ita Bredenbachius.

DCXXXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE MONETA SOC. IESU.
Smolenſci in Moſcovia.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Munda, aperta micas, mugiat Averni leo.*

1. Pecunia robur.
2. Imago invulnerabilis.
3. Incuria innocens.

REm affero, quam raritas commendat Lectori. Anno 1553. Hamburgi notiſſimâ urbe Germaniæ viſa eſt moneta Imperialis, quam nos Germani *Daleri* nomine honoramus: una ex parte, Hamburgenſis urbs videtur, cum inſcriptione: *Moneta nova civitatis Hamburgenſis*; altera ex parte ſedens B. Virgo, cum inſcriptione: *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Hæc moneta inter Cimelia Congregationis Marianæ, quæ fuit Smolenſci in Moſcovia juxta Collegium Soc. IESU, etiamnum conſervatur. Tanti honores nunquam, quod ſciam, pecuniæ ulli exhibiti. Originem ut clarè afferam, pono ipſa verba Domini *Nicolai Waronicz* Lituani, ejuſdem Congregationis Sodalis.

Congregatio. Anno, inquit, 1619. die 17. Oct. convenerant in ædes meas Smolenſci nonnulli commilitones, nominatim *D.*; *Albertus Zebrovvſcki* adhuc ſuperſtes; *D. Andreas Laliſzevvſchi* & *D. Adamus Pietraſzbievviz* jam vitâ functi, atque *Adamus Samovvſchi* meæ cohortis ſubcenturio

centurio. Ex his ſecundus, piæ memoriæ, *D. Andreas Kaliſzevvſchi*, poſt familiarē conſeſſum, & aliqua ultro citróque militariter collata jactabat frameā ſuam, præſcindendo imperiali Dalero aſſuetam. Cujus ut periculū faceret, ad inſtantiam cæterorum, imperialē hunc nummum (non inſpectâ hâc formâ) diffindendum ſubiecit, ſimul præfatus Dominus impacto ferro cùm irrito conatu ter Monetam petijſſet, & ad ſingulos ictus intacta Moneta ſubſiliiſſet, ſucceſſorem in hoc opere habuit *D. Albertum Zebrovvſcki*, qui pari fortitudine, ter adacto ſuo acinace, eundem eventum, ut alter, reportavit, id eſt, ſubſilientem Monetam fortiter quidē tetigit, ſed non læſit.

Moneta.

Neque felicior fuit ſors Domini *Adami Pietraſzkievviz*, ſimiliter prorſus ferrum in ſubjectum metallum adigentis. Hic jam ſubcenturio meus *Adamus Samovvſcki*, precibus apud me egit ut in præfato Numiſmate ſpecimen ſui roboris, & gladij, dare ſibi per me liceret, impetratáque à me copiâ, tribus irritis vicibus plagam infligere ferro voluit, donec ſubſiliente (quemadmodum aliâs factum) metallo, impotens iræ homo ulturus ferri pervicaciam, in januam domûs adegit mucronem, quo in partes diſſiliente, vulnus etiam ab eodem reportavit, ad extremum ego ipſe ter diſtrinxi mucronem, eventu eodem, quo alij, niſi quòd ad tertium ictum in terram deciderit, ſtatímque ſuſpicatus, quod erat, nec tamen antea mihi compertum, nunquam viſo ſimili nummo, Imaginem Beatæ Virginis Imperiali impreſſam, è terra ſuſtuli; quâ animadverſâ religione omnes tacti, ferme obriguimus, atque ita perterriti conſeſſum præſentem ſolvimus, alterâ deinde die adij *R. P. Iavvorſki Soc. IESU*, eíque numiſma deferens, rem ut erat, fideliter deſcriptam expoſui, quam & jure jurando interpoſito teſtor, *Nicolaus Waroniec*.

Gladius.

Rem hanc ad Leges Canonicas ritè & ſeverè examinavit anno 1648. *Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus Petrus Parozevvſcki Epiſcopus Smolencenſis*, probavítque. Conceſſit inſuper, ut hæc miraculoſa Deiparæ effigies publicæ venerationi exponatur, confectúmq; Diploma Congregationi dictæ tradidit. Omnia hæc, unà cum pictura Monetæ, ad me miſit *R. P. Albertus Koialovviz*, Rector Collegij Vilnenſis, cùm jam Smolenſcum in manus Moſcorum veniſſet: & hic ipſe nummus inter Congregationis ſacra cimælia hodie Vilnæ eſt.

Eviſcoi pub.

D C X X X I X.

Imago B. V. Miraculoſa.

HENNEBERGICA.

Hennebergi in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Leo rugiat, munda emicas, purè animata.*

t. Mu-

1. Mutatio nominis.
2. Cantus Angelorum.
3. Concurſus à longe.

NOmen loci antiquum tanquã notius pono; mons hic jam dudum habitatus à RR. PP. Benedictinis, olim *Mons Gallinarum* dictus, nec adhuc apud plures aliter audit, nomen ſuum, jubente Reginâ Cæli, mutâſſe creditur per oraculum *Callixti Papæ II.* qui Kalend. Aprilis Anno 1119. juſſit, ut vocaretur *Mons Angelorum*. Cùm enim dedicatum illud templum Deiparæ eſſet, & cultus Imaginis apud Subſilvanos Heluetios inteпuiſſet; cantus Angelorum auditus eſt, Deiparam in hac Imagine honorantium, unde *Callixti Papæ II.* Privilegia, & gratiæ, & populi major in Deiparam pietas. Hodie celebratur peregrinationibus, & populi pio accurſu. Plura de hac S. Imagine Chriſtophorus Hartmannus in Annalibus Eremi Deiparæ.

D C X L.

Imago B. V. Miraculoſa.

MATER ADMIRABILIS.

Ingolſtadij in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Animata, o Cæli Virga! tu ſemper munda.*

1. Quæ vocatio cujuſque.
2. Titulus B.V. gratiſſimus.
3. Colloquium Ingolſtadienſe.

HÆc S. Imago in altari *Colloquij* ſeu Congregationi Convictorum S. Ignatij Martyris. De hac ſcripſi in Idea Atlantis Mariani, quam olim Tridenti edidi: eadémque, quæ ibi ſcripſi (quia quod meum eſt, ſemper meum eſt, niſi ego velim contrarium) hîc ad verbum repetam, & quia libellus ille meus, *Idea Atlantis Mariani*, jam mihi ad manum non eſt, ex eo auctore deſcribam, qui & hanc, & omnes alias hiſtorias, paucis exceptis, ad verbum, ſine meo nomine, in libro quodam ſuo fideliſſimè impreſſit, & ſuis hinc inde miſcuit; itaque ſic ille ad verbum ex me habet. Mater admirabilis, quæ in Conventu Studioſorum pertinente ad Collegium Societatis IESU Ingolſtadienſe in Bavaria colitur, ectypon eſt deſumptum à prototypo S. Mariæ Majoris. Cœtus hic à *R. P. Iacobo Rhem* P. M. inſtitutus *Colloquium* vocatur, & qui in eo ſunt, Colloquiſtæ.

Convi-ctum.

Habent illi traditione indubitatâ, titulum Beatiſſimæ Virgini inter omnes gratiſſimum eſſe, ſi *Mater* vocetur *Admirabilis*, unde eum titulum quoties Litanias Lauretanas vel cantant, vel dicunt, ter repetunt. Imaginem ſæpius locutam fidelis traditio dubitare non ſinit. Hoc hodieque multis perſuaſum, de vitæ ſtatu eligendo deliberantes vix uſpiam certiùs de Numinis voluntate fieri certiores. Reliqua, quæ hujus rei exempla habentur, quia fide digna ſunt, cum admiratione memorantur, unum ſcio. Hæc ille ex

me

Colloquium. me, unde autem reſcitum fuerit, hunc, *Mater Admirabilis*, Deiparæ eſſe gratiſſimum, hinc eſt, cùm Sabbato ſub Veſperum ſolito more cantarentur Litaniæ, optimus ſenex in angulo ſolus flectebat, ſuavibus colloquijs cum Deipara intentus: quærebat is inter alia, quis ei titulus eſſet omnium gratiſſimus, tum Deipara ei apparens, cùm ad hæc verba perventum eſſet, hunc eſſe ſignificavit, tunc ſenex ſui oblitus (nec enim erat prodigus ſecretorum ſuorum ſpiritualium decantator) ad Muſicos, uno alteróve paſſu diſtantes converſus imperat, ut ter repetant hæc verba, paruerunt illi velut PræſidiColloquij, non ſine admiratione omnium, dilapſo conventu nemo fuit, qui non vellet ſcire, cauſam, quæ ſenem ad hoc imperandum impuliſſet, coactus eſt Superioribus ingenuè fateri, quod erat, hinc ab eo tempore mos increbuit, ut ter repeteretur. In felicitate mea numero, quòd hæc non in ipſo tantùm loco audiverim; ſed quod à nobili *Domino de Sigenhauſen* jam ſene audiverim, qui non ſine pia jactantia narrare ſolitus eſt, ſe fuiſſe illum cantorem, cui hanc repetitionem ſanctus ſenex imperavit.

DCXLI.

Imago B. V. Miraculoſa.
ARBOREA.
Pezzuræ in Moſcovia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Munda Virgo pia Cælum renites amata.*

1. *Moſcorum ignorantia.*
2. *Imago B. V. enata ex arbore.*
3. *Miracula apud Moſchos.*

Jam ſuprà dixi, Moſcos in cultu Imaginum ab Eccleſia Romana diverſos non eſſe, niſi quòd ex ignorantia potiùs, quàm ex malitia ſculptas diſcerpant & aboleant. Eſt, quod nuſpiam legi, prorſus ſingulare de Statua, quæ colitur in Monaſterio Pezurenſi. Hæc enata ex arbore eſt, & proportione ſua Deiparam quàm optimè refert, nec caſu hoc factum eſt, quando & miracula memorantur ad hanc ſacram Iconem facta. Hinc populi accurrentis cultus, quin & ipſius magni Ducis Moſcoviæ, qui locum ditavit magnis proventibus. Hæc Imago ſculpta non eſt; quia tamen plus quàm naturæ manu facta eſt, in honoribus eſt. Plura apud *Eidenthenum* de bello Moſcovitico, libro quarto. Arbor.

***

DCXLII.

Imago B. V. Miraculoſa. S. APOLLINARIS. *Romæ in Italia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Amata en! legitimè vocaris munda pura.*

1. In veſtibulo templum.
2. Cruſta muri.
3. Pictas Cardinalis.

TEmplum perantiquum S. Apollinaris unà cum Palatio adjuncto tradidit *Gregorius XIII.* ſummus Pontifex nationi Germanicæ, in qua Philoſophiæ, & Theologiæ operam navant juvenes, poſt Sacerdotium redituri in Germaniã ſubſidio fidei Catholicæ, floruit ſemper à primi inſtitutoris tempore, qui fuit *S. Ignatius*, in veſtibulo templi anno 1491. Imago Deiparæ cum IESULO picta eſt juſſu Cardinalis *Eſtontevilla*, qui in Palatio vicino habitavit, commodum accidit, quòd eâ altitudine uſus ſit pictor, tum futurorum ignarus quæ altari convenire poſſet.

Muri.

Anno 1642. decidente cruſtâ muri, quam neſcio quis templi illius vel reformator, vel ſemiarchitectus induxit: apparuit Imago decora ſitu bono, talis denique, quæ mereretur, ut in ejus gratiam ex veſtibulo fieret templum, accurſus & fiducia Romanorum ſtatim, nec difficulter à Virgine impetravit gratias miraculoſas: & eſt in tanto honore; ut templi inſtar habeatur, parietes tabellis per omnem partem veſtiuntur, loquente picturâ miracula à Virgine impetrata.

Vidi ipſe.

DCXLIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE VALLE. *Bæticæ in Hiſpania.*

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Pura mamma nata Deo jurè ignita luces.*

1. Puer incautus.
2. Amor filij.
3. Miraculum putei.

VRbs Bætica inter alia ſacra Imaginem Deiparæ habet miraculoſam, quam colunt in templo RR. PP. Hieronymianorum, cujus originem non legi: ingens tamen augmentum pietatis, & accurſus eſt ex miraculo inſigni. Mulier domum habuit Monaſterio vicinam, quâ tantiſper relictâ Hiſpalim abijt cum filiolo, & domicilium ibi fixit. Contigit, ut puer ex fabulâ Narciſſi faceret hiſtoriam, deſpiciens enim in puteum, ſeque in aqua conſpiciens,

ſeſe

ſeſe alium putabat, puerúmque erepturus aquis, ipſe in aquam decidit,& ſubmerſus eſt.Mater inter clamores & luctus extractum puerum Deiparæ *à Valle*, quam in Patria ſua urbe Bætica coluerat, offert, & cum puero, ſi reviviſceret, domum ſuam Monaſterio proximo non incommodam. Vix votum fecit, voti rea eſt facta: nam putei aqua uſque ad eam altitudinem aſcendit, puerúmque tulit, ut Mater eum apprehendere & extrahere quàm commodiſſimè poſſet ſanum & ſalvum, &, quæ ante memoravi, narrantem. Ita Felix Aſtolfi.

D C X L I V.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE VICTORIA.
Panormi in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Luces, io! tu pia agna, munda, mira & mera.*

1. B. V. cum vexillo.
2. Templum pro victoria datum.
3. Exacti Mauri.

DUos Heroës, quibus Sicilia debet libertatem ſuam, *Robertus* & *Rogerius* Comites anno 1071. Panormum obſederunt, exacturi Mauros; opémque Virginis more ſibi conſueto implorârunt; exauditas preces victoria probavit: nam eodem tempore ingreſſi urbem ſunt, Robertus per *portam*, ut vocant, *ferream*; Rogerius per eam, quæ *Anguſta* vocatur: hic à meridie; ille ab occaſu. Traditio fidelis habet, Deiparam cum vexillo conſpicuam ſe præbuiſſe Rogerio, & præiviſſe, certè eo in loco templum Majores ædificârunt: & Imago altari impoſita Deiparam refert, vexillum manu geſtantem, in beneficij memoriam: & ut poſteritas minùs dubitaret, hanc addiderunt inſcriptionem.

Porta hæc, in quam Rogerius, invictiſſimus Siciliæ Comes, irrumpens, aditum exercitui Chriſtiano ad urbem hanc Panormum, ab indigna Saracenorum ſervitute emancipandam venienti patefecit, Victoria cognomento, ab eo devictorum hoſtium ſummo cum honore ob inſignem reportatam victoriam Deiparæ Virginis cultui, victoris ejuſdem Principis ardenti ac pio deſiderio, conſecrata eſt, Quinctili menſe, Dominicæ Incarnationis anno MLXXI. Ita R. P. Octavius Cajetanus S. I.

D C X L V.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE ARCA.
Bartenæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Mera magna & munda Cæli vivis porta.*

1. Paſtor invenit Imaginem B.V.
2. Splendor Cæleſtis.
3. Templum Regium.

QUę hîc colitur, à Paſtorculo inventa eſt Imago, inſolitæ lucis indicio è fruticeto roris Marini: quis eam illuc abiecerit, ignoratur. Miraculo attonitus, & conſilij inops puer, tranſeuntem venatorem interrogavit; is ad villas accurrit, populos accivit, ut ordinatâ ſupplicatione ad miraculum lucis properarent: quod & nôn difficulter à pijs impetravit. Sic S. Imago templo illata eſt, & miraculis magis, quàm ante luce coruſcare cæpit. Porrò nomen *ab Arca* ſumpſit hæc S. Imago: quia Rex *Sanctius* ab Arca locum, in quo inventa eſt, ædificavit. *Blaſcus*, qui hæc ſcribit *tomo 1. l. 5. c. 33.* plura non addit. Lux.

D C X L V I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE FONTE.
Ravenoſæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. Porta una gemmea una mirè clauſa Diti.

1. B. V. liberalitas.
2. Fons pro exercitu.
3. Victoria notabilis.

VRbs olim hîc ſtetit ejuſdem nominis, ſed non eadem, quę nunc hæc nempe bellorum eſt mutatio. Hanc cùm Saraceni tenerent & pius *Rogerius Comes* ſuam eſſe vellet, id eſt, Chriſtianorum, eam obſedit, obſeſſus ipſe cum exercitu à ſiti, quæ plus damni ſuis inferebat, quàm ipſe hoſtibus Saracenis: rogavit itaque Deiparã, ſuccurreret laborantibus pro ſe Chriſtianis; Apparitio. illa apparens *Rogerio* juxta tentorium, monſtrat locum, in quo fons inveniendus eſſet, non diuturnâ foſſione ſuffecturus totis caſtris, ſimúlque (quia plus dat, quàm petatur) fratrem ejus ab ægritudine jam liberum indicat, & videri deſinit. *Rogerius* factâ foſſione fontem reperit: fratris ſanitatem per nuncios intelligit: & urbe captâ Saracenos partim in fugam agit, partim trucidat; ſupererat debita gratiarum actio, & perpetua rei memoria.

Itaque Rogerius in loco templum Deiparæ ſtruxit, cujus Imago hodieque miraculoſa eſt. Adeſt adhuc teſtis ipſe fons: adſunt loquentes picturæ in muro, quæ vetuſtate nonnihil obſcuratæ, nuper novis coloribus inductis renovatæ ſunt. Hæc ex Relatione Cœnobij Ravenoſæ R. P. Octavius Cajetanus, Soc. IESU.

DCXLVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE GRATIA.
Freſnedæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Diti ignota, nam mera, ſeu pura maculâ.*

1. Felix puella.
2. Imago redit ad locum.
3. B. V. placent ſimplices.

ITerum Deipara fœminam elegit; dignámque fecit, quæ Imaginem reperiret miraculoſam, & quidem penè infantem. Quid hìc tumidi ſapientes? Ringantur licèt, hæc tamen à Superis fiunt. Quid quòd & miracula citiùs facta invenias cum peccatoribus graviſſimis, quàm cum ſuperbo. Paſtorcula in montibus *Freſnedæ* vicinis hanc Imaginem invenit, & quia placuit, domum ad parentes detulit: qui & ipſi ſingulari favore exhilarati, locum Imagini dedêre tota in domo decentiſſimum, ſed Imago deſiderans proprium & meliorem, redijt eò, unde erat aſportata: quam altero die puella ibidem reperit.

Hæc *Freſnedæ* incolis puella dixit: & quæ agricolarum eſt felicitas, ſine teſtibus, & juramentis, ſine calamo, cera, & ſcriptura creduli, deceptionem nullam incurrêre. Ad locum turmatim advolârunt: & nullo alio petito miraculo, Sacellum conſtruxêre, quod poſt aliquot annos RR. PP. Paulinis ceſſit: qui tamen propter loci aſperitatem S. Imaginem jam non repugnantem *Freſnedam* ad ſuum Conventum detulêre: ubi hodieque miraculorum famâ illuſtris eſt. Mirentur hæc mundi ſapientes, nam ijs mira hæc non ſunt, qui ſciunt, Deo converſationem eſſe cum ſimplicibus. P. Lucas Montoya in Chronico l. 3.

DCXLVIII.

Imago V. B. Miraculoſa.
DE LUCE.
Drepani in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Maculæ damni ignota pura IESU Mater.*

1. Porta B. V.
2. Imago B. V. in porta.
3. Translatio Imaginis.

HÆc Imago jam anno 1211. fuit miraculoſa, ita ipſi Imagini adſcripti numeri teſtantur. Certè hoc nomen miraculoſæ ita antiquum habet, ut ejus initium & originem nemo invenerit. Nomen *à Luce* habet: quia puer IESUS, qui Matris genibus inſidet, manu candelam tenet accenſam. Stetit plurimis annis ad portam urbis: unde porta illa, nomine à

Beata Virgine accepto, vocata eſt *Porta B. Virginis*, quam quia ad urbem muniendam deſtruere debebant architecti, pepercêre Imagini miraculoſæ, eámque cum pompa ad templum proximum tranſtulêre; quod item jam nomen ab hac vicina Imagine habebat: ubi miraculis prioribus miracula nova addita ſunt. Crevit etiam pietas, ita ut Senatûsconſulto anno 1603. in templum S. Juliani vaſtum, & pietatis popularis capax, transferretur; quod & SS. Apoſtolorum Petri & Pauli Feſto ſummâ pompâ peractum eſt. Iterum cum pietate creverunt numero & raritate miracula, hodieque non deſinunt Drepanitanis fieri à Virgine beneficia propter ſummam & ſingularem in Deiparam pietatem. Ita R. P. Octavius Cajetanus, Societatis IESU.

Muſtio.

DCXLIX.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE ZARGA.
Aliagæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Mater agni pura, io! nudè Immaculata es.*

1. Imago B. V. loquens.
2. Reditus ad locum.
3. B. V. templum petenti negatur.

Aliaga Hiſpaniæ pagus eſt: hinc ſummo manè ruſticus in agrum profectus ad culturam: nondum quingentos paſſus extra pagum progreſſus, in vepribus Deiparæ Imaginem conſpicit, quin etiam loquentem audit. Juſſerat illa, Aliagenſibus ſuaderet, templum hic ædificarent. Fecit ille imperata, ſuaſitque templum: ſed plus non perſuaſit, quàm ut eam decorè deportarent in pagi templum Parochiale. Virgo non contenta, more ſuo ad vepres reverſa eſt, ſpreto templo pagi: ut quæ novum ſibi vellet à fundamentis extrui: quod Aliagenſes ſecundo miraculo permoti fecerunt, non expectantes tertia imperia. Habet nunc ſodalitium anno 1406. inſtitutum; quod Statuã miraculoſam piè & decorè curat, & accurrentis populi pietatem promovet.

Vepretum.

Blaſcus tom. 1. lib. 4. c. 12.

DCL.

Imago B. V. Miraculoſa.
AD S. THECLAM.
Panormi in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Es animarum mel, io! pura intacta gaude.*

1. Opus

1 Opus S. Lucæ.
2. Martyrium pro mercede.
3. Sancti curant reliquias.

HIſtoria hujus S. Imaginis eſt mirabilis, S. Lucæ opus eſt, quod S. Thecla S. Pauli diſcipula ab ipſo pictore impetravit, anno 1219. locum habuit Alexandriæ in templo S. Ioann. Baptiſtæ inter alias reliquias. Tunc in Orientis eremo trahebat auſteram vitam *S. Angelus* Eremita. Huic, Virginis filius maternæ gloriæ conſulturus, & urbi jamjam capiendæ ſubtracturus hunc theſaurum, apparens, eum jubet proficiſci, in Siciliam, & fidem prædicare: & ut ad imperata volentem haberet, Martyrium promiſit in laboris mercedem, priùs tamen Alexandriam vade inquit, & quas tibi cum Imagine Matris meæ reliquias daturus eſt Patriarcha *Athanaſius*, Romam defer ad ſummum Pontificem Vicarium meum.

Lætus Martyrij mercede *Angelus*, ante omnia valedixit Eremo, & Alexandriam properavit ad *Athanaſium*: cui jam *S. Ioan. Baptiſta* apparens, Iconem Virginis datæ Angelo venturo præceperat unà cum ſuo crure, (quod utique non cum reliquo corpore, ſi manum & caput excipias, combuſtum eſt à Juliano apoſtata) capite Hieremiæ Prophetæ, & brachio S. Catharinæ, &c. Patuit Athanaſius Angelo Cæleſti, & *Angelo* terreſtri tradidit has reliquias. Hic Romam tulit, tradiditque Pontifici. Verſabatur in Aula Pontificis *Fridericus* Athanaſij Frater Panormitanus hic cùm ſummo Pontifici eſſet acceptus, facilè pro Patria ſua Panormo obtinuit Deiparæ Imaginem, quam *S. Angelus* Panormum à Chriſto & Vicario ejus, miſſus ſecum tulit: ubi hodieque inter cimelia Panormitanæ Eccleſiæ ſervatur, & ſolennibus ſupplicationibus honoratur, habeturq; inter miraculoſa. Cæterùm nullum in ſpecie ad me miraculum perſcriptum eſt. De hac S. Imagine ſcribit Thomas Belovtoſcus, & D. Ioan. Baptiſta Roſa Canonicus Panormitanus in vita S. Angeli Martyris c. 12. & ſequentibus.

D C L I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE PRATO.
Camarilli in Hiſpania

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Gaude in Sion Immaculata pura Mater.*

1. Fæmina aratrix.
2. Pater ſolicitus pro filia.
3. Cæci illuminatio.

CAmarillis villa eſt parùm ab urbe Terveliâ diſtans. Hic cæci parentis filia agrum patris colebat, & boves ipſa diligens arabat. Pater licèt cæcus, filiam Virginem ne ſola eſſet, ad uſque laboris locum comitari ſolitus erat, Virgini filiæ, nequid ſiniſtri pateretur ſcilicet proſpecturus.

Con-

Contigit, ut ſilicem quempiam boves offenderent, qui aratro ſecuturo moram eſſet facturus, quamquam ipſi ceſpitando eum pertranſierint, puella poſtquam notâ voce ſiſtere juſſit jugales, ſilicem non adeò magnum movit loco, Lapis. & ad latus devoluit, & inter cæleſtes fulgores Imaginem Deiparæ invenit, quam hactenus ſilex texerat, eam quamprimum inter feſtivos clamores patri affert, qui in genua provolutus, à Virgine viſum petijt, & quamprimum obtinuit. Incolæ Camarillani, intellecto miraculo, quamprimum in loco Sacellum erexerunt, & Imagini nomen, *à Prato* dederunt, venuſtiſſima eſt Imago, IESULUM brachio ſiniſtro geſtat, & ſodalitio honoratur. Blaſcus t. 1. l. 4. c. 11.

D C L I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE CATENIS.
Panormi in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Mater Regia, vita munda nam opus Cæli*

1. Rupta vincula.
2. Tempeſtas favet reis.
3. Imago loquens.

REgnante Panormi Rege Siciliæ *Martino*, tres ad furcam damnati ducebantur, quæ etiamnum in platea, adoram maritimam viſitur: cùm repentè tanta tempeſtas inter tonitrua & imbres ingruit; ut & populus diffluerat, & reorum cuſtodes, cum lictoribus carnifices ad vicinum Deiparæ Sacellum cum reis ſe ſubducerent, ſævitia tempeſtatis toto illo die duravit, ſuadebátque lictoribus nox ingruens, vinculis addere catenas, in quibus ſecurius pernoctarent rei, primo mane in furcam agendi.

Ita poſt clauſas Sacelli portas Somnus. & ipſi clauſerunt oculos, & ſomno ſunt correpti: an priùs ſe Deo Chriſtiano modo commendârint, dubium eſto: quia hi homines ſi milium virtutum uſum non habent. Dormientibus lictoribus; non dormierunt rei: ſed rei ſuæ non negligentes, vigilias duxêre inter preces, non ſine ſpe libertatis: quam quidem jura Eccleſiaſtica jam dediſſent templo incluſis, ſi doctiſſimus Panormitanus Abbas nondum natus, cives ſuos docuiſſet, quæ poſtea ſcripſit: hæc enim contigêre Anno 1390. Illi itaque tum innocentiâ ſuâ confiſi, tum Patrocinio Virginis animati: forte, inquiunt, hæc tempeſtas in noſtram libertatem & ſalutem ſævit, Tempeſtas. quin quòd etiam fortè non aliam ob cauſam in hoc Deiparæ Sacellum deducti ſumus, quàm ut inde libertatem auferamus, dum ita inter preces ſperant, ſoluuntur vincula, catenæ ſine ſtrepitu decidunt, porta aperitur, per quam illi egreſſi nil manè diſſimularunt, nec turpi fugâ ſe ſubtraxerunt, voce animati, quam ſibi ex Imagine prodeuntem viſi

ſibi

ſibi ſunt audire: *Abite jam liberi, nec impoſterum timeatis: etenim annuit meis precibus filius, quem in ulnis gero, & vos è vinculis exemit.* Poſtquam ſol oriens & lictores expergefecit, & vincula ſine vinctis videre fecit, perluſtratâ urbe non difficulter invenerunt, quos quærebant, ducturi viâ quàm rectiſſimâ, (quid enim huic hominum fæci cum miraculis?) niſi fuiſſet, qui ad Regem ducendos clamaret. Rex reos abſoluit, & inter populum accurrentem & ipſe cum Regina ad Sacellum venit, viſurus gratias miraculoſas, de quibus jam fama increbuerat. Hinc & Imago poſthac dicta *de Catenis*, & ei novum ædificatum templum Porphyreticis, columnis nobile, quod hodieque extat. Demum ritè ſupplicationibus invocata, hodie pluvias neceſſarias largitur. Feſtum celebratur 18. Aug. quo die hoc miraculum Catenarum contigiſſe creditur. Extat in pariete pictura. R. P. Octav. Cajet. Soc. IESU.

Rex.

D C L I I I.

Imago B. V. Miraculoſa. DE PRATO.

Calatayjudæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Cæli gemma, i, nudè pura matutina Roſa.*

1. Felix arbor.
2. Supplicatio annua.
3. Duplex miraculum.

HUic urbi *Calatayjudæ* vicina eſt villa *de Sierra*, ex hac puella *Brigitta* oriunda fuit, quæ in vicino prato gregem paſcebat: cùm ſive contra ſolis ardorem, ſive contra pluvias ſecuritatem quæſitura, ad ulmum confugit, in qua conſpexit Deiparæ Imaginem. Quod hujus Imaginis fuerit primum miraculum, non conſtat. Conſtat tamen, illi Sacellum eſſe ædificatum, quia adhuc ſtat. Ab anno 1349. cultus miraculoſæ Imaginis, ſi fortè, ut fit, concidit, certè iterum erectus eſt, unà cum erectis annuis ſupplicationibus, quæ primo die Maij ad feſtum conveniunt. Originem autem ſuam hæ ſupplicationes habent ab inſigni miraculo, quod anno 1627. noſtrâ ætate contigit in perſona *Anna Lopezia* mutæ & paralyſi trimeſtri afflictæ: quæ ab utroque malo hîc repentè liberata eſt. Hoc miraculū ſecuta ſunt in dies alia. Blaſcus.

Sacellum

D C L I V.

Imago B. V. Miraculoſa. A' VILLA.

Panormi in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Gemma Tonantis Diva jure, ac almè pura.*

1. Villa S. Agatha.
2. Vultus ſtatuarum expalleſcunt.
3. Lapidis miraculum.

QUo loco *S. Agatha* nobilis Virgo & Martyr, aliàs ex urbe Catanenſi oriunda, Panormi villam habuit, eo loco majores templum excitaverunt eidem *S. Agathæ*, & *à Villa* nomen dederunt, quod etiamnum retinet. Hoc in templo Deiparæ Imago colebatur, quæ ut antea fortè miraculis clara non fuerit, eam tamen claritatem, quam hodie habet, à luſore accepit: qui cùm jam totus perditus eſſet, non abludens à moribus luſorum, inter blaſphemias templum hoc ingreſſus eſt, pugione armatus, in Virginis Imaginem pugnaturus, & damna ſua vindicaturus. Et vulneravit ſanè tam filium, quam Matrem: quorum vultus antea læti & roſei, expallucre ad tantum nefas: expalluit quoque & flagitij tanti perpetrator, & gradum promovere non auſus, immobilis ſtetit: dum ſupervenientes, ad judices proclamarent, & licto es: qui hominem ab aris abſtractum ex templo duxerunt ad ſupplicium, nemine uno præſente, qui gratiam homini ſceleſtiſſimo vel precaretur à Judice, vel optaret à Superis. Luſor.

Porrò ſupplicij locus ordinarius non fuit: ad murum ſuſpenſus eſt, quem porta templi è regione reſpicit: è quo muro lapis ultro exilijt, ut ex eo ſuſpenderetur. Ita lapides loquuntur, cæteris tacentibus. Pugio ad altare pendet: facies utraque pallida eſt. Vulnera etiamnum apparent: licèt hæc anno 1482. contigerint, res hæc in ipſo templo in tabella deſcripta legitur. R. P. Oct. Cajet. S. I.

DCLV.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE QUERCU.
Bordoni in Hiſpania.

Prögr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Pura nota maculæ veni, triadis gemma.*

1. Imago in quercu.
2. Pagus ædificatus propter Imaginem.
3. Templariorum Monaſterium.

PAgus iſte campus fuit, cùm Deiparæ Imago reperta eſt in humili quercu à puero paſtore qui gregi ſuo tum invigilabat. Imago folio quercino videbatur inſidere. Puer attonitus *Cantavieſam* cucurrit, rúricolas evocavit, qui ritu, quem docet S. Mater Eccleſia, Imaginem honorârunt, & poſt miracula Sacello donârunt. Placuit quibuſdam, hîc domos ædificare, & ſedem figere, certè præter alias domos Templarijs militibus Monaſterium hîc ædificatum eſt circa annum 1312. unde colligas, quantum Deipara hîc loci valuerit: hodie communiter vocatur dela caraſca, ut ait, Blaſcust. 1. l. 4. c. 3. Rußid.

DCLVI.

Imago B. V. Miraculoſa.

LAURETANA.

Racuiæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Gemma inviolata, rite pura ac munda es.*

1. Iudex occiditur à reis.
2. Mortuus apparens.
3. Anima defunctorũ honorant B. V.

IOannellus Jambrunus in urbe RacuiaStrategus mortem obijt, ut putatur, à latronibus occiſus, quos ex officio debebat ipſe occidere, poſt juſta funebria póſtque dies non multos viſus amico eſt, cujus januam denocte pulſans, amicum provocavit ad plateam: quem ubi ſolum habuit, timere vetuit primùm, deinde etiam ire, jam ſcientem, quis ei loqueretur, ad locum, de quo loquor, ubi ventum eſt, ſpacium Sacelli manû deſignavit Joannellus: tum; amice, inquit, domi meæ in thorace meo Pecunia. invenies centum aureos: his volo templum Deiparæ hic loci ædificari: quod de eſt, precare amicos meos, ut ſupplicant.

Cave autem, ne templo alium dent titulum, quàm *Lauretanum*. His dictis, diſparuit, noctem iſte in ſomnem egit interpavores, ſeciſque manè imperata, narrare hominem vera inſolitus pavor probavit: centum aurei in thorace reperti etiam dicta viſáque confirmârunt, ſed & aliud erat, quod dictis facere fidem poterat: Crucem, inquiebat, ligneam reperies, ubi primam foſſionem tentaveris. Inventa & hæc eſt, & diu in templo fuit aſſervata. Porrò his indicijs facilè moti parentes & amici, templum hoc Deiparæ extruxere, hodie miraculis Clarum R. P. Oct. Cajet. Soc. IESU.

DCLVII.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE VERVELA.

Vervelæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Es igitur ò purè animata, ac almè animata.*

1. Tempeſtas lapidea.
2. Petrus Borgia Dynaſta.
3. B. V. apparet Principi.

PEtrus de Atares Hiſpanus Borgiæ Dynaſta, venationi intentus, cùm Vervelam veniret, in tempeſtatem incidit, non jam grandines deijcientem ſed lapides, hæc venatores diſperſit: ipſe invocatâ Deiparâ brevi ſerenitatem cælo redditam vidit quin ipſa Virgo ſe ei ſpectandam præbuit è quercu ſublimis. Borgias Deiparæ non ingratus eo loco Monaſterium Ciſtercienſibus ædificavit, & Virgini templum, & in templo.

plo ſibi ſepulchrum, ipſi etiam filij tres juxta patrem ſepeliri voluere. Hujus apparitionis mentionem facit Antonius ſepes in Chron. Benedict. Cent. 7. c. 2.

DCLVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
IMPERLATA.
Panormi in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Munda vitè a caſu à pugione mali Mater.*

1. Unionum copia.
2. Pœna manus ſacrilegæ.
3. Pœnitentia publica.

MOnaſterium *Cancellarij*, hoc nomen habet à Cancellario *Matthæo* Wilhelmi Regis Siciliæ, qui id Virginibus ædificavit. Templo novo ipſe etiam tabulam dedit perantiquam, & picturâ Græcâ inſignem. Deipara IESULUM ſiniſtrâ tenet. Porrò quòd Deipara *Imperlata* vocatur, inde eſt, quòd duas coronas argenteas pro Matre & filio adjunxit, quæ quinque libras ponderant, mille quingentis unionibus decoræ, in corona Virginis ſeptem ſunt lapides ſardij, & uniones miræ magnitudinis, IESULI corona ſardios ſedecim, totidémque eximios uniones habuit, & ſingulares. Hinc nomen *Imperlata*, quaſi unionibus tectæ. Fuit, cùm mulier non è plebe una, unum ex unionibus raperet, & furti ſecura abiret.

In via cùm videre prædam vellet, manum aperire nequivit, compreſſis altiore vi digitis, quare cùm nullus conatus proficeret, ad S. Ædem regreſſa, cùm neque ante ipſum altare precibus quidquam efficeret, clamoribus & populum & Moniales accivit, & publicè confeſſa ſcelus, veniam à Virgine petijt; & impetráſſe credita eſt; quia manum explicavit, & furtum reddidit. Feſtum celebratur Dominicâ tertiâ poſt paſcha, quo die creditur hoc miraculum accidiſſe. Ita R. P. Octavius Cajetanus Soc. IESU.

DCLIX.

Imago B. V. Miraculoſa.
CIGUELANA.
Ciguelæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Mater, at ſummè pura Caſtiſſima divina.*

1. Supercilium montis.
2. Templo extructo perit timor.
3. Pietas ruſticorum.

NUnquam Ciguelani Agricolæ obtinebunt, ut factum eorum probetur à moroſis Catonibus rupes

rupes eſt alta, alto quoque ſupercilio ad formam conopæi prominente ſuperba, quis umbram hîc quærat, aut ſecurè quieſcat? imò quis viam ſub hoc tecto vel tranſeundo tentet? certè Ciguelanorum, quod ſciam, nemo tam audax fuit. Fuit, cùm puer paſtor ibi reperiret tabulam, in qua Deipara cum ſuo IESULO decorè ſedebat, immotam puer tabulam reliquit, & Ciguelanis ſe inventorem theſauri jactavit, illi accurrêre, & ut prima piorum cogitatio de templo eſſe ſolet, non difficulter templum decreverunt Virgini, ſed nec de loco quæſitum eſt. Fiat, inquiunt, ubi ipſa inveniri voluit, montis cura nulla nos tangit: illa rupem firmabit, ad ſe venientes tuebitur, finge caſuram: impavidos ferient ruinæ. Ita templum ædificatum hodie durat, nemine caſum rupis formidante. Blaſcus.

Paſtor.

***

D C L X.

Imago B. V. Miraculoſa.

N O V A.

Panormi in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Divina, ſuprema Mater, macula ignota.*

1. Lignum ferro durius.

2. Proceſſio inſtituta ab Epiſcopo.

3. Imago B. V. invulnerabilis.

VBi hodie templum *S. Mariæ Novæ* ſtat, olim fuit Zenodochium pauperum peregrinorem, quorum unus anno 1520, pellendo frigori ignem excitavit: huic alendo cùm ligna deeſſent, undique à peregrinis ramenta & ſarmenta conquiſita ſunt, unus eorum incidit in aſſerem, qui tum os putei tegebat: hunc ferro ſecturus in virgas & aſſulas, nihil profecit. Iterum igitur utraque manu ſectionem frequentatis ictibus tentat: ſed durior ferro tabula, ſectoris diligentiam eluſit, conſilium fuit, vertere tabulam, & ſectionem probare ex altera parte: ſed tabulam cùm vertere nullâ vi poſſet, clavum ratus, qui frequenti percuſſione tabulam fixiſſet humo, alijs modis tentat evertere pertinax lignum, riſum cæteris excitavit inanis peregrini labor: dum quiſpiam, divinorum magis intelligens, altiùs quid ſuſpicatus, tabulam luto fœdatam purgat, invenitque Deiparæ cum IESULO elegantem picturam.

Tabula.

Res Epiſcopo indicata fecit, ut alterâ die totum Clerum juſtâ ſupplicatione ſecum adduceret, factiſque Virgini conſuetis honoribus, non difficulter tabulam è terra ſuſtulit, & in decenti loco ſuper aram collocavit, locus, ubi tabula miraculosè & illæſa hæſit, ſtatim in templum eſt converſus, non ſine congeſtis eorum pecunijs qui curationes morborum à Beatâ Virgine impetrârunt, *S. Mariæ Novæ* anno 1520. quo hæc conti-

ſtre, fuit appellata, & licèt ultra ſæculum jam duret, novitatis nomen adhuc retinet. R. P. Octavius Cajetanus, Soc. IESU.

DCLXI.

Imago B. V. Miraculoſa.

TOBETANA.

Tobeti in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Ignota ruinæ Adami, lecta ſummè pura.*

1. Sudat Imago V. B.
2. Sudant Imagines Angelorum.
3. Maurorum Baptiſmus.

TRibus non ampliùs leucis diſtat ab urbe Calatacutana hæc Deiparæ Imago, vel ideo miraculoſa, quòd loco ſuo conſiſtens, Maurorum rabiem evaſerit, ſive eam non viderint; ſive timuerint, ſed & alio miraculo ſe illuſtrem hæc S. Imago fecit: quando anno 1526. cùm Mauri ad baptiſmum admitterentur, ſudavit: ſudaverunt quoque Angeli duo, utrúmque Deiparæ latus claudentes; & ne quid fraudi vel naturæ tribueretur, duravit hic ſudor ſex ſupra triginta horas, ſudavítque iterum hæc ſacra Imago anno 1610. quo Maurorum illorum poſteri ex regno Aragoniæ ſunt ejecti, guttæ porrò hujus ſudoris ejus coloris fuêre, cujus uniones eſſe ſolent, ex eo Imago inter miraculoſas numerata eſt, de alijs miraculis nihil ad me perſcriptum eſt. R. P. Chriſtophorus Fernandez de Acevedo. Mauri.

DCLXII.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE STELLA.

Grati in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Pura malo, ac magno Dei viventis Mater.*

1. Stella ſupra montem.
2. Specus felix.
3. Pietas ruſticorum.

IN Parochia Grateoſi etiam inventus paſtor eſt, dignus in eorum numerum referri, qui Deiparæ Imagines invenerunt; vel ut meliùs loquar à quibus non quærentibus hæ SS. Imagines repertæ ſunt, iſte non lucem, non fulgores cæleſtes vidit, ſed Stellam in Stella. ejus montis dorſo, ad cujus pedes oves paſcebat, ſtellam quoque ex illis non fuiſſe, quæ noctu nobis apparent, inde puer non inerudité Philoſophabatur, quòd ipſi montis jugo inſideret, itaque quid lateret, inquiſiturus, in caverna Deiparæ hanc miraculoſam Iconem reperit: quam Gratenſes quamprimum ædificato à fundamentis templo honorârunt RR. Patribus Franciſcanis dato. Gonzaga.

DCLXIII.

Imago V. B. Miraculoſa. DE IARAVA. *Iaravæ in Hiſpania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Mater increati ova viges munda palam.*

1. B. V. indicat locum S. Statuæ.
2. Statua propter hoſtes defoſſa.
3. Pietas ruſticorum.

IAravenſes, ingruentibus per Hiſpaniam cladibus, quas Mauri intulerunt, ſuam Deiparæ Statuam, ut multi alij, in montis ſpelunca abſconderunt. Fuère, diu, qui locum ſcirent. Sed poſtquam & nepotes, & nepotum nepotes, Maurico furori ceſſerunt, nullus ſuperfuit, qui de S. Statua quidquam ſciret. Iterum ergo paſtori contigit favor Virginis, quæ ei in rupe è monte paululùm eminente apparens, locum indicavit, in quo moniti Javarenſes ſuam Statuam invenère, & veterem cultũ novâ pietate revocârunt. Hinc miracula. Blaſcus l. 3. t. 1.

DCLXIV.

Imago B. V. Miraculoſa. DE PARIETE. *Heneſtæ in Italia.*

Progr. AVE MARIA; gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Palàm munda æternum ò civitas Regia.*

1. Irriſio piæ fœminæ.
2. Cruſta muri dat pecunias.
3. Spes non confundit.

IN Heneſtano oppido per antiquo RR. PP. Auguſtinianorum Cænobium ſterit, ſenectam ſuam ipſi muri quærebantur, tantùm non collabentes: nec Mecænas adfuit, qui vel hos reſtauraret, vel eorum loco ſtrueret novos. Fæmina fuit, quæ ſe aiebat non morituram, priuſquam hoc Monaſterium ad Deiparæ honorem unà cum templo reſtauraret, meritò *Petrucia* (nam hoc nomine vocabatur) riſum tulit apud eos, qui ejus non alias opes ante oculos habebant. Etenim licèt haberet, unde opus inchoaret, atque aliquamdiu produceret; non habebat tamen, unde finiret tantam molem, eam ob cauſam reſpondebat, Deiparam, venturam in auxilium: & verò etiam venit, nam cadens cruſta muri Imaginem Deiparæ antiquam detexit, quæ miraculis ſuis populos & pecuniam attulit, unde fabrica finiretur. R. P. Ioan. Alloza Soc. IESU in cælo Stellato l. 4. c. 1. n. 3. *Templum.*

CDLXV.

DCLXV.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE PARIETE.
Mediolani in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Regia prole tu mei amata munda unica.*

1. Reverentia muri.
2. Cultus venerabilis Sacramenti.
3. Detecta Imago B.V.

HUic propter parietem jungo eam, quæ Mediolani in ſummo templo habetur miraculoſa. Hic cruſtam de pariete cecidiſſe,& Imaginem Deiparæ detexiſſe pro miraculo habitum non eſt, ſed hoc contigiſſe, dum in ordinata ſupplicatione ipſum venerabile Sacramentum ſub umbella locum præteriret, res naturali major viſa eſt. Concurſus factus, & miraculorum principium. Ita Relatio Imagini appreſſa. Decidens cruſta muri, ſi Imaginem B. Virginis detegat non ſine bona ratione portendit fore miraculoſam Imaginem, uti præter plures alias ſatis probat illa quæ Romæ ad S. Apollinarem colitur, præſertim ſi loci ut in hac Romana, aut temporis circumſtantia ut in illa Mediolanenſi accedat.

DCLXVI.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE VIRIDARIO;
In S. Angelo in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Unica jam puta malo nites Mater gaude.*

1. Splendor mirabilis.
2. Foramen ſtellatum.
3. Sudat B.V. Statua.

HAnc hiſtoriam non alijs verbis, quàm quibus ad me ex oppido S. Angeli pervenit, deſcribam. Captâ anno 1544. Liparâ *Ariadenus Barbaroſſa* Turcarum pirata, ad eam Siciliæ oram appulit, quæ oppido *S Angeli* proxima eſt: & jam nonnullis vaſtatis pagis, ad prædictum oppidum properabat. Erat non procùl ab illo Virginis templum, cui nomen erat *S. Maria à Viridario.* Ad quod cùm perveniſſet, en tibi ē Deiparæ Imagine magnum jubar emicuit, cæleſtique vi adeò hoſtium perſtrinxit oculos; ut referre gradum coacti fuerint, feruntalij, illam ſplendoris copiam per oleæ arborem tranſijſſe & foramen illi, quod adhuc videtur feciſſe, ad eum modum, quo nos ſtellas depingimus. *Fulgor.*

Fugatis eâ luce barbaris, confluxêre oppidani omnes ad liberatricem Virginem, ejúſque Imaginem ſudore manantem, ſive, ut alij auctores ſunt, ſanguineo ſudore

dore reſperſam invenêre: tantáque fuit divini liquoris copia; ut in calice repoſuerint, accidit id 1. Maij, anno 1544. quo die hujus prodigij beneficijque memoria celebratur, & annis prioribus ſolennis pompa ad illud templum pergebat, annorum decurſu torrens proximus regionem, ubi illud erat, vaſtavit, quare oppidani memores acceptæ gratiæ ad aliam torrentis partem templum novum ædificavêre. Extat tamen vetus illa Imago Virgini, quæ cùm in pariete depicta ſit, ob illius magnitudinem haud facilè transferri potuit in novam ædem hæc ex monumentis Eccleſiæ accepit.

R. P. Octa. Cajet. Soc. IESU.

D C L X V I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
A R G E N T O N I A N A.
Argentonij in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Gaude anima nam tu cares lue atri pomi.*

1. Conjuges concordes.

2. Olim frequens hodie rarum.

3. Omnia qui dat B. V. bene habet.

IN Monaſterio Virginum Ciſtercienſium, quod *Argentonium* vocant, prope *Gemblacum*, quod anno 1229. *Gulielmus Dominus de Harenton*, & *Ida* ejus conjux fundârunt, Imago Deiparæ eſt, quæ inter miraculoſas ab *Auguſtino Wichmanno* ponitur, nullo tamen miraculo appoſito: niſi fortè pro miraculo habet ipſam fundationem prædicti Domini *Harenton*: quia Conventui Monialium omnia bona ſua, quæ habebant apud locum *Harenton*, tam in agris, quàm pratis & nemoribus contulerunt, ad honorem Deiparæ, ubi ego noto, illis temporibus hoc pro miraculo habitum non eſſe, quemadmodum pro miraculo non habemus curſum ſolis. Frequentia nempe admirationem tollit: quâ ſublatâ, etiam miraculum ceſſat: frequens, inquam, tum erat, omnia ſua Deiparæ donare in Monaſterij fundationem: quando major Monaſteriorum pars hanc originem habet. Hoc miraculorum genus hodie ceſſavit; & Deipara vix ulli ampliùs pari conjugum hoc dat in mentē: ut ſciamus, nec illis temporibus fuiſſe humanis viribus factas ſimiles fundationes: cū æq; in defectu prolis ad fuerint nepotes, quibus ſua relinquere hi fundatores potuiſſent. Admiratio.

D C L X V I I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
C A L D I F U R N I E N S I S.
Bourges in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Pomi ure amarum tu rite declinas agna.*

1. Iudæus puer converſus.
2. B.V. etiam Iudæis propitia.
3. Nomen à furno.

AVaricum oppidum hodie *Bourges* anno 546. puerum habuit Iudæum, quem Deipara inſigni miraculo defendit, is à Chriſtianis aliquantulùm inſtructus, eâ intentione, qua Chriſtiani ſolent, ad divina myſteria acceſſit cum pueris Chriſtianis, reſcivit hoc pater, puerúmque in furnum igne jam inſtructum propane pinſendo
Converſio. injecit, & furnum obſtruxit. Chriſtiani pro puero recens converſo ſoliciti, in domum irrumpunt, cùmque pater minis adactus fateretur, quod erat, furnum aperiunt, inveniunt illæſum. Quæritur è puero, quis eum ab igne defendiſſet, ridens puer, illa inquit, quæ in templo Chriſtianorum filiolum ſuum tenet, inter brachia: Illa, illa adfuit, illa me ſervavit. Illico Chriſtiani templum fecére è deſtructa Iudæi domo & ſive hanc, quam puer viderat in alio templo Iconem, ſive aliam Deiparæ poſuerint, miraculoſâ poſthac ita fuit, & *Caldifurnienſis* appellata eſt à calido furno. Campegius.

DCLXIX.

Imago B. V. Miraculoſa.

DOMINA.

Bononiæ in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Agna jam lupum ita Eva Draconem teris.*

1. Cor aureum regis.
2. B. V. Dominium donatum.
3. Sine exceptione imitator.

EXtruxit *Clotarius II.* Gallorum Rex, qui obijt anno 630. templum Deiparæ Virgini in urbe Bononienſi, in hoc tanquam miraculoſo *Ludovicus undecimus* in teſtimonium pietatis ſuæ Bononiam Virgini ſolenniter donavit, & Dominam fecit, & appellavit totius illius tractûs, corde puri auri oblato, pondere bis mille aureorum ac ſancitâ lege, ut qui in ævum futuri eſſent ſucceſſores, tantundem præſtarent, Mariámque ejus tractûs Dominam recognoſcerent. Hoc ſatis miraculorum eſt ita in Deiparæ devotione poſteris præceſſiſſe. Miraculum quoque orbi ſunt, qui ex poſteris ſequuntur præeuntem, quanquam Ludovicus facturus hæc non fuiſſet, niſi jam miraculis Imago claruiſſet, litteræ non extant. Certè tamen ab anno 1212. hæc S. Statua ſignorum multitudine oppidum hoc per omnem orbem mirè illuſtravit. Belforeſt in Annalibus Franc.

DCLXX.

Imago B. V. Miraculoſa.

A PORTU.

Claromonti in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Teris adeo mira anguineum caput alma.*

1. *Templum antiquum.*
2. *Hæreſis impia.*
3. *Renovato templo redeunt miracula.*

SEmper hæc Deiparæ Imago inter miraculoſas numerata eſt, primum opus fecit Epiſcopus *Avitus* decimus octavus, anno 594. eámque 20. die Sept. dedicavit Deiparæ, anno 853. templum hoc Normanni vaſtatores totum igne abſumpſerunt. Deſiderio beneficiorum, populo præſtante ſumptus. *S. Sigonius* Epiſcopus quadrageſimus, novis operibus & opibus priſtino ſplendori reſtituit, & Deiparam ad nova beneficia invitavit: quæ illa etiam præſtitit Ferreol Locrius fol. 425.

DCLXXI.

Imago B. V. Miraculoſa.

LINCOLNIENSIS.

Lincolniæ in Anglia.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Almà Virgo mea tuſincera pia & munda.*

1. *Mors Epiſcopi importuna.*
2. *Caſus in Dedicatione templi.*
3. *Electio Epiſcopi velox.*

VIrgineam Baſilicam & miraculoſam ſpectavit Lincolnia, hanc *Remigius* Dorcheſtrecenſis Epiſcopus inchoavit, & idem ut Epiſcopus Lincolnienſis finivit anno 1080. qui tamen Pontifex, cùm jam omnia ad Dedicationem ſummâ pompâ faciendam eſſent parata, pridie Dedicationis immatura morte ſublatus eſt, relictâ hominibus admiratione quo judicio Deus eum ſuſtulerit, nec conceſſerit glorioſum ſui operis finem. Fuiſſent, qui malè de ejus anima ſperarent; niſi ipſe Chariſſimus Deo Moyſes ſimili morte deceſſiſſet. Dedicatio intermiſſa non eſt; ſed ex pluribus Epiſcopis præſentibus eodem, quo parabatur, die perfecit *Robertus Boëtius*, ſtatim in ſucceſſorem electus. Malesburienſis l. 4. de rebus geſtis Pontificum Anglicorum.

DCLXXII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE CAPELLA.
Ariæ in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Munda magna vive terris cælo tam pia.*

1. Cultus B. V. ſemper utilis.
2. Certant pij cum B. V.
3. B. V. ſemper majora dat quam accipit.

ITa eſt: nemo Deiparam colit ſine rerum ſuarum proſpero augmento, ipſas urbes auget & majores facit B. Virgo, ſi honores accipiat. Ariæ templum eſt magnificum, quod non niſi Sacelli nomen habet, origo eſt hæc. Non ſcio, quo miraculo Deiparæ Arienſes majores ei Sacellũ erexerunt in ſuburbio, crevit ſuburbium opibus, opes pro cultu rependente Deiparâ, ita ex ſuburbio facta pars urbis cæteris non inæqualis, muróque clauſum ſuburbium, colonos vocavit cives, juribus civium jam gloriantes, ne Deipara tantæ gratiæ auctrix minùs haberet, fecêre è Sacello templum, hoc quod hodie videtur, magnificum. Hoc certamen eſt piorum: victoriam tamen ſemper obtinente Deipara, quæ ſemper majora dat, quam accipit. Porrò in rei memoriam vocatur Beatæ Virginis de Capella. Locrius fol. 450. Templum.

CDLXXIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
CHERSELERENSIS.
Cherſelerij in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Pia ſerena munda & Immaculata Virgo.*

1. Cultus antiquus.
2. Incendium devaſtans.
3. Reſtitutio templi combuſti.

NOn ampliùs quàm quingentis ab Aldenara paſſibus hæc ædes Deiparæ diſtat, magnâ populi frequentiâ toto anno nobilis, eam ob cauſam, quòd jam ab anno 1457. in hanc uſque diem fiant miracula ad hanc D. Virginis S. Iconẽm. Incendium anno 1459. ſtatim quaſi poſt initia ſua, ſuſtinuit, ſed ut fidelibus illius reſtituendæ Studiũ non defecit; ita nec Virgini id ſignis recognoſcendi continuus amor. Cæterùm originem habere non potui. Hæc ex Locrio fol. 452.

DCLXXIV.

Imago B. V. Miraculoſa.

A MIRACULIS,

Panormi in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Virgo alma en! tu manes, prima Eva cadit.*

1. Nundinæ B. V.
2. Imagines B. V. nunquam fruſtra honorantur.
3. Pœna docet impios.

ANno 1548. die menſis Maij ſecundâ, Imago Deiparæ, quæ in pariete ad plateam picta erat, multis & ſingularibus prodigijs initium fecit. Commodum erat tempus nundinarum, quæ per totas duas hebdomadas durant, vocantúrque *Nundinæ B. Virginis.* Pauper quidam herniâ ita laboravit, ut viſcera emanarent è corpore non ſine cruciatibus extremis, is ad hanc Imaginem, cui fortè tranſiens ſæpius exhibuit honores, ut ut potuit, perrexit: coram hac inter preces, gemitus & lachrymas, vel ſanandus, vel obiturus, certè non abiturus niſi ſanus, obdormit, poſtque breviſſimum ſomni tempus expergefactus, ſanus & incolumis ſurrexit gaudens, abiens per viam ſuã. Hic eſt, qui beneficium hoc Deiparæ per omnes urbis plateas proclamavit, populúmque ſimilia petiturum ad hanc Imaginem accivit. Miraculum.

Homo omnibus notus nec voluit, nec potuit decipere. Itaq; ſtatim fidem invenit. Placuit Deiparæ venientiũ multitudo, quare etiam illa liberalitèr miſeros, & miraculosè juvit, brevi tempore è congeſtis pecunijs ſtetit templum, quod hodie videtur, nomen datum *à miraculis*, quorum copia hoc meruit. Tabellæ, quæ templum impleverunt, à neſcio quo ornatûs gratiâ ablatæ, id tamen, quod in ædificatione contigit adhuc extat miraculum; cùm enim quidam templi fabricam impedire conaretur, quòd proſpectum liberúmque aërem auferret, ſuis ædibus, eámque ob cauſam cum architectis aliquando altercaretur, quod murum extolli nequaquam vellet: en tibi oblonga muri pars ejus ſtabuli concidit, & equum cum ſervo ſuâ ruinâ oppreſſit. Ille hoc damno factus doctior, ne ulteriùs in docendo Deipara progrederetur, culpam ſuam faſſus, ſe abiecit, ad pedes S. Imaginis, & fabricam etiam ſuâ pecuniâ adjuvit. Feſtum eſt 6. Maij Octa. Cajetanus, Societatis IESU. Imperitia.

D C L X X V I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE GUARDIA.
Petrocoræ in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Dei Angelus te puram vocat anima mira.*

1. Ambulatio pia.
2. Cuſtodia ſecura.
3. Votum cito exauditum.

COlliculus eſt extra urbem Petrocorenſem duabus de cauſis à natura factus: prima eſt, ut jucundæ ambulationi civium deſeruiat; Altera, ut belli tempore vigiles ibi ponantur, qui urbi à malo caveant, moneantur maturè ſi quid ingruat civitati inimicum. utraque de cauſa Petrocorenſes cives hoc in locô Deiparæ templum ſtruxerunt, miraculoſa eſſe ſtatim cæpit: eſtque Deipara cum filiolo in ulnis. De antiquis nil dico nuper anno 1653. voto facto novem ſacrorum ab homine privato, urbs ante completum votum à præſenti periculo liberata eſt, Felices urbes, quæ talem cuſtodiam habent. R. P. Iacobus Peirouſſe, Rector Societatis IESU. Vigiles.

D C L X X V I I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
GAUDIOSA.
Duaci in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Mira intacta o valde pura venit gemma.*

1. Leproſorum infelicitas.
2. Febrium remedium.
3. Populi vera opinio.

SAcellum hoc Deiparæ miraculoſum Leproſorum domui adjacet, nullis divitijs, nullo faſtu ædificij inſigne, ſed ægrotantium concurſu; qui hùc venientes triſtitiam ſuam ponunt, & revertuntur domum gaudentes, quod ut morbis diverſis hîc ſanitas obtineatur; ijs tamen præſentius ſemper auxilium eſt, qui febribus laborant. Hæc populi perſuaſio à multitudine curatorum originem habet. Ita ad me R. P. Hubertus Wiltheim, Rector Societatis IESU.

D C L X X I X.

Imago B. V. Miraculoſa.
OSNABRUGANA.
Oſnabrugi in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Margarita unica es, & munda à lue pomi.*

1. Imago.

1. Imago B. Virginis inter hæreticos illæſa.
2. Catholici pauci inter hæreticos multos.
3. Pietatis Antiperiſtaſis.

HÆc in ſumma æde, ſeu Cathedrali, quæ nunc Epiſcopum habet hæreticum, & Lutheranâ labe infectum, colitur tamen à paucis Catholicis, qui ibi ſunt, & in eo templo ſacris Catholicis interſunt olim ſuit miraculoſa: nunc aliud miraculum non pa rat, quã quòd in medio inimicorum ſuorum dominatur toto ſæculo per furias hæreticorum intacta, ſi hoc parùm lectorj videtur, ſanè ignorat, quid permittente Deo in S. Deiparæ Statuas & Imagines hæreſis potuerit. Plura ad me non perſcripſit R. P. Caſparus Smids.

D C L X X X.

Imago B. V. Miraculoſa. BORSTELLENSIS. *Borſteltæ in Germania Inf.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Pomi maculas diruet nivea Mater agna.*

1. Statua B. Virginis raptoribus dura.
2. Inventa in ſilva.
3. Facile auſertur à Catholicis.

BOrſtellenſis Virginum olim, nunc (quæ mutatio) Canoniſſarum hæreticarum Conventus, nomen à ſilva proxima urbi Oſnabrugenſi accepit, *Borſte ll* dicta, à quibuſdam dicitur *Inventio Mariæ*, eò quòd illa in ſilva S. Statua inventa ſit, eòque in loco excisis arboribus Monaſterium cum templo ædificatum Germanicè *Marienſund.* Statua adhuc ſupereſt quæ ternos palmos altitudine vix æquat, ſæpius tranſlata tantum nocte ſequente negotium raptoribus faceſſivit; ut nolentes volentes eam reſtituere loco priſtino coacti ſint. Mortuis Catholicis virginibus, poſtquam ſucceſsêre Canoniſſæ hæreticæ, facilè ſe permiſit auferri à Sacerdote Catholico, qui eam adhuc tenet, incertum cui templo Catholico eam ſit deſtinaturus. Ita ad me R. Pater Caſparus Smids.

D C L X X X I.

Imago B. V. Miraculoſa. ANNUNCIATA. *Racuiæ in Sicilia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Agna ſine impurà macula, tu ò Dei Mater.*

1. Pij emptores.
2. Statua B. V. ſudans.
3. Sudor Statuæ inter reliquias.

HUic Deiparæ Imagini templum eſt ædificatum circa annum 1400. Piorum voluntas templo

plo aliquot cubicula excipiendis peregrinis, ægriſque curandis commoda. Statuæ antiquæ ſucceſſit nova è marmore, non minùs admiranda, nam cùm ad vicinam oram maritimam navigium appuliſſet, quo fama erat marmoream Deiparæ Statuam advectam eſſe, temp'i hujus curatores proprijs impenſis (è populi eleemoſyna poſtea refundendis) eam pro hoc templo emerunt. Emptio. Vix empta, miraculoſa beneficia ſupplicibus præſtitit. Sed magis ſcriptu dignum, quod anno 1573. contigit, menſe enim Aprili (dies ignoratur) ante meridiem. Hæc marmorea Statua ſudare cæpit, & populus campanæ ſono accitus: ſive campana per ſe hoc fecerit, ſive pia fæmina, quæ ſudorem hunc primò vidit.

Populus in lacrymas ſolutus, pacem & miſericordiam popoſcit. Epiſcopus quoque advenit, & ex Architectorum ſententia nimium quantum diſcernens hunc ſudorem à conſueto marmorum ſudore, ſudorem hunc in calicem collegit, Feſto campanarum ſono. Guttas è ſanguine non paucas mixtas ſudore viderunt, quibus intueri hæc propinquiùs contigit. *Blaſcus* nobilis vovit, ſi nil infortunij ſequeretur, ſe Monaſterium RR. PP. Franciſcanis ædificaturum, idem quamprimum coronam Argenteam, pretioſo lapide decorâ pro Deipara procuravit, quæ adhuc ſervatur, ut pompa fieret major. Omnes urbis Confraternitates horis diſtinctis ad fuere, id mirum, quòd cùm ea, quæ S. Sebaſtiani eſt, advenisſet, & Crucifixus ligneus ante altare, Crucifixus. ut moris eſt, conſiſteret: ipſe Crucifixus etiam ſudare inceperit, inſpectante Clero, & populo, & Archipresbytero: qui etiam hunc ſudorem collegit in Calicem alium.

Pluribus annis hi liquores ſervati ſunt. Sacerdos quidam peregrinus pio furto rapuit, & aliò tranſtulit. Accolæ quoque juſtis ſupplicationibus hanc Deiparam venerati ſunt. Cùmque nihil malorum urbi aliquamdiu eveniret, quod huic ſudori poſſet adſcribi, *Blaſcus*, conditione impletâ, promiſſum quoque ſuum implevit, & RR. PP. Franciſcanis Monaſterium ædificare incepit, quod quidem non ipſe morte præventus, ſed ejus loco nepotes finiverunt. Ex actis juratis Archiepiſcopus Meſſanenſis R. P. Octa. Cajet. Soc. IESU.

DCLXXXII.

Imago B. V. Miraculoſa.
IN CATHEDRALI.
Toleti in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Mater divina, tu, manè cælo magis pura.*

1. Statua loquens populo audiente.
2. Figura Chriſti à Iudæis Crucifixa.
3. Rei ſupplicio affecti.

Circa annum 657. creditur contigiſſe miraculum, quod narrat

Vinc. Belu. in ſpec. hiſt. lib. 2. c. 81. Aſſumptæ Deiparæ Feſto Archiepiſcopus miſſarum ſolennia pro more in Cathedrali celebravit, populo in preces & vota effuſo coram Deiparæ Imagine, jam dudum miraculis clara: de qua dico alibi; ſed quod nunc contigit, pietatem, ſi fortè apud Toletanos intepuit, eam iterum erexit. Celebrante, inquam, Archiepiſcopo miſſæ Sacrificium, S. Statua in has intelligibiles voces linguâ ſoluit. *Heu! heu! quam dira calamitas, quòd intra filij mei Salvatoris mundi ſalutiferæ Crucis ſignaculo ſignati gregis ovilia, manet & regnat Iudaicæ gentis inſania quæ filium meum unicum lumen & ſalutem fidelium jam ſecundo conviciatur, & Crucis ſupplicio mortificare conatur.* Hæc populus audivit, omnium conſilio decretum eſt, ut eodem tempore omnes Judæorum domus viſitarentur: ſiquid fortè reperiretur, quod Virgo prædixiſſet, factum. Inventa quædam cerea Imago eſt, Chriſtum repræſentans: quam velut hominem vivum ad Chriſtianæ fidei dedecus ſputis, colaphis, ac morte crucis afficere conabantur, ſatis hac inventâ. Judæiſque id, quod res erat, non negantibus, rei ad ſupplicium rapti, pænas dederunt: Chriſtiani ſuum in Virginem affectum duplicârunt.

Apparitio.

D C L X X X I I I.

Imago B. V. Miraculoſa.

SPECIOSA.

Wintoniæ in Anglia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Pura ac mitis ò integra almè munda Eva.*

1. Imperiti artifices.
2. Fucus fæmineus.
3. Pœna lepræ in ſuperba.

QUomodo de Statuis Deiparæ arte non magnâ, quin etiam nonnunquã ab imperito factis loquendũ ſit, ea Deiparæ Statua docet, quæ inſigni miraculo hoc inclaruit. Domina quædam magnæ pulchritudinis quam ei natura dedit, more fæmineo, fuco & veſtibus laborabat ſe facere adhuc venuſtiorem: nec parùm temporis in hoc inſumpſit; ut nunquam niſi quàm delicioſiſſimè ornata domo prodiret, præſertim ad templum. Contigit, ut Feſto quopiam, ut probabile eſt, Deiparæ, diligentia majore ſe comeret, & denique ad ſpeculum ſe examinaret, nec parũ ſibi placuit, pediſſequam etiam interrogare auſa, num ſatis pulchra eſſet illa, ſive ad guſtum Dominæ eam adulatio compoſuerit, ſive verum dixerit: Domina, inquit, es valde Specioſa, Domina: nec puto, inquit, ita pulchrã & ſpecioſam fuiſſe matrem Chriſti. Dictum: itúmq; eſt ad templum, ſed ubi in conſpectum altaris ventum eſt, horruere omnes præter ipſam, veſtis & ornatus prodebat fæminã omnibus notiſſimã, facies puriſſima, nec tamen dolorificâ, at ſenſibili leprâ tota quanta ita oppleta, ut ſibi ſimilis non eſſet, ſalutavit illa ſanè notas quaſq; fæminas: mirabatúrque non reſalutantes, & averſis Adulatio

vul-

vultibus horrentes, diu hæc ſcena duravit, dum ad pediſſequam verſa, quid, inquit, eſt, quod fugiant homines? Quem fugiunt? Quem horrent? Illa, te inquit, ô Domina, fugiunt, quæ longè alia es, quàm domi fuiſti ſentiens Domina, quod erat, ad lacrymas & pœnitentiam converſa, pulsâ per Deiparam leprâ, ſana & ut antè ſpecioſa, ſed non blaſphema & ſuperba, egreſſa templum, & malo ſuo docta eſt, peritiùs de Deipara, & ejus SS. Imaginibus loqui *Gononus* refert, ſe hoc miraculum legiſſe in antiquo M. S.

DCLXXXIV.

Imago V. B. Miraculoſa. CANODIENSIS. *Canodij in Ungaria.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Eva lignum acris pomi Adam attere una.*

1. Sumptuoſus cultus.
2. Thuribulum perpetuum.
3. Senum pia vigilia.

CIrca annum Chriſti 1040. *S. Gerardus* Epiſcopus Canodienſis templum S. Georgio Martyri ædificavit, & in hoc Sacellum pro Deipara. Statua, quam hìc collocavit, ſive antiqua fuerit, ſive nova, beneficia præſtabat populis, eam ob cauſam cultu, quem nuſpiam reperi, eam proſecutus eſt S. Epiſcopus. Thure honorari Sanctorum reliquias, & præſertim Deiparæ Statuas atque Imagines, jam non novum in Eccleſia eſt: illud rarum & novum, nec exemplum habuit, nec hactenus imitatorem. Thuribulum argenteum collocavit ante altare, quod ſemper arderet carbonibus ignitis, porrò ne unquam ullâ horâ diu noctúque thymiama deeſſet, duos provectæ ætatis viros mutatis vicibus ſemper adeſſe voluit, qui vigilarent, & Thura ſemper inijcerent. Hinc ſacræ Imaginis cultus adhuc magis crevit, & miraculis pluribus via aperta eſt. Habet hæc Surius 24. Sept. (Thuribulum.)

D. C. L X X X V.

Imago B. V. Miraculoſa. DE EREMITORIO. *Valencenis in Germania Inf.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Una intacta malo ſummè pura Dei regia.*

1. B. V. apparet populo.
2. Menſura urbis.
3. Eremitorium felix.

PRope urbem Eremita habitavit, & Deiparæ Imaginem imperſè coluit, & ut credibile eſt, urbem peſte afflictam ei commendavit, apparuit illa viro, & in mandatis dedit, ut Magiſtratui denunciaret, jejunium vigiliâ Nativitatis ſuæ imminente, tota urbe: ſi ad facerent, poſtea cives mira

viſuros, facto jejunio populus mœnia implevit, viſurus, quæ promittebantur mirabilia, viſa denique eſt Deipara exire ex Eremitorio, Angelorum ſanctorúmque comitata choro, & funiculo menſurare totum urbis circuitum duarum leucarum, & iterum in Eremitorium redire; quod Eremita ſibi in Sacelli formam ædificaverat, juſſit inſuper, ut proceſſio perpetua Feſto Nativitatis ſuæ inſtitueretur. Funiculus hodie adhuc ſervatur: proceſſio habetur, ſed circuitus duarum leucarum non totus unà vice perficitur. An in loco Sacelli adhuc ſit hujus rei memoria, non reperi, R. P. Balingen 8. Septembris.

D C L X X X V I.

Imago B. V. Miraculoſa.

D E L B E Z A N A.

Brigantij in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Regia puritatis manè, ò macula munda.*

1. Mater filium B. V. commendat cum fructu.
2. Latronum crudelitas.
3. Oculi miraculoſi.

MIraculoſa Imago Deiparæ *Delbezana* non multùm Brigantio urbe diſtat. Originem hujus non inveni, incrementum pietatis ingens puer dedit, illuc devotionis cauſa peregrinaturus, hunc Mater vetuit exire domo, ne in manus inimicorum ſuorum in via incideret, juvene nihilo minus, accepto baculo, abeunte, mater flexis genibus Deiparæ commendavit, rogavítque ut eum ſanum ſalvúmque reduceret, non vanus Matris timor fuit: incidit juvenis, ut mater augurabatur, in manus inimicorum; hi oculos ei radicitus evulſerunt, & manus amputârunt, ita habitus, ad templum modo, quo potuit, perrexit, perfectum peregrinationi ſuæ finem daturus.

Fuêre, qui hæc omnia matri referrent, facerêntque, ut & ipſa quamprimum illuc ſe conferret, filio opem latura: quod & fecit, invenítque filium, qualem latrones reliquerant. Noctem totam coram altari inſomnem duxit, filiúmque poſtulavit ſanum & ſalvum, verba mulieris identidem ingeminata hæc fuiſſe ſcribit Auctor: *Virgo Maria, Mater Domini noſtri IESU Chriſti! redde mihi filium meum ſalvum & ſanum, ſicut eum tibi commendavi.* Obtinuit fœmina beneficium, & oculi quidem novi fulſerunt, manè ſtatim; manus antè creſcere viſæ ſunt, uſque dum pervenirent ad juſtam corporis proportionem. Oculi, ut dixi, ſtatim manè fulſerunt, ſed parvi, ut falconis eſſe ſolent, & minores humanis, perfecti tamen: & fortè nec manus omnino ad juſtam perfectionem venêre, ſolent enim hæc ſigna in memoriam beneficij manere, manus, ait auctor, ſigna habuerunt, ubi abſciſſæ priores erant. Diagus l. 2. hiſt. Aragoniæ Bzovius t. 13. anno 1210.

DCLXXXVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
CONFORTATRIX.
Veronæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Munda à væ en! porta Immaculati regis.*

1. Diſputatio cum hæretico.
2. Obmuteſcens hæreticus.
3. Fidei conſtantia à B. V.

S. *Petrus Martyr* Veronâ oriundus quadam die obvius hæretico factus, ab eo fuit ad diſputationem provocatus, ille ſuæ tenuitatis probè conſcius, aſtutiæ tamen, quâ hæreticus valebat, non ignarus, ad Deiparæ Sacellum proximum ſe contulit, & ante Virginis altare proſtratus, diſputationem ſuam ei commendavit. Tunc vocem ab Imagine prodeuntem audivit: *Petre rogavi, pro te, ut non deficiat fides tua.* Duo hîc miracula Deipara eſt operata. Primum eſt, quòd propter objectiones ab hæretico factas titubans aliquantùm in fide Petrus ſit confortatus: alterum, quòd cùm exiret, & repetere hæreticum juberet, quæ antè dixerat, ille omnino obmutuerit; ut ne unum quidem verbum proferre valeret: ſicque confuſus abſceſſit, ait S. Anton. num. 3. p. tit. 23. c. 6. Miracula

DCLXXXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE CASONA.
Caſonæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Regis amica pura tota almè munda veni.*

1. Litem dirimit Statua B. V.
2. Angelorum manibus bis translata.
3. Nobiles pacificati.

LIs erat inter *Mareſcotos* & *Fabronos* potentes familias. Hæc S. Statua circa annum 1492. ſtetit ad ripam fluminis Clamonis in loco, quem tunc vocabant *Caſone*, nocte quadam Angelorum manibus in alterâ ripam fuit tranſportata, & inter vepres & ſaxa depoſita: quam prætereuntes non difficulter noverunt, unde eſſet; nemine tamen uno conſcio, à quo huc eſſet deportata, per fluvium nullo ponte inſtratum, *Mareſcoti* credidêre, à *Fabronibus* id factum, itaque miſerunt, qui S. Statuam referrent: nec abnuit Statua relata eſt: ſed iterû altero die ex parte *Fabronum* reperta, litem diremit, & pacem fecit inter has duas familias: quando neutra (invitâ ſic Deiparâ) vellet inimicitias gerere; populus juſtam cauſam *Fabronum* fuiſſe, ex eo collegit; quòd Statua.

ad eos Deipara ab illis diſceſſerit, quid ultra? Fabronum opibus & operâ templum ſtructum eſt, quod hodie RR. P.P. Servitæ habent ad oppidum Maradium. Gononus Anno 1492.

DCLXXXIX.

Imago B. V. Miraculoſa. TRIALACENSIS, Trialaci in Hibernia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Veni ô agna Mater ſed pura Immaculata.*

1. *Fur peierans confunditur.*
2. *Pænitentia placat B.V.*
3. *Arbor arida frondet.*

HIc Monaſterium RR. Patribus Franciſcanis ædificavit magnus Carthæus circa annum 1440. duravit ultra tempora Eliſabethæ Reginæ magno piorum accurſu, ac propter Imaginem Deiparæ miraculoſam, de antiqua pietate litteræ ſi adfuerunt, perierunt, cultum vehementer auxerunt, & reduxerunt duo præteriti ſæculi miracula, unum, quòd mulier ad hanc S. Imaginem jurans, ſe falsò furti accuſari, confuſa & convicta fuerit; dum id, quod furto abſtulerat, è ſinu ejus omnibus inſpectantibus in terram decidit: non ampliùs progreſſa eſt Deipara, pænitentiâ & lacrimis mulierculæ placata.

Furtum.

Alterum eſt, quòd ob Eliſabethæ Reginæ perſecutionem S. Imago in decorticata & arida arbore occultata, arborem fecerit quamprimum producere folia, flores, & ramos; ut melius à pluvia defenderetur, & ſanè defenſa eſt: quando integro anno ibi incorrupta latuit. *Wadingus tom. 3. Annalium Anno 1340.* quo Monaſterium hoc à Domino Carthæo primò exſtructum eſt.

DCXC.

Imago B. V. Miraculoſa. DE ARBORE. Dordraci in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Immaculata Diva o una, ſemper integra.*

1. *Angelus docet Architecturam.*
2. *Pecuniæ multiplicatio.*
3. *Virgo S. propter pecuniam occiditur.*

PEndebat hic loci Deiparæ Imago ad arborem, publico honori expoſita, *S. Suraſi*, vel *Soter*, Virgo & Martyr, præ cæteris eam honoribus affecit, eique majus templum, quod eſt Dordraci, erexit, & dictam Imaginem, quæ pendebat ex arbore ſuper rivum

Dortdrecht, in templo collocavit, templúmque ipſum Deiparæ dedicari fecit, quæ illa imperia à Deipara habuerit, ignoratur. Porrò miraculorum primum fuit, quòd ab Angelo docta ſit, quâ figurâ formâve templum fieri deberet: ipſa longitudinem, latitudinémque architectis de Angeli mandato præſcribebat, miraculo nunquam audito; præſertim ſi illud, quod ſequitur, adjungamus. Nemo unus ſcit, unde Virgo hæc ſumptus hebdomadatim acciperet ſoluendis tot operarijs, diu fabrica durauit: nam non niſi tres operarios habuiſſe Virginem, ait Auctor: ſive hi fuerint tantùm primarij, ſive ſoli. Certum eſt, Virginem non habuiſſe niſi tres exigui pretij nummos, *Kopbeos* nuncupatos, ex his omnis pecunia in fabricam abſumpta excrevit, datúmque ſatis operarijs, ut è panibus Christi convivis. Porrò fuere, qui crederent, ingentes theſauros latère in Virginis ædibus, hinc irrumpentes primùm eam Martyrio affecerunt, tum totam everrentes, & tantum non evertentes domum, nil repererunt. R. P. Balingen 10. Febr.

Angelus.

DCXCI.

Imago B. V. Miraculoſa. DE LACTE. *Bingæ in Germania Sup.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Integra domus unicè amata almè pura.*

1. *Pectus gemmatum.*
2. *Fur infelix.*
3. *Statua ſe defendit.*

Juxta civitatem Bingam prope Moguntiam contigit, quod ex Trithemij Chronico refero. Imaginem hanc pictam circa pectus, cujuſdam pietas ornavit quinque gemmis nobili ſplendore ſuo pretioſis, quantumvis tantùm eſſent è cryſtallo: erántque ſic diſpoſitæ, ut earum pulcherrima nudo pectori incumberet, reliquæ veſtibus, miles quiſpiam ex ijs unus, quibus tenerrima conſcientia eſt, id eſt, nulla, artis gemmariæ malè peritus, veras & magni pretij exiſtimavit; hinc torſit hominem, dum templum ſolus, & ſine teſte haberet, hæc auri ſacra fames, itaque levi ſaltu ſuperato altari jam altior, quatuor gemmas minores non difficulter clepſit, diſſimulante facinus Virgine, contentâ, ſi quintam relinqueret, quæ pectus tegebat.

Gemmæ.

Noluit Virgo à ſceleſta manu vel pictum pectus tangi, nam ubi ad quintã pervenit, tangi ſe Virgo vetuit, ingenti portento: ſiquidem lac dedit ingenti profluvio. Horruit ad miraculum ſacrilegus: non tamen exhorruit miraculum hoc, diligentiâ ſuâ & conatu ita celare, ut in nullius notitiam veniret, quapropter pulvere pyrio lacteum cruoris fontem obſtruere conatus, eum magis aperuit, & quia jam inferno maturus erat, in rabiem actus, judices & ſceleris pœnas fugiens

Infernus

giens in profluentem ſe præcipitavit, ſceleris ſui judex, teſtis & carnifex: docuitque omnes quidem quomodocúnque ſceleratos, & ſacrilegos, pænitentiam agere poſſe, ſed non velle, omnes in illo pænitendi & deſperandi articulo, quantumvis ab ipſa Deipara etiam multiplicatis miraculis invitentur. Porrò Sanctimoniales templi cuſtodes ſacrum hunc lignum quorum cryſtallino vaſe receptum inter reliquias decenter repoſuerunt, & conſervârunt, videri poteſt ultra *Tritbemium* etiam *Bredenbachius l. 2. collationum c. 21.* qui adhuc alia quædam addit, quæ brevitatis cauſa omitto.

DCXCII.

Imago B. V. Miraculoſa.

DELLA CORTEGADA.

In Cortegada in Hiſpania.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Pura è tactu amari ligni es, ò mea munda.*

1. *Nominis ratio nulla.*
2. *Peregrinationes navales.*
3. *Miracula magnes peregrinorum.*

VNde nomen ſuum habeat Inſula hæc non plùs decem leucis diſtans ab ipſa urbe Compoſtellana, nec ipſe Plinius ſcivit, qui ejus, ut multorum locorum honorificam mentionem fecit. Etiam hìc colitur Imago Deiparæ miraculoſa, quam vulgò appellant *de la Cortegada*, cur autem Inſula vocetur decorticata, licèt plurimæ rationes ſuppetant, ab experientia aliarum, quæ ita vel naturali, vel politico titulo appellari poſſent; nulla tamen mihi ſufficit, ut hanc Inſulam hoc nomine ideo appellatam credam. Quod ad rem meam eſt, id eſt; quòd Deipara hìc miracula patret, per quæ populos etiam per mare ad ſe alliciat. Frequentatur peregrinationibus navalibus: & in ſummo apud vicinos propter miracula honore eſt. Cæterùm nullum ex Hiſpania ad me perſcriptum eſt.

DCXCIII.

Imago B. V. Miraculoſa.

BURIESIS.

Buſeij in Lotharingia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Munda es à ruina ac gutta temerati pomi.*

1. *Infans 15. dies mortuus revixit.*
2. *Infans 6. dies ſepultus revixit.*
3. *Infans mortuus apparet ut vivus.*

DIgna ſcriptu eſſet hujus S. Imaginis origo, ſi vel flamma, vel flammâ peior hæreſis non omnem memoriam abſtuliſſet. Ex *Nicolao Volcrio Antonij* Ducis Lotharingiæ Scriptore habemus, quæ ſuperſunt, multos, inquit, iſte, vidi-

vidimus, & audivimus pueros in matrum utero demortuos, ad B. V. Mariam *Burenſem* prope *Buſejum* vitæ reſtitutos, ac piacularibus undis ablutos: quorum unus ſex jam dies ſepultus in terra jacuerat, matris aſſiduis precibus, & lacrimis Dei ſanctiſſimæque Matris opem implorante! donec infans vivus ei frequenter apparuit, & eam ob rem rem etiam atque etiam rogavit, effoſsâ humo educi, qui ad Deiparæ Imaginem allatus, vitæque reſtitutus certiſſimæ ſalutis fonte perfuſus eſt, atq; iterum mortuus. Alius puteo, Puteus. in quo inter aquas quindecim integros dies latuit, extractus, ante eandem Deiparæ Imaginem revixit, & baptiſmo accepto iterum mortuus eſt. Viri conſulares ex alijs teſtibus compertũ habuere, quòd Mater eum integro die domi mortuum habuerit in quadam arca fæno involutum, cum ſpe eum fæni calore ad vitam revocandũ; réſq; tota publicis tabulis conſcripta aſſervatur. Liber, unde hæc excerpta ſunt, eſt impreſſus cum approbatione DD. Pariſien. an. 1576.

DCXCIV.

Imago B. V. Miraculoſa.

A PACE SOC. IESU.

Audomari in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Pomi Adam ignara vinea tu luces Mater.*

1. Statua veſtitu gemmeus.

2. Statua curru vecta.

3. Candelabra rari decoris.

TEmplum hoc S. I à Reverendiſſ. Abbatibus S. Bertini ædificatũ eſt. Illic Statua Deiparæ tribus cubitis alta, magnâ religione colitur, coronâ argenteâ, & ſceptro, nec aliâ veſte decora, quàm anathematis ex argento, & lapidibus pretioſis: quæ ita utrinque de collo pendent, ut omnem veſtitum tegant. Quatuor Candelabra, quæ altant, cordibus argenteis, & oculis, alijſque donarijs ita teguntur; ut ex his facta credantur, ardent perpetuò. Lampas. lam pades cereíque, ipſa S. Imago ſemel atq; iterũ in medio templo colenda proponitur, ultima proceſſio à noſtris diſcipulis inſtituta omnem memoriam præteritarum ſuperavit, in curru triumphali ferebatur, tota penè urbe ſequente, & pacem acclamationibus poſcente R.P. Ioannes Adriani Rector Aud. Soc. IESU.

DCXCV.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE LAPIDIBUS,

In Monte Politiano in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Mater pacis integra vive munda à malo.*

1. *Ex proſtibulo templum B. V.*
2. *Tres gemmæ datæ à B.V.*
3. *Eleemoſynæ piorum.*

SI uſpiam, in hoc loco Deipara dominatur in medio inimicarum ſuarum. Proſtibulum hîc fuit, & omnium malorum radix, cumulus fæminarum publicarum. Fuit, cùm *S. Agnes* de Monte Politiano viſitaretur à Deipara, & tres ab ipſâ lapillos pretioſos acciperet in teſſeram ædificandi templi ad honorem ipſius Deiparæ. Illa lapillos ſervavit: nec dubia de viſo, Lapilli. incerta tamen de loco, & tempore, alia expectabat imperia: cùm poſt aliquot annos Angelus illi aſtans juſſit, ut in Montem Politianum proficiſceretur, & templū imperatum ædificaret, illa pios ad eleemoſynas, adjuvante Deiparâ, provocavit: pijs his pecunijs impium locum, de quo dixi, nullo pretio dignum, facili pretio emptum, in templum convertit, & Monaſterium: ut, ubi erat locus peccati, eſſet poſthoc locus pœnitentiæ. R.P.Balling. in Cal. 20. Ap.

DCXCVI.

Imago B. V. Miraculoſa. DE CRYPTA. *Panormi in Sicilia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *A malo pura tu unica es magni Dei Mater.*

1. *Antrum honoratur.*
2. *Septem dæmones.*
3. *Mutus curatus.*

AD ſiniſtram Panormitani ſinûs ripam antrum erat, & in eo effigies depicta Virginis Deiparæ filium genibus tenentis. Antrum hoc nauticæ gentis tugurium fuit: hinc nulla ſacræ Imaginis veneratio, dignata tamen eſt Mater omnis gratiæ ſpecum hunc reddere illuſtrem. Etenim anno 1564. ipſo die Jovis ſancto, ludentibus ante ſacram Iconem pueris, viſa S. Statua ſudare, quin & lacrimari, pueris incuſſus terror in alios abijt, quibus hæc pueri narrabant, mulier fuit, quæ hoc novum prodigium ſibi profuturum ſpondebat, Miraculum. nam dolore lateris laborans, quantùm potuit ad ſpecum, properavit, prima S. ſudorem probatura: quo ubi ſe unxit, liberam ſe omni dolore ſenſit. Hæc narratione ſuâ firmavit, quæ loquebantur pueri de ſudore, hinc nemo fuit, qui hoc prodigiū ſpectare non vellet. Illud majus fuit, quando ibi loqui doctus eſt, qui nunquā didicit, ab ipſo matris utero mutus. Græcam fæminam à ſeptem dæmonibus liberavit: alioſq; à diverſis malis. Tum Imago auro illita fuit: antrum argento tectum verſum in Sacellum, extra templum extructum. Inſcriptio ſic habet: III. Kal. Aprilis ante diem Paraſceves MDLXIV. initium fuit ſignorum, quæ fecit hoc in antro B. V. Octavius Cajetanus Soc. IESU.

DCXCVII.

Imago B. V. Miraculoſa.

DELLA GROTTA S. I.

Panormi in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Mater, Cælo gaudium anima pura nites.*

1. Carolus Quintus Soc. IESU favet.
2. Litaniæ Lauretanæ.
3. Scholaſtica juventus pia.

COllegio Societatis IESU Panormitano *Carolus V.* Imperator, conſentiente Pontifice, beneficium Eccleſiaſticum cum redditibus dedit, in quo id præcipuum eſt, quòd Statuam in templo habeat miraculis illuſtrem. Antiquitatem redolet pictura, & habitum Græcum. Sabbatis à præcipuis muſicis cantantur Litaniæ, têplo hominibus referto, maximũ præ cæteris ad hanc S. Imaginem refugium habent diſcipuli noſtri. Miraculoſam eſſe non dubito: quia eam inter miraculoſas ponit R. P. Octavius Cajetanus, Societatis IESU.

DCXCVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE AGATHYRSO.

Naſi in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Nites item pura maculæ amanda Virgo.*

1. E Cælo allata Imago B. V.
2. Terræ motus grandis.
3. Tres lapides à ſancto poſiti.

HÆc Deiparæ Icon *à S. Conone* ex ipſo Cælo allata creditur ad turrim, quæ ſpeculatoribus ſervit 26. Octob. anno 1598. videre hoc plures fide digni, qui S. Imaginem in oppidum, quod *Naſum* vocatur, detulêre in domum juriſperiti *Antonij Pivoli*, cujus filius ſupra medicorum opem æger, ad S. Statuæ ingreſſum inter breves dies convaluit; quibus exactis, oppidum terræmotu concuſſum eſt. Oppidi Comes ratus, Deiparam hanc domum odiſſe, Imaginem Agathyrſus. ad turrim reportari juſſit. Ergo ex his ædibus Imago primùm delata ad ædes *Petri Iberti*, cui mandatum, ut ad *Agathyrſum* portaret. Virgo etiam huic domui ſalutem dedit, & Patrem *Iberti* claudum ſanavit, præſentibus quampluribus, qui ad S. Statuam contemplandam convenerant, inde juſſu Epiſcopi ad S. Petri templum portata licèt ſit, terræ motus tamen

non quievit, octodecim diebus in urbe dum retineretur, octavo quoque die terræmotus oppidum terruit., demum in Agathyrſi turrim reportata eſt, & terra quievit, in pervigilio Annunciationis. *S. Conon* iterum apparuit, tres lapides in loco relinquens, quo loco Comes *Naſi* templum poſuit, in quo S. Icon in marmoreo tabernaculo ſedem habuit, unius palmi magnitudo eſt; materia incognita, factura cæleſtis, feſtum 22. Octob. eſt, quo primùm advenit. R. P. Octavius Cajetanus, Societ. IESU.

DCXCIX.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE SORTINO.

Sortini in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Virgo lactea, anima, vita ſemper munda.*

1. Eluvio fluminis.
2. Imago B. V. natans.
3. Pugna pro Imagine B. V.

NOn longè ab oppido *Sortino* ædes Deiparæ Annunciatæ ab antiquo ſtetit: hæc ubi per omnem partem novam formam accepit, etiam altare, & altaris tabula alia poſita eſt, vetere & perantiquâ tabula in urbem ad templum *S.* Imago. *Nicolai* deportatâ. Haud multò pòſt flumen proximum eluvionem fecit, quantam nunquam antè meminiſſent ſenes, & ædem Deiparæ omnino deſtruxit: quin etiam templum *S. Nicolai* ingreſſæ aquæ, tabulam illam antiquam rapuerunt, atque in *Siracuſanum* uſque territorium deportàrunt, facie ſemper *Sortonium* versùs natâſſe tabulam, obſervatum ab ijs eſt, qui ad eam reportandam miſſi ſunt. Interea Siracuſani Equites misêre, qui Sortinenſibus velut rem ſuam eriperent S. tabulam: quas tamen attingere ampliùs nequiverunt, felix contentio, quæ ita res ſacras ambit: Clerus cum populo obviam exivit venienti, eámque in eodem quidem templo *S. Nicolai*, ſed digniore loco & magnificentiùs collocavêre. Honores prioribus majores Virgo, miraculis compenſavit.

Præterire non poſſum quod non ſine aliqua pia curioſitate obſervo. Imago hæc nullis miraculis clara fuit antequam à flumine raperetur, neque enim loco ſuo mota fuiſſet, ſi vel paucis beneficijs obtentis claruiſſet, ad hæc quod ſupernatans aquis ligneis tabula faciem obverterit ubi Sortinenſi, miraculo adſcribi vix poteſt certe non debet, ita exigente tabulæ proportione quid itaque eſt quod Virgo meliori loco reſtituta miraculis eſſe celebris inceperit, niſi quod pietate ſua cives

ſe tali compenſatione dignos fecerint tabulam non miraculoſam theſauri inſtar quærendo & aquis eripiendo, non ultra fidem Marianorum cordium dixero ſi aſſeram, quam plurimas Deiparæ Imagines eſſe quæ ſi ejuſmodi publico & pio affectu honorarentur quamprimum fore miraculoſas pietatem publicam miraculis compenſante Deipara.

D C C.

Imago B. V. Miraculoſa.

MODICANA.

Modicæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Munda, nivea o clara puritatis gemma.*

1. Mirabilis ruina lapidum.

2. Die omnibus læto annus triſtis.

3. Suſcitatio puellæ.

Modica oppidum Siciliæ eſt, non longè ab hoc ſupra collem inventa eſt ſanctiſſimæ Dei parentis Statua anno 1615. die quartâ Maij. Creditur ipſius Deiparæ juſſu ibi collocata à Religioſo viro: ſunt quoque, qui aiunt, ſe ante plures annos vidiſſe eo in loco lumina, altaria, aliáque templum portendentia. Inventæ Imaginis fama penè totum oppidum accivit in collem, aliàs ſpinis obſitum. Auxit pietatem populi id, quod ipsâ die inventionis contigit. Beatrix trima puella è ſummis ſcalis in ſaxa decidit, & vel mortua, vel morti propinqua tres horas jacuit nullo vitæ ſigno, multorum concurſu pro mortua eſt habita. Afflicta Mater Deiparæ ſupplex rogavit, ne tam lætâ omnibus die ipsâ ſola triſtaretur, fudit preces, cùm puella velut è ſomno experrecta nullo doloris ſenſu, vel casûs veſtigio, ſana ſurrexit. Puella.

Celebrius adhuc eſt, quod duodecimo poſt inventam Statuam die factum eſt in conſpectu populi, vis lapidum quam lapicidæ è colle exciderant, decidit die Sabbati, qui duodecimus ab inventione fuit. Stabant ſupra lapidum cumulum plurimi è populo Litanijs, quæ cantabantur, intenti: hi cum lapidibus per collem devoluti & inter lapides ſepulti, fæminæ præſertim cum parvulis pro mortuis plangebantur. Omnes eruti è lapidibus, omnes ſalvi & ſani inventi ſunt: quidam etiam antè ægri, ſani è ſaxis prodiêre: ſolæ veſtes damnum paſſæ ſunt. Reverendus Pater Octavius Cajetanus Societatis IESU, in ſua Sicilia. Litaniæ.

Quanquam auctor plura afferat miracula, hoc tamen de induſtria præ cæteris apponere volui, ut & Litaniarum quas Lauretanas vocamus virtus, & Sabbati potentia appareat, fuſius alibi loquor quantum Deiparæ placeant tituli quos ibi Deipara accipit,

pit, de illo quo appellatur Mater Admirabilis dixi in Imagine Ingolſtadienſi quæ eſt in colloquio convictus S. Ignatij ubi ipſa Virgine revelante creditur eſſe omnium præcipuus, quem ideo ter repetere ſolent Domini Colloquiſtæ quoties Litanias ſeu privatim, ſeu publicè dicunt. De alijs alibi loquor. Quod vero ad Sabbatum attinet cum ab Eccleſia ſit dies Deiparæ dedicata, pro Feſto haberi poteſt à Mariophilis: cogitarique non parum operibus pijs conferre ipſum tempus quo Deipara ad beneficia pronior eſt, & liberalior, ut mirum non ſit tanto miraculo Imaginem inclaruiſſe dum Litaniæ die Sabbati cantarentur.

CEN-

CENTURIA VIII.

D C C I.

Imago V. B. Miraculoſa.
S T O K E L E N S I S.
Stokelij in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Gemma ò amaris inventa lucida pura.*

1. Ingenioſa neceſſitas.
2. Anathema miraculoſum.
3. Novus modus.

EX quo Deipara Ioannem adoptavit in filium, ita omnium piorum curam gerit, ac ſi omnes genuiſſet. Hoc in templo, cujus originem auctor non deſcribit, licèt Deipara nulli deſit miſero, hernioſis tamen propitia magis eſt, ſed cur his potius, quàm alijs, utique nobis ocultum non eſſet, ſi prima templi initia nobis non invidiſſent hæretici. Hernioſis, inquam, propitia hic eſt. Hinc ingens faſciarum numerus tholo templi appenſus.

Ingenium. Fuit, qui ingenioſo inventò ſe ipſum à tam grandi malo (mole infantilis capitis) liberaret: quod hic adſcribo. Aſpectu tot faſciarum, fiduciam concepit, rogavítque æditumm, unam ex ijs ſibi concederet, fecit æditvus, unámque jam diu coram altari pendulam tradidit. Ille in anguium ſe recipiens, abiectâ ſuâ, ventrem & ilia ſtringit faſciâ illâ de altari acceptâ. Illico ſentit iliorum dolores leniri primùm, deinde etiam minui. Tertio die (nam ter huc redijt) cùm omnem dolorem abijſſe ſentiret, faſciam religat, & ſe omnino omni hernia præter omnem expectationem ſentit vidétque liberatum. Diſce lector, quomodo neceſſitas acuat ingenium. Ex Wickmanno l. 2. c. 18.

D C C I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
D E R O S A R I O.
Parcinone in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Pura mea tota micas, mundi Regina vale.*

1. Ferrumcereum.
2. Innocentia defenſa.
3. Zelotypia.

ROſarium, Deiparæ inventum eſt: mundo per S. Dominicum innotuit. Quanta per id Eccleſiæ bona evenerint, non attinet hic dicere, ſed ut omnia à primo fervore deficiunt, ita & hæc in Virginem pietas tantùm non ad nihilum redacta eſt in urbe Barcinonenſi, totius Catalauniæ Metropoli. Eam ob cauſam optimi Patres omnem diligentiam adhibuere, ut iterum *Roſarij Congregatio* coaleſceret. Inter eos, qui nomen dedere, mulier fuit, quæ Roſario nullo non die B. Virgini ritè adnumerato, aliud non petijt, quàm quietam domi pacem. Maritus namque Zelotypus, innocentem tractabat verbis, & verberibus plùs quàm adulteræ merentur: demum etiam dare morti concluſit, dùmque pugionem de vagina trahit, dum uxorem in terram deijcit, dum ictum parat; neque illa tem us breve perdidit, ſed totum in Virginis invocatione ſummo affectu impendit: Roſarij à ſe dicti, & in perpetuum dicendi meminiſſet, nec perire ſineret ſibi devotam. Roſa-rium.

Nihil hæc verba molliverunt maritum, ſed pugionem: nam licèt impius pugionem ſe crederet capulo tenus immerſiſſe caſtiſſimo pectori, innocens tamen ferrum ceræ inſtar ab ictu fortiſſimo recurvum, apice ſuo ad capulum reſpexit, nullo nec veſtis quidem læſæ piaculo ſceleratum. Sed majus eſt, quod ultrà hæc ferrum præſtitit neutrum licèt tetigerit, utrúmque tamen corde ſauciavit: redintegratis namque poſt miraculum pacis antiquæ fœderibus, facto manè maritus cum uxore ad Deiparæ Sacellum, quod de *Roſario* nomen habet, ſe contulit, & miraculo fideliter denarrato pugionem, ut erat, recurvum tholo templi in rei perpetuam memoriam appendit, anno 1550. ut ſcribit Hieron. Taxius in lib. de Roſario. Gladius.

D C C I I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
RANSPERGENSIS.
Ranſpergæ in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. Vale, tu à pomo ne munda munda is margarita.

1. Gaudium ſenis.
2. Renovatio pietatis.
3. Energumenus.

RAnſpergâ vicus eſt ſub pago Lintrenſi inferiore, ad fluvium Getam, ab oppido Tenenſi milliario uno. Hic Imago Deiparæ eſt ab antiquo miraculoſa; quamquam originem ejus non legi; omittere tamen eam non poſſum propter inſignia miracula, quorum quædam adhuc ibi picta conſpiciuntur; unum eorum eſt in una tabula ubi ſenex abiectas grallas, ſeu fulcra ſubalaria B. Virgini offert. Alterum miraculum eſt

eſt mulier à dæmonibus infeſſa & liberata. In duabus alijs tabulis duo infantes repræſentantur, ad baptiſmum à morte ſuſcitati, & quanquam eo tempore, quo auctor hæc ſcripſit, miracula nulla facta ſint, fuere tamen viri, qui & populum ad fiduciam & Virginem ad beneficia invitaturi, has picturas renovari curârunt; quod quia anno 1618. factum eſt, nullus dubito interea repertos beneficijs Marianis dignos, qui & gratias acciperent, & honores Deiparæ ampliores darent. Ex Wickm. l. 2. c. 39.

Renovatio.

DCCIV.

Imago B. V. Miraculoſa.

PERPIGNIACENSIS.

Perpigniaci in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Manda ſine pari amata mea Virgo lucet.*

1. Iudex crudelis.

2. Patibularius.

3. Athei impij.

Langueſcentem civium fervorem in hujus S. Imaginis cultu valde excitavit, & ad primum concurſum reduxit miles Hiſpanus periculo ſuo, ſive corpus ſpectes, ſive animam. Is anno 1544. urbe à Gallis obſeſsâ, cum ſocio contra ducis mandatum (ſi fuga abfuit) egreſſus, captus, & ad aliorum exemplum ad ſuſpendiũ damnatus, id unum rogavit, ut liceret ritè factâ confeſſione mori Chriſtianè. Sed ducis impia urgebant imperia, quod & carnifex officium fecit, & utrùmque malè ligatũ bene ſuſpendit, alter quamprimum funus, experimento probavit artem Magiſtri, qui facilem dare mortem poſſet. Alter verò vivere non deſijt, quamquam pari arte ſuſpenſus; etiam loqui cæpit, & quemvis ex præſentibus inclamare, interpoſita etiam Deiparæ *Perpigniacenſis* invocatione, non vitam, ſed confeſſionem peti. Diſceſſum eſt ab omnibus, omnibus furorem Ducis timentibus, ſimúlque credentibus jam defunctum, quia cum vox defecerat.

Furor.

Supervenere duo pueri, caſu (ſi impijs credimus:) hos ille adDucem miſit: Itẽ, inquit, & nunciate, me adhuc vivere, & confeſſarium poſtulate. Iterum dico: ire citò; ne non confeſſus moriar; iuerunt ſanè pueri, quò jubebantur: ſed Religioſum poſt paucos paſſus nacti, ei referunt, quæ referreDüci jubebantur, Sacerdos ante omnia abſciſſo fune homini mortem è faucibus eripit: tum auditâ confeſſione ſalvum & ſanum comitatur ad templum hoc Deiparæ. Ita miſer ſententiâ primâ exantlatâ ſecundam à Duce non accepit, quis enim ad ſecundam mortem damnaret, quem B. V. à prima liberavit? R. P. Ballinger Soc. IESU 17. Sept.

DCCV.

Imago B. V. Miraculoſa.
REUSELENSIS.
Reuſelij in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Lucet Dea, immunis à natura agra pomi.*

1. Ignorantia deſtruit pietatem.
2. Antiqua B. V. placent.
3. Concurſus nobilium.

IN hoc pago, qui pertinet ad Cænobium *Poſtellanum* Canon. Regul. S. Aug. fuit DeiparæStatua miraculis clara jam à pluribus ſæculis. Certè ante ſeſqui ſæculũ fuiſſe maximũ concurſum, docent Anathemata, ante ſexaginta circiter annos adhuc pendula; ut ſeniores oculati teſtes probant. Feſto Deiparæ Aſſumptæ, conſueto tunc unius ſtadij per omnẽ templi circuitũ omnes viæ, omnéſq; trãſitus bigis & curribus intercipiebantur, quibus peregrini advehebantur, & licèt templũ amplũ vaſtúmq; per ſe ſit; Choris tamen utrinque lateralibus multitudini capiendæ auctũ eſt. VVickmannus l. 2. c. 32. Concurſus.

DCCVI.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE TOLERANTIA.
Pariſijs in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Pomi ſine macula rite datur magna Eva.*

1. Carnificum peſſimus.
2. Statua decapitata.
3. Honor propter miracula.

STatua, quæ in templo *S. Gervaſij* Pariſijs honoratur non potuit non eſſe miraculoſa: quanquam ne unicum quidem miraculũ memoret auctor. Quis enim credat Deiparam honores acceptos non rependiſſe beneficijs, & quidẽ miraculoſis? Hanc S. Statuam anno 1528. de Calvini hara quiſpiam ritu carnificum decapitavit. Rex Franciſcus indoluit, cùm malum factũ intellexit, & ante omnia per præconem reſcire populũ juſſit quamprimum mille aureos accepturũ, qui reum tanti facinoris detuliſſet. Tum argenteam, ſed inauratam Statuã è ſummo templo, ſummâ pompâ, quam ipſe Rex ſecutus eſt, deportavit. Demum hanc decapitatam, aliâ adhuc ſplendidiore ſupplicatione in templum S. Gervaſij ipſe comitatus eſt, ubi hodie colitur. Hos honores Deipara non ſine miraculoſis beneficijs ſibi fieri ſuſtinuit, quorum tamen nullam mentionem facit Iacobus Breuleus in antiquitatibus Parienſibus, unde hæc ſumpta ſunt. Rex.

DCCVII.

DCCVII.

Imago B. V. Miraculoſa. WILIBRORDIANA. *Antuerpiæ in Germania Inf.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Eva alma munita ſacro igne, parit Deum.*

1. Incendio claret S. Statua.
2. Rubus Moyſis.
3. Cultus B. V. magnus.

QUatuor penè ſæculis titulum miraculoſæ habet hæc Statua Deiparæ lignea. Ipſa Capellania (dent veniam latini novæ voci novam rem ſignificandi) vocatur *Capellania B. Mariæ miraculoſa*, ſed & hæc S. Statua cataclyſmum ſuum ſuſtinuit. Anno 1542. quo *Martinus Raſſemius* poſt vaſtatam Campeſtrem Brabantiam, etiam in ſuburbana Antuerpiæ deſæviit, in qua vaſtatione inter alia etiam hoc templum eſt exuſtum. Iterum tamen exurrexit è buſto ſuo, novum idem & aliud, in quo ſuperſtes flammis S. Statua, honoribus iterum aucta eſt, quos Deipara præſentibus iterum miraculis compenſavit, uſque ad annum 1566. quo nihil ampliùs ſacrum *Geuſij* reliquerunt Antuerpiæ: nam inter alia templa & hoc ſecundis flammis perijt.

Fuit, qui S. Statuam flammis ſubduxit, & in domo ſua tantiſper recondidit, ſed quia & hæc domus cum vicinia eſt in cineres redacta, perijſſe quoque S. Statuam nemo fuit, qui dubitaret, ſed altiore conſilio ſub cineribus, & integerrima quidem inventa eſt, non obſcuro argumento, huic potiſſimum præ alijs SS. Deiparæ Statuis convenire titulum illum ut poſſit dici.

RVbVs arDens InCoMbVſtVs.

Hoc præſertim anno, quo iterum ſecundos honores accepit. Perierunt omnia templi hujus ornamenta, quæ vel maximè hic ad rem facerent, ſi ſupereſſent recepta per Parmenſē Antuerpiâ, coli tantiſper cæpit in *Beginagio* Antuerpienſi: quo in loco plurima contigêre miracula, quæ etiam ritè approbata ſunt. Illud auctor notat, quòd, dum adhuc loco ſuo ſtaret anno 1590. ſudâſſe viſa ſit, utique calamitatis prænuncia, quam paulò pòſt eſt experta civitas. Inducijs cum hoſte factis anno 1614. iterum ſtetit hoc Wilibrordianum templum Deiparæ, in quod publicâ ſupplicatione è *Beginagio* eſt translata, iterúmque miraculis claruit, ſed & iterum finitis inducijs, redintegrato bello in urbem delata primùm in Capellam *S. Eligij*, tum ob populi concurſum in templum *B. Mariæ in vico Cæſareo* devenit ſed & hic miraculis inclaruit, poſtea approbatis: ubi hodiéque eſt tanto in populi honore, ut tempus ante meridianum vix ſacris ſufficiat, quæ Sacerdotes & Religioſi vel preca-

vel pretio conſtitui, dicturi adveniunt. Anno 1627. *Congregationem Conſolationis Afflictorum* erexit nuncius Apoſtolicus. Ex VVickmanni libro 3. cap. 24.

DCCVIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE COLUMBA. *Bononiæ in Italia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Deum lactat anima in ſe pura mea Virgo.*

1. *Columba architecta.*
2. *Voti velox ſolutio.*
3. *Rotundum Beata V. vult templum.*

Riccioliâ Alberti Gallutij nobilis Bononienſis filia templum Deiparæ vovit, & non dilatâ, ut ſolet fieri, voti ſolutione, architectos quamprimum operi admovit. Jámque fundamenta alicubi eruta expectabant primos lapides, ſolenni cerimoniâ benedictos: cùm operarij Columbam obſervârunt ramenta lignorum laborioſè comportata diſponere in circulum bene amplum. Mirum erat, Columbam huic intentam operi eſſe, & hoc loco, ſed non dignum, quod prudens quiſpiam juſtâ æſtimatione penſaret, miraculo tamen vicinius fuit, circulum non minùs perfectam habuiſſe peripheriam, quàm ſi uno circini ingentis pede fixo, alter hoc ſpatium pererrando deſignâſſet lineam, quam Columba poſitis ramentis formaverat. Res Epiſcopo indicata traxit virum in rem præſentem, venit, vidit, ſuaſitque Riccioliæ, & locum mutare, & formam ante conceptam.

Colum-ba.

Placere Virgini Rotundam, & locum, quem per Columbam ſatis ſupérque indicâſſet, factum, vixque finitum eſt templum, cùm populus ſpe futurorum beneficiorum locum accurſu ſuo celebrem fecit, & adhuc celebriorem Deiparæ miraculoſa beneficia, quæ, ut opinor, in hodiernum diem durant. Cæterùm locus extra urbem eſt, & piæ ambulationi aptus. Ex Sigonio de regno Italiæ.

DCCIX.

Imago B. V. Miraculoſa. DE BONO ORDRE. *In Silva ſonia in Germania Inf.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Virgo Immaculata dans re vitæ panem.*

1. *Muſica læſa tempore triſti.*
2. *Odores Cæleſtes.*
3. *Gralla abiecta.*

O quàm tenuia grandium rerum initia: Hæc Deiparæ Statua initia venerationis ſuæ accepit non alo

alio in loco, quàm in quo ruſticus ſtipitem panxit, & ſtipiti Statuam impoſuit, operis & laboris ſocio foſſore: & ſi lectori placeat reſcire tempus, fuit noctis medium inter feriam quintam & feriam ſextam Paraſceves. Creditum eſt, affirmantibus pijs & fide dignis duobus his operarijs, vix ſtipite ceſpiti infixo, odores cæleſtes locum impleviſſe, quamdiu audiviſſent Angelorum cæleſtem Symphoniam. Hinc nomen S. Statuæ. Paraſceve.

Cæterùm odor, qui adhuc eſt, à diverſis herbis venit, quas ibidem fert felix tellus, viris tanta fides apud plebem fuit, ut jam ſtipes ille pro templo eſſet populo turmatim accurrenti. Fuit, qui S. Statuæ tectum dedit, & pietatis augmentum populo, qui in adjectum è ferro Gazophylacium brevi pecunias iniecit erigendo Sacello: quod & brevi ſtetit, ſed ligneum, cujus cauſa potiſſima fuit mulier omnibus membris ægra. quámque huc grallæ portaverant, ea poſt breves preces eſt erecta in pedes, ut abiectis grallis ſana domum concederet, nec ſtetit pietas, dum è ligneo Sacelli fieret quod hodie videtur, lapideum, miraculorum numerus magnus: quæ tamen, quia ordinaria ſunt, omittuntur. Feſtum Virginis Annunciatæ hîc præcipuum eſt. Ex VVickmanno l. 2. c. 19. Grallæ.

D C C X.

Imago B. V. Miraculoſa.

SUONICHENSIS.

Suonichæ in Boſnia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Panem dat animarum lactea Virgo IESU.*

1. Impius lapideſcit.

2. Equus lapideſcit.

3. Turca in Virginem reverentia.

CUr IESUS filius parceret Mahometanis in Matrem, Mariam ſceleſtis, quando tam durè ſævit quandoque in Chriſtianos Matris ſuæ hoſtes? Boſniæ civitas eſt *Suonicha*, in hac Turca quidam non bene ſuis inſtructus legibus crimen commiſit in Deiparam, Turcis non conſuetum. Certè non legi à Turcis ſperni Deiparam, ut ab Hæreticis Chriſtianis ſolet. Legi verò in *R. P. Quareſmio*, & alijs, qui de terra ſancta ſcribunt, adeò à Turcis paſſim honorari Deiparam, ut ea loca à direptionibus ſint ſecura, quæ Virgo, in vivis cùm eſſet, honoravit: quin etiam cum Turcis miracula fieri ſcribunt Auctores probati: & teſtes oculati mihi ſæpius retulerunt, præſertim eo loco, ubi domus *Nazaretana* ſtetit. Turca.

Sed uti non omnes Chriſtiani ſunt legum ſuarum obſervantes, ita de Turcis mirum non eſt, ſi unus quandoque leges ſuas transgrediatur, unus, inquam, Turca anno 1541. cæteris furioſior Imaginem Deiparæ conſpicatus, eam in ſcopum lanceæ ſuæ elegit, & transfixit. Profundum fuiſſe vulnus,

arguebat ſanguis copioſè defluens Hoc Turcæ plùs quàm Chriſtianis novum, & nunquam viſum miraculum, ſanguinem ita movit, ut in rabiem exardeſceret non niſi aquâ refrigerandam. Eam ob cauſam in flumen vicinum ſe pleno ſaltu unà cum equo præcipitavit.

Pœna.

Nihil dum in hoc vel miri vel miraculi eſt, id quod ſequitur, etiam Turcis pro miraculo habitum: quòd impius una cum equo in lapidem verſus ſit: ne tanti ſceleris auctor omnino periret, eſsétque, quod poſteris, ſi boni eſſent, admirationem, ſi mali horrorem moveret. Imago, quantum auguror, magis ſed occultis honoribus placata, etiam beneficia Chriſtianis rependit, Chronicon Minorum t. 4. l. 3.

DCCXI.

Imago B. V. Miraculoſa.

CALETORTIANA.

Caletorti in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *IESU agna dilecta imo una pura mater.*

1. Redde, quod debes.

2. Equi debiles.

3. Trabs gravis.

CAlevortum extra Bruxellenſem urbem jam olim Deiparæ dedicatus locus, hodiéque ſacer permanet. Miraculis clarere jam cæpit anno 1454. ſed ab integro ſæculo ejus repetenda origo eſt. Anno itaque 1354. mercator unà cum mercibus ſuis jactatus mari, in ultimo diſcrimine voto ſe Virgini obſtrinxit, Imaginem ipſius, quam pulcherrimam poſſet, ſe curaturum. Ut ſciret exauditas preces, quàm primùm deſiêre venti, quievit mare, & navis, tempeſtate ſuperatâ, portum tenuit, voti memor ante omnia Deiparæ Imaginem emit parem promiſſis, & Calevortum delatam trunco impoſuit.

Oratio.

Populus, ut eſt Deiparæ addictiſſimus, locum concurſu fecit celebrem. B. Virgo miraculoſis beneficijs celebritatem auxit; ita ut ex collatis donarijs Sacellum decerneretur. Statim adfuêre, qui trabes ſuas Deiparæ offerrent, inter quos & Michaël quidam fuit, qui cùm trabes ſuas obtuliſſet corde ſincero & mente bonâ, atque interea, priuſquam manus fabricæ admoverentur, quidpiam aliud ipſe ædificaret, oblata Deiparæ ligna in proprios uſus tantiſper convertere ſtatuit: nullæ tamen vires hominum, nulli equi molem loco movere potuerunt. Ille pænitens facti, veniam à Virgine petijt, & donationem ſuam ratam habuit. Dum hæc Michaël exequitur equi molem omnem lignorum ad locum Sacelli deſignati nullo ductore devehunt. Sacellum hoc hodiéque ſtat, & *antiqua Capella* vocatur. Hoc unum ex omnibus adeſſe credo miraculum; cùm aliud non ponat *Wichmannus*: ex cujus l. 2. c. 17. hæc prompſi.

Immobilitas.

DCCXII.

Imago B. V. Miraculoſa.

BAIOCENSIS.

Baiocæ in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Mater pura ſine macula Adami venit.*

1. Libertas empta precibus.
2. Catena.
3. Annulus miraculosè ſolutus.

LIcèt originem hujus miraculoſæ Imaginis dare non poſſim, poſſum tamen pietatis ſingulariſſimam reſtaurationem, origini fortè ipſi non imparem, memorare. Normannus mercator à Saracenis ultra mare in ſervitutem redactus, catenis vinctus, in carceris ſqualore miſeram vitam miſerè tranſegit. Felix miſeria, quæ homines mentem divitijs preſſam, erexit in cælum uſque: huc enim ſuſpiria tendebant; quæ perdius & pernox, ſed miſer animum, nunciorum loco miſit; cùm alios non haberet, verbo Deiparæ *Baiocenſi* voto ſe obſtrinxit, has preces, Votum. hæc vota, libertas eſt conſecuta miraculosè, catenâ ſponte ruptâ. Ferro itaque liber ad Virginis ædem pervenit incolumis, ferreus tamen circulus, adhuc collo innexus malè hominem torquebat. Iterum factâ ad Virginem oratione, clavus ſponte evulſus eſt, ita ut eum mercator nullâ diligentiâ reperire potuerit. Hæc ſigna ſervitutis tholo templi appendit. Antonius Solerius, de Ven. SS.

DCCXIII.

Imago B. V. Miraculoſa.

DOMINA GRATIÆ.

Scheutueſtæ in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Venit regis amica pura, & à malo munda.*

1. Peregrinatio brevis.
2. Roſa miraculoſa.
3. Fur punitus.

NOn vires tantùm, ſed & orationes ruſticis ſunt fortiores: fortè quia à quercu plerúmque robur ſuum accipiunt, certè hujus perantiquæ, & perquàm miraculoſæ ſtatuæ origo debetur ruſtico, qui in viatorum commodum plantaverat quercum, & quercui Statuam impoſuerat tribus denarijs emptam, néve Statua hæc careret cultore ipſe ter in die paucis à domo paſſibus peregrinationem inſtituit, & flexo genu verbis Angeli ſalutavit. Decennio pòſt, nocte feſtum Pentecoſtes Fulgor. præcedente, illuſtrari viſa eſt quercus cæleſti fulgore, manè quoque cerei circa arborem jacentes reperti.

Fama Bruxellam vicinam allata excivit plùs quàm decem ho-

minum millia, ſtatim ad procumbentium preces facta miracula, adhuc famam longiùs promoverunt, ſed & ſub auroram feſti ſubſequentis cuidam Matronæ, ſe viſendam præbuit ſpecie auguſtiſſimâ, atque in hæc verba dedit mandata: Populo, inquit, nuncia, me in Scheutuelta velle honorari, ac *Dominam gratiæ* appellari, ac ne vel ipſa Matrona, vel divinorum ſomniorum non docti interpretes, rem non examinatam pro more ad fabulas reijcerent, tribus conſequenter noctibus, eadem repetijt. Somnium hoc honeſtæ Matronæ poſt juſtum examen invenit fidem. Interea honor Deiparæ ſub quercu eſt à pijs exhibitus, & Statua quandoque noctibus fulgere viſa.

Roſæ. Quidam oblatas roſas detrahere auſus, in terram ſic proſtratus eſt; ut ſciret, ſe non cecidiſſe, ſed deturbatum eſſe. Alius poma ibidem oblata rapturus, priùs ſe terræ alliſum vidit, & ſenſit, quàm manum extenderet. Ita affluxu populi S. Statua honores accepit, ut quandoque decem millia & ampliùs convenirent. Hæc Statuæ origo eſt miraculoſæ. Porrò Monaſterium Carthuſianorum, quod ad quercum eſt ædificatum, ita

Rex. initium ſuum habuiſſe fertur. Regnabat tum *Philippus*, quem à virtute *Bonum* jam illa ſæcula appellabant, is ordinem Carthuſienſem præ omnibus amavit, & fovit, adeò ut per omnem Franciam de Monaſterio in Monaſterium iter faceret, rarò Bruxellas viſeret, magno Bruxellenſium dolore, quibus ille, ſæpius, inquit, Bruxellas venirem, ſi ibi meos Carthuſianos invenirem. Satis dictum ſapientibus, & Principem ſuum amantibus.

Hi mentem Principis boni non malè interpretati, quamprimum Carthuſienſibus templum & Monaſterium decrevere: & quia hæc Deiparæ Statua cuſtodibus opus habebat, qui cultum promoverent, hic quoque præ alijs locus placuit; præſertim cùm extra urbem deſerti ſpeciem haberet, quod hæc religio ambit. Templum itaque cum Monaſterio paucis menſibus perfectum eſt, promovente opus tam Deiparæ, quàm Principis amore. Adſunt Bullæ *Pij II.* tantam pietatem approbantes. Hodie Monaſterium cum templo novum ſtat in urbe, nam illud, de quo dixi: furor *Geuſiorum* vaſtavit. An verò eadem Statua hodiè ibidem colatur, auctor non memorat: quamquam dicat, eundem titulum *de gratia* adhuc ſupereſſe. Ex VVickmanni l. 2. c. 16. Templum.

DCCXIV.

Imago V. B. Miraculoſa.
STAGNENSIS.
Stagni in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Munda polis emicet verna Virgo amata.*

1. Herba

1. Herba intra noctem creſcit.
2. Paſcua pinguia.
3. Pius paſtor.

ITerum B. Virgo honores ſuos auſpicatur à paſtoribus, & quidem bubulcis, non multùm ultra horæ ſpacium ab urbe Divionenſi diſtat *Stagnum*, oppidum, ad pedem montis, in cujus jugo Sacellum Deiparæ viſitur, peregrinorum inſolito concurſu nobile. Hic bubulcus Anno 1531. inter paſcua bovem vidit à grege ſeparatum, gramen omne deglubere: quod tamen, cùm altero die rediret, Paſtor. creviſſe animadverſum eſt à paſtore; & iterum bovem rediiſſe ad hæc paſcua: quin & ſpiſſius ſemper altero die ſtare recentem herbam, non ſine admiratione obſervavit, bovémque quotidie, & hunc ſolum venire, nec ullis verberibus abigi poſſe. Subeſſe ratus quidpiam, quod vires herbæ porrigeret, ad fungorum modum, nocte unicâ creſcendi, arrepto ſarculo terram fodit, & poſt primos ictus tantum non tetigit, læſitque pulchram Deiparæ Statuam, ſed brevem ex argilla. Quam ille veneratus primùm ritu majorum ſuorum, quibus ſtabulum pro templo, præſepe fuit pro altari, deinde in proxima arbore, quantum potuit, decorè collocavit.

Exemplum paſtoris ſui ſecuti Altare. incolæ *Stagnenſes*, & quia hi à B.V. operæ pretium tulerunt, etiam accolæ beneficiorum famâ pellecti accurrerunt, ſed neq; hi indonati abiere. Itaq; paulò pòſt comportatæ eleemoſynæ in Sacellum ſuffecerunt; ex quo deinde templum: multitudine enim & numero peregrinorũ aucto, auctæ ſunt quoq; Virginis gratiæ. R.P. Poyræus S. IESU in cor.tri P.lib.2. cap. 12.

D C C X V.

Imago B. V. Miraculoſa.
P E R E G R I N O R U M,
Antuerpiæ in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Amata mea pura candoris lumine viget.*

1. Vires militares.
2. Godefridus Bullionius.
3. Regnum merito acquiſitum.

EST in urbe Antuerpienſi platea, quæ à multitudine peregrinorum nomen accepit *Viſitantium* hoc, de quo loquor, Sacellum. Statua Deiparæ olim trunco arboris affixa, poſt accepta beneficia ab Antuerpienſibus Sacello incluſa eſt, & Normannorum incendiariam depopulationem, inobſervata ſuperavit. Prodigia, quibus longa per tempora floruit, durârunt uſque ad annum 1533. quo Incendium. anno Sacellum, ut dixi, incendio periit: quod tamen, redditâ terris pace, paulò pòſt iterum ſtetit piorum ære. Sed & redierunt miraculoſa Deiparæ beneficia. Hoc ſingulare, quòd olim hoc in loco frequentes Deiparæ honores exhibuit magnus ille Dux *Godefridus Bullionius*, cujus dextera (nullius fæ-

fæminæ tactu contaminata) Regis Hieroſolymitani titulum coronámque promeruit; utique poſtquam ex hoc maximè loco ſacras vires accepit. Ex hoc denique Baſilicam Deiparæ ſtructam aſſerit VVickmannus libro 2. cap. 21.

D C C X X I.

Imago B. V. Miraculoſa. L O C A T E N S I S. *Locati in Italia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Viget Adamo, mirante ſine macula pura.*

1. *Miraculum in palatio.*
2. *Lacrimæ ſanguineæ.*
3. *Timor periculi moleſtus.*

LOcatum, prope Mediolanenſem urbem oppidum eſt, ubi RR. PP. Servitæ in ſuo templo pictam in tabula Imaginem habent Deiparæ. Hodie miraculoſa eſt. Originem inde habet, quòd, cùm anno 1524. hæc tabula eſſet in Palatio *Comitum de Trivultijs*, puel'a quædam honoraria, ex uſu quotidie coram ea Virginis Icone certas ſtatáſque preces funderet, ſemel cùm fixis intentiùs oculis eam intueretur, non ſine admiratíone obſervavit ex oculis S. Hieronymi (ponè appicti) fluere lacrimas, & quidem ſanguineas, illa deceptionem verita, bombice abſtergit primas: cúmque ſecundas etiam videret affluere, abſtergit etiam ſecundas, & quia has tertiæ, quartæque, & plures ſubſecutæ ſunt, ſacro horrore concuſſa, exceptas bombice lacrimas Heræ oſtendit. Lachrimæ.

Hæc, ut ſolet, rem ad deliramenta reiecit: rogata tamen, ipſa ſe ad S. Imaginem contulit, viditq;, quod ante non credidit, quin & vidit tota Comitum dictorum familia. Res quatuor fæminis nota totum Mediolanum diu latere non potuit, ſummi, infimíque, diu noctúque ad miraculum concurrerunt. Vim faciebant, quibus porta claudebatur, ſummo familiæ *Trivultiæ* periculo: quando è palatio penè dixerim forum publicum factum erat. Itum eſt in conſilium à Comitibus Trivultijs, quibus hoc miraculum oppidò moleſtum & ingratum accidit. Domum tenere apertam diu noctúque, intromittere quoſcúnque, & quidem turmatim, quid è fece quiſpiam tentare, imò peractum dare non poſſet fortunis quin & vitæ noxium? ut nobilium, qui inimicitias alunt, nemo ſit, qui ſub Virginis miraculoſæ oculis, & oculis lacrymantibus, quidpiam atrocius audeat; ipſa tamen cura, & incertitudo, quantum in nobili domo malum: inito itaque, ut dixi, conſilio, communibus votis itum eſt in eam ſententiam, ut Beatæ Virgini & S. Hieronymo, in oppido Locatenſi, fundo ſuo, quàm primùm Sacellum ſtruerent, in eóque, quàm citiſſimè poſſent, Periculum.

poſſent, S. Tabulam reponerent, ſemper ſuam. Non credam, ullam toto ſæculo fabricam citiùs promotam, & vel ideo parvâ formâ ut citiùs finiretur; quod & factum. S. Tabula magnâ pompâ numeroſæ ſupplicationis illuc deducta inter cæremonias ſolennes poſſeſſionem accepit novi domicilij & ne putaretur, Trivultiam familiam hæc omnia ad redimendam vexam, ut aiunt, feciſſe; Cænobium adjunxêre, & è Sacello fecêre templum, quod curarent RR. PP. Servitæ. *Gononus* anno 1524. ait, his lacrimis calamitatem toti Italiæ fuiſſe prædictam.

DCCXVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
ALSENBERGENSIS.
Alſenbergæ in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Puraſit à malò acri, nam ea Deum genuit.*

1. Angeli laboribus noſtris cooperantes.
2. Miſſam ſanctus dicit.
3. Templum filo cinctum.

ALſenberga pagus charior Deiparæ multis, urbibus, quod lectori mirum non videbitur, ſi originem templi Mariani, & miraculoſi, intellexerit. *Eliſabetha Thuringia*, omnibus Marianis ſcriptoribus decantatiſſima, cùm ab Angelo mandatum accepiſſet viſitandi *Mariam Duciſſam Brabantiæ*, petendíque locum, in quo ſuis impenſis templùm extrueret Deiparæ, in Brabantiam cum feſtinatione abijt, Duciſſam Mariam convenit, & Deiparæ mandata expoſuit, jucundum Mariæ Duciſſæ fuit, terras ſuas à Deipara expeti neque cunctata Eliſabethæ omnem obtulit Brabantiam, quã totam optabat Marianam, & ſi poſſet in templum Mariæ converſam.

Mariam & Eliſabetham vidiſſes divina tractantes. Dubitantem Eliſabetham de loco, & non parùm ancipitem, an pagus Deiparæ quiſpiam præ urbe placeret, an verò urbs quæpiam in votis eſſet. Angelus iterum monuit, in pago *Alſenberg* dicto agrum eſſe viridi lino florentem: hunc Deiparæ conciliaret, hunc ab ea electum. Linum. Supererat, ut Angelus tres quoque ſorores pauperes moneret de Virginis voluntate: velle Virginem ut agrum, ſi peteretur, pro templo non cunctanter traderent. Virgines Angelo & agrum, & domum, & ſeipſas in obſequium Deiparæ obtulerunt, atque id unum poſtulârunt, expectare dignaretur, & tantum moræ concedere, dum linum matureſceret. Facilè precibus juſtis annuit Angelus: ſed; manè, inquit, in agrum abite, & ubi inveneritis linum veſtrum maturum, extrahite, factum hoc à virginibus poſtero die eſt: Cùm ecce Eliſabetha Regina, agrum à virginibus poſtulat. Illæ denarrato Angeli imperio, & lini Angelus.

Ddddd 2 ante

ante tempus maturi miraculo, agrum, ut erat, extracto jam lino, Reginæ quâ primùm concedunt. Crediderim, abundè pro agro pretium ſolutum virginibus, atque ideo Eliſabethæ carioribus, quòd acceptas eſſe intellexiſſet Deiparæ.

Itaque *Alſenbergenſis* Baſilica Eliſabethæ diligentia & ære paulò pòſt ſtetit, fuitq; Deiparæ factum ſatis; ita ut nec ab Eliſabetha, nec à Ducíſſa Maria, nec à tribus virginibus quidquam ampliùs poſtularet, ſed ut ſciremus, opera Dei ſucceſſivè compleri, Chorum quoque templo Deipara voluit adjungi, non ab Eliſabetha, ſed *à Ioanne III.* hujus nominis Duce Brabantiæ. Miles. Hic cùm in terra ſancta contra Saracenos militaret, & in captivitate pro more gentis, paulò minùs quàm crudeliter haberetur, votum Virgini fecit (non dubium quin ipſius Virginis inſtinctu) ſe templo *Alſenbergiano* daturum ære ſuo Chorum, ſi ad propria ſalvus ſanúſque rediret, mox liber ſanus & ſalvus redijt: quanquam non inveniam liberationis modum.

Sed inter libertatis & patriæ gaudia mirum non eſt, quòd elapſa ſit & præteritæ captivitatis acerbitas, & ſoluendi voti neceſſitas, ita nempe proſperitas miſeriæ memoriam obliterat; uti nunquam ſe felicem fuiſſe meminit, qui miſer eſt, ſed Deipara per Somnium Somnium monuit Ducem, quin etiam filo omnem Chori figuram deſignavit, quomodo nempe orientem verſùs ultra templum, & quo uſque promoveri debeant muri novi. Somnium non fuiſſe vanum, teſtabatur filum ipſum in glomum convolutum, & ad lecticam ab ipſa Deipara relictum. Quare quamprimùm operas admovit operi: ſed morte præventus cæptam ædificationem reliquit imperfectam, ſucceſſori filio finiendam, at quia nulli conatus faciliùs retardantur, quàm ſacri, nova bella facilè novam fabricam ſtitêre per complures annos: Cum ipſa iterum Deipara templi ſui curam ſuſcepit, non obſcuro documento, quòd ſiquid à nobis factum ſuperi velint, ipſimet faciant neceſſum ſit. Iterum, inquam, apparens *Ægidio* cuidam Apparitio. pio, Sacerdoti, his verbis eſt eum allocuta, quæ hic admetior. *Confeſtim ſurgere, & velociter Capellam adire, ac viſitare ſatage.* Ille excuſſo confeſtim ſomno, nocte mediâ properat, quo jubebatur, & in cœmiterio videt Virginum, ſed, ut apparebat, Cæleſtium ordinatam ſupplicationem: quam venerandi vultûs Sacerdos ſequebatur, qui in templo, præſente, & omnia vidente *Ægidio*, miſſæ Sacrificium ad laudem Deiparæ dixit.

Hæc Ægidius vidit, hæc alijs oculatus teſtis dixit, ſed & templi cuſtos, neſcio quâ viſione nocturnâ ita recreatus eſt, ut ſe cæleſti gaudio nunquam in vita ſua ſit delibutum meminerit. Denique filum in templo repertum eſt, ab ipſa Deiparâ relictum: quod hodiéque extat, ut habet M.S. antiquum: & ſunt, qui teſtantur, uſque ad tempora *Geuſiorum* id eſt, uſque ad annum 1580. ſuperfuiſſe.

Itaque

Itaque reſumpta eſt Chori fabrica, & ad finem perducta, quo tamen id anno contigerit, non memoratur, unum ex miraculis notatum invenio: Infantem mortuum ex utero Matris, translatum ad tumulum, & quinquaginta quatuor horis ſub terra ſepultum jacuiſſe, ſed cùm Matri identidem id flagitanti datum eſſet, ut iterum effoderetur, in idoneorum teſtium præſentia Deiparæ *Alſenbergenſi* commendatus, & oblatus eſt. Illico ex umbilico infantis mediam aiunt libram ſanguinis effluxiſſe, tum moviſſe linguam, & aperuiſſe oculos: & poſtquam ſacris aquis ritè ablutus eſt, ſupervixiſſe ſedecim integris horis, atque iterum obijſſe. Hoc ingens miraculū debitâ juris formâ probatum eſt, 19. April 1473. Hæc de templo *Alſenbergenſi*, omiſſis, quæ ad rem meam non faciunt. Accepi ex VVickmanno libro 2. cap. 15.

Mortuus.

DCCXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa. AGENNENSIS. *Agennæ in Gallia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Genuit IESUM pura malo, ac rite amanda.*

1. Bubulcus inventor.

2. Fama velox.

3. Statua fugiens.

FElíciores cæteris hominibus eſſent paſtores, ſi ſuam ſortem agnoſcerent, & ſuâ felicitate contenti eſſent. Ex quo Deipara à paſtoribus inventa eſt Bethlemi, quærit ipſa, & geſtit ab ijs reperiri in ſtatuis ſuis. Unam ex argilla fictilem, neſcio quis, in dumeta abiecit. Hujus inventor Bubulcus eſſe juſſus eſt è cælo, monſtrante viam tauro, qui incertum, à qua illectus herbula inter vepres paſcua invenit, non parùm attonito paſtore, quid tauro toto die placeret in vepreto: donec ipſe curioſus inquiſitor Deiparæ Statuam invenit, & matri, veniente Heſpero, domum tulit: quæ illam inter theſauros ſuos in arcâ recluſit; dum loci Parocho oſtenderet inventum in agró theſaurum, ſed requiſitam altero die Statuam cùm non inveniſſet, rata id, quod erat, quódque non rarò inaudierat, ad locum, unde eam pridie filius accepit, properavit, & invenit.

Bubulcus.

Non fuit mulieri piæ dubium, quin crederet, Deiparam in hoc, non alio loco, cultum ambire, quapropter rem, ut erat, evulgavit inter vicinas: hæ alijs dixêre, illæ pluribus, ita fama per omnem circùm viciniam didita, accivit populum ad preces & vota, quin etiam ad inſignis Sacelli fabricam, in quo hodiéque Deipara Agennenſibus propitia eſt. Habent ibidem Cænobium RR. PP. Franciſcani Tertij Ordinis & cultum Deiparæ promovent R. P. Poiræus Societatis IESU t. 1. cap. 12.

Fama.

DCCXIX.

Imago B. V. Miraculoſa.
AMICTA SOLE.
Antuerpiæ in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Amanda mea Virgo & ſine turpi macula.*

1. Septuaginta altaria.

2. Statua immobilis.

3. Rabies hæretica.

HÆc Deiparæ Statua juſtæ magnitudinis è ligno ſculpta; ſole amicta, habet lunam ſub pedibus. Hæc, inquam, in templo RR. PP. Franciſcanorum longo & decoro fune pependit è laqueari, nullo miraculo inſignis: uſque dum *Geuſij*, titulum ei miraculoſæ primi contulerunt, quia miraculoſam inviti fecêre. Annus ſi quiſquam alius Antuerpiæ luctuoſiſſimus fuit 1566. quo *Geuſiorum* rabies hæretica totam cum domibus Antuerpiam credebatur everſura, & quod mireris, nullo militari jure, aut Cæremoniâ, ſed ritu bachantium. His debachationibus datum initium eſt in templo neſcio quo: nam omnia hæc in tumultu direpta ſunt. In ligna & lapides pugnatum eſt: & Statuas Sanctorum, in quas poteſtatem nullam habuiſſent, niſi datum fuiſſet deſuper.

Geuſii.

Quid memorem alia templa? quando in ſola Deiparæ Baſilica ſeptuaginta altaria, pretioſo ornatu cultiſſima, plùs quàm barbaro modo devaſtârunt? Ita per urbis Eccleſias penè omnes itum eſt. In hoc RR. PP. Franciſcanorum templum ubi deventum eſt, perfuncti officio ſuo ſunt induſtriè. Jamque in terra jacebat, quidquid ſacrum, quidquid decorum habebat ab antiquo hoc S. Franciſci. Templum cùm unus eorum Statuam hanc Deiparæ in aëre pendulam intuitus.

Statua.

Hic, inquit, labor ultimus eſto, qui primus eſſe debuerat: ſimul quidquid artis, quidquid ingenij habent architectorum periti ſſimi, in hanc unam Statuam expugnandam adhibuêre, ſed quæ Virginis eſt potentia, potentiâ funium nullâ, nullâ machinarum, loco moveri potuit, nec alio tunc (quod quidem ſciatur) miraculo his hoſtibus aut timenda, aut veneranda, perſtitit, quando hoc unicum vel cæcis ſufficere debuerat. Hinc eſt, quòd diſiecto *Geuſiorum* turbine, Virginis hujus S. Statuæ majores dati ſint honores, quos illa beneficijs compenſavit: propter quæ eam inter miraculoſas ponit Wickmans, unde hæc ſumpſi, l. 2. c. 23.

DCCXX.

DCCXX.

Imago B. V. Miraculoſa.
GARAZONIA.
In Monte Leonis in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Macula remota eſt à Virgine pia munda.*

1. Panis albus ex nigro.
2. Corda tarda in pietatem.
3. B.V. medica.

NOmen huic S. Statuæ datum à populo *de Gueriſon*, ſeu *de curationibus*, propter miraculorum copiam; mutatum ab imperitis eſt, ut hodie dicatur *de Garazone*, voce nil prorſus ſignificante: quod initio memorandum judicavi, jam originem dabo. Puella duodennis, pauperrimi patris filia, oves ad paſcua more ſuo duxit: cui Deipara apparens, vade, inquit, ad patrem, & meo nomine jube eum proficiſci ad *Montem Leonis*, & monere cives, ut templum mihi hoc in loco ædificent. Puella rerum ſuarum non oblita, facturam ſe imperata eâ conditione, recepit; ſi ipſa interim Deipara & oves, & panem nigrum in ſacco cuſtodiret, quod ubi Virgo promiſit, illico puella ad patrẽ cucurrit, & quæ juſſa erat, nunciavit. nec minùs puellâ pater ſimplex & rectus rectâ ad oppidum *Montis Leonis* horæ unius itinere contendit, & Conſulibus Virginis imperata edixit: ſed non perſuaſit, exoticâ nempe linguâ loquitur, qui de rebus divinis cum mundano homine loquitur, auctor etiam duriùs ab ijs receptum memorat, ille legatione ſuâ perfunctus, domũ redit ad filiam, & refer, inquit, Deiparæ verbis meis fidem non habere Conſules, & mihi panem tuum affer.

Apparitio.

Illa ad gregem, & ad Virginem properat; numeratiſque ante omnia ovibus Virgini dicta patris refert, ſed Virgo, iterum, inquit, abi, & eadem dic patri, ut eadem iterum dicat Conſulibus & civibus. Puella & Virginis & patris factura imperium, ad ſaccum ſuum reſpexit, & panem invenit longè à priore diverſum, & candidiſſimum, qualem nec cives *Montis Leonis* haberent: quem poſt iterata cuſtodiendarum oviũ promiſſa patri affert illibatum; ſimúlque juſſa antiqua novis verbis refert. Pater jam novo panis argumento eloquentior, facilè decurſo unius horæ milliario, iterum civibus, iterum conſulibus, & eadem, & alia decantat; & jam jam nutantia in pietatem corda; oſtenſo pane, confortat, ſigno indubio veræ apparitionis, & non contemnendæ. Parochus loci ad panis conſpectum hæſit: præcipuè cum viri non fictam ſimplicitatem probè noſſet, civibus ſuaſit honorem ſibi à Deipara oblatum ne recuſarent, impenſas templi majoribus compenſaturam beneficijs: & denique etiam perſuaſit. Itaque populus in ſupplicationem compoſitus, ad locum monſtrante

Grex. Panis.

te

te puellâ, devenit: primámque loco venerationem fixâ in terram cruce dedit, & paulò pòſt templo initium. Jam durante adhuc fabricâ, tanta Virgo, támque miraculoſa beneficia ægris contulit; ut nomen acceperit *de curationibus*, linguâ vernaculâ *de Gueriſon*, unde vox poſtea corrupta Garazon hodie Garazonia. Ita Petrus Geofroy in hiſtoria B. V. de Garazonia.

DCCXXI.

Imago B. V. Miraculoſa.
LAKENSIS.
Lakæ in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Munda amica Mater elegans, pura vitio.*

1. *Templum à Chriſto dedicatum.*
2. *Templum ſtaturum ad finem mundi.*
3. *Reliquiæ exiſtimatæ.*

PLures ſexcentis annis abiêre, ex quo Belgium ceſſit in prædam & direptionem populis Occidentalibus, unum ex omnibus prælijs eſt, quod Belgio, & Belgarum poſteris utile fuit: id ad rivum *Senon* contigit, & in eo cæſus eſt vir nobilis proſapiæ, & adhuc magis probitate illuſtris: quem cùm amici in *Lakenſi* pago non plùs medio milliari ab urbe Bruxellenſi Chriſtiano ritu ſepulturæ mandâſſent, duæ ejus ſorores ſepulchrum lachrimis perfuderunt: quin etiam faſtiditâ domo gentilitiâ, domicilium hic quæſierunt, omnibus facultatibus huc advectis, ita ſepulchro tantùm non adhærentes, Deo precibus continuis fratris dilectiſſimi animam commendârunt, demum etiam, Sacellum in loco erexerunt, quo ſepulchrum tegeretur; & Deiparæ dedicârunt, contentæ ſi hoc pio opere fratris animam in cælum extuliſſent, nec quidquam aliud à Deiparâ poſtulare auſæ.

Sepulchrum.

Sed Virgo pro more ſuo plura dedit, quam petebantur: bono etiam publico, non privato tantùm, ſtare hoc Sacellum oculis ſuis conſpexêre, ſiquidem quamprimum miraculoſa beneficia B. Virgo precantibus eſt elargita, ſenſêre opem cæleſtem maximè Energumeni, & correpti igne ſacro, quem *S. Antonij* vocant, infernalem. Tredecim viri hoc igne ſacro correpti ſimul advenêre ſupplices, ſimul omnes illico ſunt liberati: ſi decimum tertium excipias, cui pars minimi digiti jam olim omnino conſumpta non fuit reſtituta.

Miracula.

Hic enimverò Deiparæ jam celebrem Imaginem adhuc celebriorem fecit blaſphemiâ, quâ queſtus eſt, ſe non perinde, ut alios, reſtitutum eſſe ſanitati priſtinæ, audijt blaſphemiam Virgo, & jure publico, hoc beneficio non contentum in integrum reſtituit: id eſt, eſſe fecit eum, qui ante fuerat, miſerum, mox enim ille priore morbo correptus, cum igne de-

voran-

vorante habitare, ſed non diu coactus in eorum præſentiã eſſe, qui blaſphemiã audierant, ſtatĩ in cineres redactus eſt. *Miraculum.* Miraculum priore maius eſt, quòd, cùm propter accurrentium multitudinem majus templum ſtrueretur in locum ſacelli, finitâ fabricâ deſtruendi, tribus omnino vicibus, quod ædificatum fuerat, mane altero, dejectum in terrâ jacuerit, magno quidem, ſed impijs nondum ſatis probato miraculo, cur enim non poſſint pauci parte noctis unica deijcere, quod multi integro die & *Vigiles.* magnis curis ædificâſſent? His quoque impijs vt fieret ſatis, vigiles conſtituti ſunt viri probi, & teſtes omni exceptione majores, qui manè altero fide publicâ referrent, quid quarta nox tuliſſet. Et ecce Deipara adfuit ipſa, vigiles territos timere vetuit: tum filo fundamenta templi deſignavit ipſa, filúmque ipſum ſubcineritij coloris tradidit Vigilibus, Epiſcopo quamprimum facto manè tradendum, adhæc, id quoque inquit, curate, vt à nullo Epiſcoporum templum novum ritu ſolenni dedicetur: futurum enim eſt, vt filius meus ipſe ſummus Pontifex hoc officium faciat templo, quod in finem ſæculi loco ſuo inconcuſſum ſtabit. Denique omnibus, qui huc venturi eſſent, ſolatium auxiliúmque ubi promiſit, videri deſijt. Hodiedum filum hoc monſtrari, ait auctor, Feſto præſertim *Aſſumptionis*, & *Dominicâ in albis*. *Filum.* Quin quod ipſum quoque filum miraculoſum eſt: nam cùm domina quædam è primarijs una ad dolores partus leniendos particulã fili illius popoſciſſet, nec ſacrarij cuſtodes id negare auſi eſſent, partem aliquam præſcindere conſtituerunt, at filum intra manus illorum ita convolutum eſt, ut nec initium nec finem eius reperire poſſent. Satis hoc intelligentibus miraculi fuit, ſed & puerpera feliciter prolem enixa eſt; poſtquam aliud filum ſimile ignara rerum accepit, & applicuit. *Antiquitas.* Porrò quo tempore hæc contigerint, quóve die aut anno, nemo eſt qui prodat, ſexcentos omnino annos templum ſtare indubitatum eſt: conſtat enim, *S. Quidonem* Anderlacenſem, qui anno 1012. obijt, in hoc templo Deiparam honorâſſe, ut ait *Molanus 12. Sept.* Hiſtoriam hanc Lakenſem deſcripſit, & typis edidit R.D. Laurentius van Beneden dicti loci Parochus.

D C C XXII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE MIRACULIS.
Neapoli in Jtalia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Vitio palam munda generat Cara IESUM.*

1. Miracula in via.
2. Proceſſio longa.
3. Romam portata & reportata.

HUjus S. Imaginis originem ab ipſo S. Lucæ penicillo deducunt. Neapolim verò allatam à Regina *Conſtantia* matre *Conradi* Imperatoris aiunt. Hodie in Conventu RR. PP. Carmelitarum piè colitur. Ut antè miraculis clara fuerit; ingens tamen opinio acceſſit anno 1500. Jubilæo, quo Romam delata, per omnem viam ab infirmis paſſim preces & facta vota recepit, & deſideratâ ſanitate compenſavit. Eam ob cauſam toto tempore, quo in urbe fuit, etiam Romanis, beneficia miraculoſa obtigerunt. Inde cùm domum remigrarunt Neapolitani, majorem adhuc expectationem fecit: nõ fefellerunt expectatæ gratiæ, quas iterum ut antè largiter Deipara per omnem viam ſparſit. Ab eo tempore, quia non defuêre ſupplices Beatæ Virgini, nec ſupplicibus defuit Virgo. Hæc ex Franciſco Hieraſco in vita Henrici Silverij General. Carmelit. Peregrinatio.

DCCXXIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE BONO SUCCESSU. *Bruxellis in Germania Inf.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *IESVM ò parit munda & macula ignara.*

1. Prædicta ſalvatio.
2. Prædicta reprobatio.
3. Ingrata patria.

STatua hęc antequam Bruxellas deveniret, ſexcentis annis, ſi fidæ traditioni credimus, fuit in honore, Scotiam habuit pro patria. Atque ut de honore quadringentorum annorum nihil præter traditionem habeamus, à ducentis tamen annis Abredonenſibus in honore fuiſſe, conſtat in templo Cathedrali. Hanc indies viſitare ſolitus eſt *S. Gavinus* Epiſcopus, nullo conſcio tantæ pietatis, eò quòd domus Epiſcopalis ipſi Cathedrali templo more veteri eſſet contigua, ſemel ei ad aures inter orandum vox allapſa eſt. Euge Gavine, poſtremus tu eris Epiſcopus ex ijs, qui ſalutem conſequentur æternam. Verum dixiſſe hanc vocem, probavit Succeſſorum vita cælo non apta: quos ſecuta hæreſis, omni nos dubio liberat. Hæc S. Statua ſæpius, divinâ ope, hæreticorum furori ſubducta eſt, non tamen erepta. Nam licèt à Catholicis diu ſervata, & conſervata ſit; tandem tamen in manus hæreticorum devenit; qui licèt eam perditam vellent, nunquam tamen id effectum dedêre. Semel eam, jam jam in partes laceraturi, ſeu miſericordia, ſeu conſcientiâ commoti, integram tradidêre viro, qui eã in angulo domûs ſuæ velut abjectam neglexit. Epiſcopus. Statua.

Guilielmus Langius Abredonenſis Catholicus, Hiſpani Regis pro-

Procurator, in Scotia homini perfamiliaris ſeu prece, ſeu pretio, eam ſuam fecit. Porrò ſalus domui, in qua jacuerat, licèt hæreticæ facta eſt: nam & vir ille ſuſceptâ fide orthodoxâ Catholicè vitam finivit, filióſque Catholicos reliquit, utique Deiparæ favore, quæ gratiam hanc pro dato hoſpitio rependit. Sed ut ad S. Statuam revertar, *Langius* eam in domo ſuâ honeſto loco expoſitam habuit, non ignaris hæreticis: qui quanquam ſæpiùs eam quæſierint, videre tamen eam nunquam meruerunt, etiam cùm eam prætereirent. Atq; hic S. Statuæ bonus ſucceſſus fuit in Scotia. *Langius* S. ſtatuam deſtinabat *Iſabellæ* Infanti Hiſpaniæ in Belgium; ubi terram inventura eſſet ipsâ patriâ ſecuriorem. Patria.

Itaque eam clanculò navi Hiſpanæ impoſuit, quam tutè deduxerunt duæ naves Regis Anglicani bellicæ Donkerkam uſque, quæ parum contra prædones Hollandos profeciſſent; niſi à tam divino onere ipſa navis Hiſpana ſecuritatem accepiſſet Donkerka Bruxellas, nemine unoconſcio, miſſa eſt; & à *Seren: Iſabella* in ſacello Regio depoſita. Memorabilis illa pompa eſt, quâ ex hoc Regio ſacello in templum *RR. PP. Auguſt. Erem.* eſt deducta anno 1626. 3. Maij, qualem Urbs Bruxellenſis raro vidit.

Feſtum ipſum integris novem diebus in choro celebratum, ſed nec forum defuit huic ſolennitati: quando cuivis libuit ſignis lætitiæ & feſtivis ignibus gaudium ſecum teſtari. Feſti partem maximā ipſa Deipara fecit, dum quàm plurimis elargita eſt rerū deſperatiſſimarum optatiſſimū ſucceſſum miraculis parem, hinc *de bono ſucceſſu*, quem tunc acquiſivit titulum, hodiéque retinet, & tuetur. Ex VVikman. l. 2. c. 11. Feſtum.

D. C. C. X. X I. V.

Imago B. V. Miraculoſa. DE PONTE. *Abredoniæ in Scotia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Ignara luctus pomi Adami en mater Eva.*

1. Ludibrium ludibrio punitum.

2. Fons miraculoſus.

3. Timor hæreticorum.

ABredonia Scotiæ Urbs, ut dixi, eſt. Hæc ante ducentos annos habuit *Gavinum* ſanctum Epiſcopum, quem noſtro ſæculo pollinctores hæretici invenêre omnino integrum & incorruptum; nec tangere auſi ſunt, quotquot etiam è ſceleſtioribus intuiti ſunt. Hic *Gavinus* pontem ſtruxit ad flumen Dyum, & ad pontis caput ſacellum Deiparæ: ſacello fons propinquus eſt; etiam Deiparæ Sacer. Catholicorum non interrupta pietas, ſatis probavit Deiparam hic miraculosè beneficam olim fuiſſe; quod ut faciliùs fidem inveniret; Inventi.

ret, noſtro ſæculo expertus eſt hæreticus, magno fidei noſtræ bono, ſed malo ſuæ, quin & ſuo, is cùm templo, & Virgini nocere non poſſet, ad fontem conſedit, & alvum exoneravit, pauca ſed gravia fatus in Virginis ludibrium; non tamen inultus. Fames canina hominem torſit ita, ut vix uni prādio ſatis eſſet, quod aliàs ſuffecerat duobus, vel etiam pluribus; ventre tamen ſemper obſtructo, ac ſenſim intumeſcente: dum tandem horrendâ morte animam evomeret. Faſſus eſt, ſe ultionis divinæ exemplum eſſe, monuítque adſtantes frequenter, Matrem Dei ne contemnerent. Quia tamen fidem veram amplexus non eſt, ſine ſpe ſalutis è vita migravit. *Diſcite Iuſtitiam miſeri, & non temnere divos.* Hæc ex VVickmanno l. 2. cap. 11.

DCCXXV.

Imago B. V. Miraculoſa.

IN SABULO.

Bruxellis in Germania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Eva digna Mater it omnis macula pura.*

1. *Navis velox.*
2. *Vultus amanus.*
3. *Statua contrita.*

FUit Antverpiæ anno 1348. *Beatrix* de paupertina tribu mulier, Deiparæ addictiſſima. Hæc à Virgine per ſomnium pluries monita eſt, ut ab ædituis templi B. Virginis ſtatuam ligneam, in angulo neglectam, & tamen non derelictam poſtularet. Hanc, inquit, ubi habueris, coloribus & auro bracteato orna. (Statua.) Mulier ſtatuam poſtulat, & facilè obtinet: poſtea ornatam, ut præceptum erat, templo iterum reſtituit, obſeruatum eſt, amænitatem quampiam faciei ineſſe, quam pictor dare non poterat. Sed iterum B. V. apparens *Beatrici*, imperat, ut inſequente veſpere, antequam portas clauderent æditui, ſtatuam aufferat, etiam invito cuſtode. Paret fæmina, & cuſtodem invenit reluctantem, ſed cuſtos repentè immotus, & attonitus adſtat, ita, ut *Beatrix* ſtatuam, nullo obſtante, facilè abſtulerit, & navigio, (Navigatio.) ut juſſa erat, Bruxellas deferret, flumine quidem adverſo, ſed non adverſante, etenim navis iſta alias longè prætergreſſa eſt, etiam illas, quæ pluribus horis antè ſolverant è littore. Poſtridie invētus eſt cuſtos templi adhuc immotus. Is fide bonâ aſſeruit, ſe vi divinâ per omnē omnino noctē ita velut ligatū hæſiſſe, quòd

quòd mulieri fortiùs reſtitiſſet. *Beatrix* interea venit Bruxellas, S. Statuam Primoribus urbis longâ denarratione velut munus Deiparæ conſignat.

Primores, acceptô tanto munere, quod nomen donantis fecit gratioſius, reverenter accepto, ſupplicatione ſolenni S. Theſaurum in templum deportârunt, quod *de Sabulo* nomen habet, utique poſtquam per nuncios reſcitum eſt, quid cuſtodi Antuerpiæ contigerit. Simul ac S. Statua in ſua ſede reſedit, miraculis illico clarere cœpit in annum uſque 1518. quo ab Iconoclaſtis unà cum pluribus alijs rapta, & contrita eſt. Sed alia poſt turbinem *Geuſiorum* quamprimùm ſubſtituta eoſdem honores accepit: quæ ex mandato *Iſabellæ* Gubernatricis annuâ ſupplicatione quam honorificentiſſimè per compita vicina circum portatur: in qua illud notatu dignum. Duodecim Virgines pauperes veſtitu albo, cereos ardentes, & ipſos albos, geſtant, & proceſſionem cohoneſtant, quod obſequium ubi Deiparæ duobus annis præſtitere, dotem amplam aliquod centenorum florenorum accipiunt; ſive maritum velint, ſive matrimonio Monaſterium præferant, ita reſtituente novum cultum *Iſabella Eugenia Belgij Gubernatrice*; &c, ut res perpetua ſit, juſtis modis fundante. Ex VVickmanno l. 2. cap. 9.

Statua.

D C C X X V I.

Imago B. V. Miraculoſa. DE LACRYMIS. *Trivij in Italia.*

Progr. AVE MARIA, gratia plena; Dominus tecum.

Anagr. Pura & certo immunis à lue Adam agna.

1. Lacrimæ è muro.

2. Trivium felix.

3. Titulus triſtis.

Trivium ſpoletani agri oppidum eſt, jam non ampliùs triviale, ex quo anno 1497. ſingulari miraculo Deipara oppidanis ſibi caros acceptóſque eſſe monſtravit. Sacellum Deiparæ in Trivio ſtetit, à quo nomen habet ipſum oppidum, in hoc Imago eſt, B. Virginis in pariete depicta, quæ magna & jam imminentia Italiæ pericula copioſis lacrimis deflere viſa eſt. Rem, ut ſolet, ad plures famaquamprimum tulit: & quia quàm plurimos ſpectatores habuit, teſtandæ rei idoneos, etiam impios, qui falſam eſſe famam optabant, terruit. Eam ob cauſam, quiſque ſibi propitiam facturus Virginem accurrit, & Deipara accurrentes & prodigium venerantes non ſine beneficio dimiſit, ne deficerent in via. Hinc brevi ex allatis muneribus templum magnum & venuſtum ſtetit. Titulum placuit loci Domino dare *de Lacrymis*, quia Lacrymæ novo cultui dedêre principium. Atque

Lacrimæ.

 ut

ut eſſent, qui templo poſthac ſervirent *Canonicis Regularibus S. Aug.* datum eſt: ut refert Gabriel Pennotus in hiſt. ſui Ordinis l. 3. c. 34.

DCCXXVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
AUXILIATRIX.
Bruxellis in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Agna mea munda à vitio ſemper claruit.*

1. Congregatio S. Iacobi.
2. Finis miſſæ finis morbi.
3. S. Iacobi cultus in Helvetia.

EST Bruxellis S. Iacobi Sacellum, Confraternitate ejuſdem Apoſtoli percelebre, in quam nemo recipitur, niſi qui *Compoſtellæ* apud Hiſpanos reliquias dicti Apoſtoli veneratus eſt, quanquam hæc in mundo ſola non eſt, nam apud *Friburgum* in Helvetia pagus, *Dävers* dictus, ſimilem habet: in quam etiam nemo, niſi ejuſdem pagi incola colonus recipitur, & ex his illi ſoli, qui Compoſtellam peregrinatione viſitârunt: (Congregatio.) fuêruntque cùm ego pagum viderem, plures triginta in hac Confraternitate, qui numerus lectori magnus eſſe debet, ſi pagum Helvetiæ cum urbe Belgica conferat, & quidem Regia Bruxellenſi. In hac Bruxellenſi Confraternitate Præfectus electus eſt anno 1625. *Iacobus Mees*: Huic Sacelli cura incumbebat.

Is itaque officio ſuo facturus ſatis, Sacellum utrúmque ſqualidum, ſi non neglectum, purgare aggreſſus, Imaginem inter quisquilias & retrimenta invenit, eámque honeſto loco collocatam ardente candela honoravit. Evenit, ut ejus famulus in morbum delaberetur, quem Medici nec de nomine quidem noſſent. Is ad hoc Divi Iacobi hoſpitale, Heri juſſu, deportatus brevi convaluit, etenim coram hac S. Icone miſſam (Auxilium.) celebrari juſſit *Iacobus* ejus Dominus, poſt quam ſtatim famulus ſanitati reſtitutus eſt, néve aliunde tam præſens auxilium veniſſe diceretur, quàm unde petitum erat, morbus jam jam juſſu Deiparæ, abiturus, expectavit Sacrificij finem; ſicque finitâ miſsâ hominem deſeruit omnis mali vis, ut nec veſtigium ſui relinqueret, ita etiam lentæ impiorum fidei conſuluit Deipara.

Miraculi evidentia miſeros magno numero accivit, qui & ipſi feliciores diſceſsêre, quàm advenerant. Miraculoſa eſt S. hæc Imago, tum quòd quamplurima miracula poſt conſuetum examen approbationem Epiſcopi acceperint, tum quod ab aliquibus ipſe concurſus inter miracula numeretur, quia à tot annis nondum deſijt. Tota Bruxellenſi in urbe nullus locus celebrior, inquit Auctor Wickmannus lib. 2. cap. 10. Ex quo hæc excerpſi.

DCCXXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.

PLEBSACTENSIS.

Plebſacti in Jtalia.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Claruit Eva ſumma Regina pia & munda.*
1. Rixa mala in cauſa bona.
2. Infans eloquens.
3. Fratrum Concordia.

BEllum affero (niſi rixam mavelis appellare) quale fortaſſis lector nunquam legit. Fratres duo, qui totâ hæreditate unanimi conſenſu inter ſe diſpartitâ, cùm Deiparæ Imaginem dividere non poſſent, ita inter ſe diviſi ſunt, ut ad arma reſpicerent, & gladium, quo quiſque rivalem ſuum deſtinabat funus; ut ipſe unus Imagine potiretur, nec moror, etſi lector hiſtoriæ Lauretanæ peritus, mihi rixam objiciat duorum Fratrum Recanatenſium, & parem huic faciat, ne prima hæc ſit, nam lectori in memoriam revoco, illam duorum fratrum Recanatenſium rixam non pro domo Nazaretana, quam in eorum fundo depoſuerunt Angeli, ſed pro pecunia à peregrinis oblata turpiter exortam fuiſſe: quam hi duo nobiles latrones ſilveſtribus peiores inter ſe dividere nullâ pace poterant, quia nullius erat. Rixa.

At verò rixa, quam hic affero, non parùm de pietate habuit: quia cùm poſt chari patris elatum funus omnem hæreditatem nullo fraterni amoris damno diviſiſſent, hæc Deiparæ tabula rixæ occaſionem dedit: quia utriúſque eſſe non poterat. Vide lector rixam malam in cauſa bona: ſed quia bis hæc aliter componi non poterat, gladio decidendam judicârunt. Jamque ferro micante dimicabatur, & ab utroque ſanguis cum anima fratris expectabatur: cùm vitam utrique ſervavit infans ab ubere matris pendens, quæ felici caſu tam infortunato caſui adfuit, hujus linguam Deipara fecit eſſe diſertam: expreſſis ſiquidem & claris verbis, inhibite, inquit, arma, Imago utriúſque erit: eam in proximum templum portate, ut publico bene ſit.

Ad tantum miraculum ſteterunt comæ fratribus, ſententiam judicis licèt infantis agnovere juſtam, & ex Virginis voluntate depromptam. Quamprimum itaque S. Iconem proximo templo inferunt: quod è piorum donarijs poſt accepta beneficia ita divitijs crevit; ut & Cœnobium RR. PP. Franciſcanis ponè ædificatum ſit; qui Deiparæ favorem & populi fervorem porrò propagarent, vide, ut pia Mater pias mentes nunquam deſerat. Felix Aſtolfi libro 10. Honor.

DCCXXIX.

DCCXXIX.

Imago B. V. Miraculoſa.
HEVERLOANA.
Heverloæ in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Evam canto puram ira lugentis Adami.*

1. Felix linea circumuallationis.
2. Febrium cura.
3. Quercus pro templo.

Felix linea circumuallationis, quâ urbs Lovanienſis cingitur, velut obſeſſa templis, in quibus miraculoſæ B. Virginis Imagines coluntur, & velut nihil agendo, id eſt, ambulando non ſupervacaneo honore afficiuntur. In quercu, & ſub dio Deiparæ Imago longiſſimis annis ſtetit: quis eam in quercum aptaverit, ignoratur, ſed nec is quoque ſcitur, qui primus beneficium acceperit, ab anno 1606. ita celebrari concurſu hominum quercus cæpit; ut cum templis certaret. Liber miraculorum approbatus in omnium manibus verſatur: in quo id maximè obſervatur, quòd febricitantes præ cæteris hîc opem inveniant. Templum.

Tandem pòſt pretium, quod populus attulerat, precibus ab Epiſcopo obtenta eſt facultas ſtruendi templum, in quo & à civibus Imago magis coli, & à Deipara plures diſtribui gratiæ poſſint, dudum enim eſt, quòd hominibus notùm ſit: Deiparam hac in pugna vinci nec velle, nec poſſe. VVickm. l. 2. c. 6.

DCCXXX.

Imago B. V. Miraculoſa.
IEROSOLYMITANA.
Sardenaidæ in Oriente.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Canite Angeli vineam tam puram à ſorde.*

1. Nautæ avari.
2. Latronibus peiores.
3. Leo cicuratus.

Rem admiratione dignam ſcribit *Matthæus Paris* in ſua hiſtoria Anglicana, reférteque ad annum 870. acceptam ex *Arnoldo* Abbate à Damaſco Matrona Damaſcena urbis tumultum exoſa, ſolitudinem quæſivit, ſed operoſam. Sardenaidam paucis milliaribus Damaſco diſſitam ſe contulit, atque ædificato hoſpitali pro peregrinis Hieroſolymam tendentibus, ea fecit, quæ D. Paulus à viduis popoſcit, eâ charitate, quàm adhuc longè diſſiti peregrini in ſolatium fatigationis ſibi memorabant, ſed nec eorum expectationem feſellit ſolicita hæc Martha: ſiquidem peregrini ultra omnem ſpem ſuam per amicè excepti, habitique lautè vires reſumebant itineri, quod reſtabat,

ne-

Monachus. neceſſarias, inter hos Monachus quiſpiam fuit Conſtantinopolitanus, quem hoſpita rogavit, dignaretur Imaginem quampiam Deiparæ Hieroſolymis afferre, quam in altari Oratorij ſui decorè veneraretur, recepit Monachus facturum ſe, quod petebatur, talémque Imaginem allaturum, quæ in delitijs futura eſſet, ſed ut peregrinorum ſocordia nonnunquam eſt, nulla apud eum ampliùs promiſſæ Imaginis recordatio fuit: quantumvis omnes urbis officinas non ſemel præteriret, uſque dum redux ex urbe, jam magnis paſſibus milliaria numerans, cæleſti voce correptus eſt: ubi nam promiſſa, & non empta Imago? ſine quâ gratus hoſpes Sardenaidæ non eſſet futurus. Inſolita hæc admonitio hominem compulit relegere qualecúnque, quod
Iter. jam peregerat iter, mercatus itaque brevem tabulam, quam ſarcina caperet, iterum in viam ſe dedit.

Locus eſt inter Ieroſolymam & Sardenaidam, quem incolæ *Gith* appellabant, ferociſſimi Leonis cavernâ tunc infamis, ferox beſtia ignaros ambagum peregrinos, & viâ regiâ tranſeuntes, in futuræ famis ſolatium diſcerptos, ad ſpeluncam traxit viæ vicinam, ſed conſpecto Monacho alios mores induit, & omni ferociâ depoſitâ ad pedes ſe abiecit, & quibus potuit blandimentis virum hono-
Cicuratio. ravit, ita nempe Deiparæ Imago vel ſinu geſtata nobis beſtias cicurat, eiſque nos facit gratioſos: utinam etiam hominibus! lætus tanto Virginis favore Monachus dimiſſo animali paucis milliaribus confectis, in beſtias incidit leone atrociores, homines, inquam, qui ſpoliatum occidere parabant.

Sed Angelicâ voce territi, ſteterunt aliquamdiu immoti, mutíque; denique ſalvum ac ſanum abire Monachum ſiverunt. Jámque Monacho charior Imago facta Conſtantinopolitanæ urbi deſtinabatur; ubi majorem cultum eſſet habitura, quàm Sardenaidæ. Inter hæc in urbe *Acbon* conſcenſâ nave (nam Sardenaidam, ne in conſpectum Matronæ veniret, jam prætererat) tumentibus velis Conſtantinopolim vehi cæperat, ſed navis verſo repentè vento, in ea pericula devenit, ut Ventus.
quiſque ſua undis daret in vitæ mercedem: idque etiam ipſe Monachus facturus erat cùm ſarcina ſua; ni ab Angelo inhibitus eſſet, qui eum inſuper juſſit tabulam ſarcinâ eximere, & porrectis in altum brachijs oſtendere ventis & mari. Vix factum hoc à Monacho, ſuſtinere non poterant venti conſpectum tabulæ: ſed mox quieti mare ſic compoſuerunt, ut de miraculo nemo vectorum dubitaverit. JámqueNavarchus ultrà perrecturus, à Monacho coactus eſt relegere viam ad portum *Acbonæum*, unde exierat, alijs & majoribus periculis, ni faceret, prænunciatis: Imaginem Sardenaidæ deberi, non Conſtantinopoli: ſi ſalvam navim vellet ocyùs Iter.
vela verteret, & redire miraculosè monitus è cælo, non expectaret ſecunda imperia.

Expugnavit nautam Monachus,

fecitque ire, quò ipſe vellet *Acbonam*; unde Monachus pedes Sardenaidam venit, divertitque inter multos ad Matronam, quæ quia illum non cognovit, neque enim Matronæ modeſtia permiſit inhærere vultibus virorum, nec ipſe Monachus cognoſcendum ſe ulteriùs præbuit, ne Imago ab eo exigeretur promiſſa, ita ſatis, ut credebat, officio ſuo functus, iterum Imaginem Conſtantinopolitanæ urbi novis deſiderijs deſtinavit. Manè itaque altero actis in turbâ Matronæ gratijs, ad iter ſe accinxit, iterum mare tentaturus & ventos: Oratorium tamen priùs, cui Imago debebatur, ingreſſus, peractâ brevi prece, exiturus, oſtium invenire non potuit; quantumvis, undique anguſti loci muros omnes apertis oculis palparet.

Oratorium.

Non ita cæcus Monachus fuit, quin videret Virginem hîc coli ſe velle quapropter extractam è ſarcina tabulam altari imponit, & confeſtim per conſpectum oſtium non impeditus diſcedit. Sed ut miraculorum probatores ſunt ſagaces. Non eſt, inquit, quod opinor: Caligo fuit oculorum, non excuſſo bene ſomno errantium; itaque Imaginem de altari iterum acceptam reponit in ſarcinam: ſed iterum viam per apertum licèt oſtium invenire non poteſt, tandem exemptâ rûrſus Imagine cùm ei via pateret, ſibi omnino redditus eam iterum altari ſuperimpoſuit, & omnem rerum ſucceſſum inter lachrymas Matronæ denarravit, ſed nec ipſe ampliùs Conſtantinopolim Patriam ſuam videre ambivit; ſed ſede ſibi fixâ, Sardenaidæ conſedit, vitam omnem piè ſanctéque in hac S. Imagine colendâ traducturus: & verò etiam traduxit, finivítque ſanctè, & cultum Deiparæ ſic auxit, ut inter miraculoſas numeraretur. Math. Paris anno 870.

Imago.

D C C X X X I.

Imago B. V. Miraculoſa.
D E G R A T I A.
Bruxellis in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Virginem ſion amate ac laudate puram.*

1. Bruxellæ ſedes B. V.
2. Renovatio odioſa.
3. Solatium.

NOn minùs Deiparæ, quàm Principum ſedes eſt urbs Bruxellenſis, ut quæ dudum ante principes jus domicilij ſuo & civium gaudio Bruxellis nacta eſt, Imago, quæ colitur in Baſilica *S. Gudulæ*, facie fuſcâ eſt, nec abſimilis ijs, quæ à S. Luca picta ſunt, antiquitate ſuâ inſignis in honore eſt: quæ non defuiſſet ſcriptoribus, ſi ei non defuiſſent ſcriptores hodiéque colores novos reſpuit & inter miraculoſas ab antiquo habita eſt. Supplices hîc etſi non ſemper, quæ petunt, obtineant,

tineant, ſine ſolatio tamen, ut auctor inquit, non abeunt. Concurſu quotidiano à civibus honoratur, lampadibus quatuor argenteis, aliiſque pretioſis donarijs ornata. Ex VVickman. l. 2. c. 8.

DCCXXXII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE POPULO. *Geneſtæ in Italia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Dicite vos almi, en! agnam a reatu puram.*

1. Hæredes avari.
2. Spes alta.
3. B. V. ſupplet deſideria noſtra.

GEneſta Liguriæ oppidum eſt, in quo olim RR. PP. Auguſt. Eremitæ Monaſterium habuere, ſed anno 1487. ita & oppidum, & Monaſterium neſcio quæ bellorum vis deſtruxit; ut nemo nec eſſe nec futurus ſperaretur, qui Monaſterium cùm templo erigeret. Hos Spiritus habuit *Petrucia* Geneſtaneſis fœmina, optavit primùm Virgini olim miraculoſè templum reſtitutum, & redintegratum: & cùm hoc propter labefactos undique muros impoſſibile eſſet, etiam novum, & à fundamentis ædificatum: ſed non optavit modo *Petrucia*, ſed etiam deſideravit, eam ob cauſam quia nullo hærede neceſſario gravata erat, omnes ſuas opes in hanc fabricam deſtinavit, riſum movit hæredibus fœmina viva, utique etiam riſuris ſi moreretur, quid agis? inquiunt, etſi paupertate non premaris, opulenta tamen non es: Regum eſt templa ædificare, & fundare Monaſteria: Reginæ opus aggreſſa es. Quibus *Petrucia*, ſi Regium, inquit, opus aggreſſa ſum, quod finire non poſſum, finiet Regina aliqua; & ſi cæteræ omnes deſint, finiet Regina Cæli: porrigant ſe meæ quo uſque poterunt opes, etiam in paucos paſſus ſuffecturæ.

Deſideratum.

Fabricam hanc vetula ego, ni fallor, finitam compleétámque viſura ſum, fortè & vos; niſi opes meas Virgini invideatis. Conduxit, operas, operi admovit; jámque eruderatis ruderibus, muriſque; quos cadere oportuit, deſtructis; ſoli ſtabant, qui novo templo ſervire poterant; ſed etiam opes *Petrucia* penè ad fundum exhauſtæ erant, marſupio certante cùm templo, an hoc plùs creſceret, an illud plùs minueretur, nec multùm aberat, quin ab Operarijs incepta fabrica omnino dereretur, pluribus ſæculis expectatura alterum mæcenatem: cùm in tempore Deipara Imaginem ſuam in muro miraculoſam fecit, unde populi Geneſtanenſis accurſus & pietas, quem Deipara obtentis; quæ quiſque petebat, beneficijs domum remiſit.

Liberalitas.

Geneſtanenſes rem ſparſere per omnem Italiam, quam Virginis beneficia penè omnem huc

traxere, tam liberalem; ut illo adhuc anno templum cum Cœnobio ſtaret. Ita qui ſperat in Deipara, non confundetur. Hæc Ioſephus Pamphilus Epiſcopus Signinus in Chronico Ordinis Eremitarum S. Auguſtini.

DCCXXXIII.

Imago B. V. Miraculoſa. VVILSELLANA, *Wilſellæ in Germania Inf.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Cano juſtam integrè puram à lue Adami.*

1. Supplicatio populoſa.
2. Annua pietas.
3. Origo pietas ignota.

Wilſelenſis Deipara famam, quam à miraculis accepit, etiamnum retinet, & e ſt civitati Lovanienſi, in cujus penè pomerio ſita eſt etiamnum in pretio. Grandia olim hic patraſſe miracula Deiparam, argumento eſt inſignis & populoſa ſupplicatio, quæ (Proceſſio) feriâ ſecundâ poſt Pentecoſten annis ſingulis inſtituitur, civium multitudine eodem concurrente, & licèt originē neſciamus, ſcimus tamen à miraculis originē trahere hanc, de qua dixi ſupplicationem, ſi conſtanti & indubiæ traditioni fidem habemus. Cæterùm non ſic hanc S. Statuam miraculoſam pronuncio, ac ſi olim tantùm, & non his quoque temporibus noſtris miraculoſa contuliſſet ſupplicibus beneficia: nam & nunc identidem, & paſſim hæc fieri, aſſerit, adducto teſte, VVielman. l. 2. c. 6.

DCCXXXIV.

Imago B. V. Miraculoſa. DE GALLIERA. *Bononiæ in Italia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *En agnita pura ictu mali adoremus eam.*

1. Opera B. V. perfecta.
2. Ingenium.
3. Eleemoſyna.

Vicum habet docta Bononia, cui *à Galera* nomen eſt, vulgò de *Galliera*: In hoc vico circa annum 1478. domuncula fuit de vilioribus una, in cujus porticu Imago Deiparæ picta in muro. Urbem habebat peſtis, & hæc domuncula pauperem peſte infectum, & jam jam cum morte luctantem. Is, visâ Imagine, ultimas (Imago.) colligens vires ad eam perrepſit, & vitam petijt longiorem, nec mora fuit in Virgine: vitam ei dedit confeſtim longiorem, inſuper & perfectam ſanitatem adjun-

adjunxit; ne quidquam miraculo deeſſet, ſed ne ipſe quoque Virgini deeſſet, paucis horis urbem famâ miraculi implevit. Unde quàm plurimi ad vota Virgini facienda animati, & votorum rei ad locum ſe contulere; ſalvi & ſani gratias acturi.

Quibus miraculoſa obtigere beneficia, templum ære collato ſtruxere, & quia perennis pecuniarum fons futurus videbatur, inventus eſt, cuius ingenium præ cæteris æſtimo, cuius pietate Nobilium cætus coaluit, cui curæ eſt, ut affluentes pecuniæ, fideliter in pauperes verecundos & occultos diſtribuantur Pompeius Vizani in hiſt. Bonon. lib. 8. Pecunia

DCCXXXV.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE CONCEPTIONE

Duaci in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Pura mali & ſumma Regina, cui Nata? Deo.*

1. Immac. B. V. Conceptio.
2. Miraculum.
3. Incendium.

R. R. PP. Franciſcani in ſuo templo, quod Duaci habent, non levi argumento Immaculatam Deiparæ Conceptionem aſſerunt. Anno 1553. concepto igne templum cum Cænobio ardebat, quo incendio cum omnia omnino altaria perijſſent, id unicum ſolúmque altare integrum illibatúmque poſt extinctum incendium ſubſtitit, quod immaculatæ conceptioni Deiparæ majores ſtatuerunt. Hoc quia nemo ad cæteros caſus contingentes, referre vel voluit vel auſus eſt; ita nemo fuit, qui miraculum hoc non in Conceptionis immaculatæ argumentum ſuſciperet. Eſt illa Deiparæ imago etiamnum in honore, ijs præſertim, qui Immacul. Concept. defendunt. Gonon. Anno 1553. Incendium.

DCCXXXVI.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE QUERCU.

Viterbis in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Agna pia ter munda malo, cui Mater JESU.*

1. Quercus in templo.
2. Cuſtos vineæ.
3. B. V. parum petit.

B*Aptiſta Clavarius* Viterbienſis vineam habuit, in pago *Grazamico*, milliari ab urbe ſecundo: quam quia à cæli injurijs defenſam voluit, poſuit cuſtodiam in Vinea B. Virginem, cuius Imaginem in tegula depictam va-

ſtiſſimæ quercui appendit. Annis quadraginta in loco ſtetit pretioſa argilla, & B. Virgo Officium fecit; & verò etiam præſtitæ operæ pretium jure poſtulavit. Apparitio. Nam pijs quibuſdam fæminis ſe viſendam præbens, juſſit in loco ſtrui altare nullâ templi mentione factâ, ne terreret cunctantes: quod ſi fieret, experturos Viterbienſes matrem beneficam. Extructum eſt ſubitò altare, conſcio & conſentiente Epiſcopo, aperta per vineam populo via: & ſtatim poſt primum miſſæ ſacrificium quamplurimi domum rediere, grandia civibus miracula nunciantes, quæ ipſi facta audiſſent, vidiſſent, imò experti eſſent. Viterbienſes, ne beneficiorū fontem ingratitudine ſiſterent, tectum imagini decreverunt, hinc è collatis pecunijs brevi tempore ſacellum ſtetit; paulò pòſt etiam templum, quod cum ipſo ſacello etiam quercum tegeret. Denique etiam Cœnobium pro RR. PP. Dominicanis adjunctum, qui cultum Deiparæ hodiéque promovent. Ciacconus in Paulo II.

DCCXXXVII.

Imago V. B. Miraculoſa.

WINXELLENSIS

Winxellæ in Germania I.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Age ea munda ter alma, cui nupſit? amori.*

1. Accuſatoris pœna gravis.

2. Grave ſupplicium.

3. Innocentia detecta.

MIlle non ampliùs paſſibus Lovanio diſtat pagus Winxellenſis, ubi celebre à trecentis annis ſacellum eſt, & miraculis clarum. Energumenis hìc fuiſſe certam liberationem arguit, quòd juvenis anno 1290. à dæmonibus obſeſſus nequidquam alibi exorciſmis tentatus, ad hanc Deiparam fuerit deſtinatus. Crimen. Is ubi Virginem quandam, Mariæ nomine, quod in Baptiſmo acceperat, glorioſam, ad crimen invitare nequiret, criminis ream fecit apud judicem, ob ſcyphum argenteum furtò ablatum: quæ quamprimum defoſſa in terram, & conto tranſfixa eſt. Juvenis quoque à Deo judice traditus dæmonibus eſt, qui, ut dixi, cùm nuſpiam inveniret, qui tam inopportunos hoſpites pelleret, huc remiſſus eſt tanquam ad locum, quem præ cæteris dæmones horrent, hìc omnem hiſtoriam Energumenus prodidit & B. Virginis interceſſione liberatus eſt. Cæterùm *Maria doloroſa* (hoc nomen innocentiſſimæ Virgini datum) hiſtoriam proſecutus eſt R. P. Heribertus Roſvveidus die 18. Junij, ut ait VVikmans l. 2. c. 5.

DCCXXXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
BIROKLINGENSIS.
Hippenhemij in Germania, S.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *In Dei matre caſta pura Avi maculam nego.*

1. *Incuria majorum.*
2. *Elemoſyna grandis.*
3. *Concurſus.*

NOn procul Hippenhemio Franconiæ oppido, deſertum eſt, quod *Biroklingam* vocant. in ea ſilva imago Deiparæ, inventa eſt in arbore, nemine uno invento, qui ſciret, quis vel quando eam ibi poſuerit ſed quæ ſcriptorum fuit incuria, nemo eſt, qui referre queat, & poſteris tradere tanti concurſûs cauſam, ſive primum Deiparæ miraculoſum beneficium. Grande id fuiſſe grandis pecunia arguit à voti reis congeſta, quæ in templum ſuffecit, & Monaſterium, quod demum Canonicis Reg. S. Auguſt. datum eſt. Nec aliud Trithemius in Chronico Sponheimenſi: ex quo hæc deſumpta ſunt. Grando.

DCLXXXIX.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE B. VINCENTIO.
Bononiæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Rugiat eja Leo, en Divam, puram ſacram.*

1. *Calumniatoris Converſio.*
2. *Innocentia expoſita.*
3. *B. V. ignaros defendit.*

RArum eſt, quod in vita B. Vincentij Ferrerij ſcribit Fluminius. Vincentius vir per omnem ferè Europam ob ſanctiſſimas conciones notiſſimus, ita vivere non potuit; ut omnibus placeret, & quanquam neminem vel oculi nictu læderet, inimicos tamen habuit & graves, inter hos unus accuſationem parabat, quam ſequi debebant pænæ, gravibus graviores, & perpetua infamia homini Religioſo ipsâ morte durior. Cumque nihil in vita & moribus reperiret, Prim. quod vel umbram juſtæ accuſationis dare poſſet, finxit, & ut ſolent hi figuli, non ſine fundamento, quod ut ſemper verum erat, ita quod huic veritati ſuperædificaverat, ſemper falſum fuit, & purum putúmque mendacium, ſic pluribus & gravibus næuis chartam implevit, daturus Priori Conventûs. Noluit Deipara fideliſſimum ſervum ſuum, in quo non eſſet locus criminì, tantæ criminationi patere; rem omnem ſic executa eſt,

Vincentio coram altari pro more ſuo orante, ſic criminatoris iter diſpenſauit, ut eodem tempore templum intraret, cùm ecce eum, quem accuſaturus venerat, intuetur longè aliâ, quàm ſibi perſuaſerat, formâ, nam licet innocentem criminum ſciret; ſanctum tamen eſſe & ſuperis tam acceptum ignoravit. Vidit, inquam, Vincentiũ genibus nixum, ſed eam in altitudinem evectum; ut par eſſet pictæ imagini, quam in altari tunc venerabatur: quin etiam audiuit picturam cum ipſo familiariter loquentem. Impius accuſator, tanto prodigio ictus ſapuit, & telam, quam nondum exorſus erat, quamprimum apud Deiparæ hanc miraculoſam imaginẽ, tum etiam apud ipſum Conventûs Priorem inter lachrimas etiam, ut dixi, nondum pertextam retexuit, faſsúsque ingenuè eſt, quas quibúsque figmentis armatas calumnias machinatus eſſet: & veniâ humillimè petitã, ſe quoque, uti potuit, apud Deiparam purgavit. Ita vel ignorantibus nobis Deipara facit bene. Privato multorum cultu fuiſſe honoratam hanc S. Imaginem, nemo dubitare poteſt, an publico honori (quanquam in templo erat) hac de cauſa ſit aptata, auctor non ſcribit: nec ego habeo, quod adjungã, mihi ſufficit publici cultûs ſufficientem cauſam adduxiſſe. Fluminius in vita S. Vincent. Ferrerij. Innocentia.

D C C X L.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE STABULO.
Alicubi in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Iuſta & verâ dico en agnam mali puram.*

1. Fœmina fortis.
2. Templum è ſtabulo.
3. Furor præceps.

FOrtitudo in ſexu debiliore duplex miraculum eſt, & quidem magnum, quando Zopyri audax factum imitatorem non habuit in ſexu fortiore. *Euphemia* nobilis Virgo, Comitis filia, præter naſum (quod Zopyrus fecit) etiam labia ſibi præcidit, ſed in loco, in quo tantum robur è cælo acceperat, ſacello Deiparæ? neque enim Arx aliud templum habuit, cùm enim Pater filiam ad nuptias cogere vellet nolentem, ad hanc Deiparæ imaginem elapſa confugit: ubi poſtquam breviter Deiparæ queſta eſt Virginitatis plùs quàm certum periculum, periculi ſecuram ſe fecit: quando induta virtute ex alto, (quis credat?) arrepto cultro Naſum primò ſibi præcidit, deinde etiamſi ſentiret ſe ſentire, etiam labium utrúmq;. Quis prohibeat, quò minùs fortem virili pectore laudemus omnes fœminam, quæ virginitatem ſervavit in forma turpi; cùm nõ poſ- Fortitudo.

poſſet in pulchra. Merebatur apud Patrem hoc factum honores, tantū non divinos; fortiſſimum filiæ facinus: ſed nec invenit humanos apud non æquum virtutis æſtimatorem: quin imò pænas virtutis dedit filia quas ipſa ſuſtinuit tam æquo animo, quàm iniquo eas pater intulit; tam conſtante patientiâ, quàm pater contumaci Tyrannide. Ruſtico in ancillam locata eſt, integro ſeptennio, quantâ tulerit, quoties ſudaverit & alſerit, nec ipſa credo poſſet ex ordine numerare, nihil hic unquam nobili puellâ dignum vidit, nihil audivit, quod aures delicatas non offenderet. Omnia cruda, quia ruſtica: ut dubium eſſe non poſſit, mortem quandoque in votis fuiſſe: quando pater, ut reor, de craſſioribus unum elegit, ut malè eſſet filiæ. Ruſticus.

Ita ſeptem tempora ſuper Euphemia ſunt mutata, pænitentiâ regno dignâ; ſi culpa adfuiſſet quæcunque: quid promeritam credes Innocentem? Integro tamen ſeptennio non vidit virtutis ſuæ præmium: dum nocte Chriſto Naſcenti Feſta ſolatium ærumnarum ſuarum quæſivit in ſtabulo. Hic templum invenit & Deiparam; quæ conſpicuam ſe illi ſtitit, & mœrentem ſolata eſt, & ad ulteriora fortibus verbis animavit, priuſquam tamen abiret, labium ei utrumque cum naſo, decoremque priorem reſtituit, gratiâ cæleſti auctum, nullo virtutis periculo: nam Pater, conſpecto miraculo, ex tyranno factus iterum pater, ex impio pius, quamprimum è domo ruſtici, ad filiæ vota fecit Cænobium, è ſtabulo templum, & quod rei caput eſt Euphemia Imaginem Deiparæ ex arcis Sacello in hoc novum templum intulit, vitámque ſanctè inter Moniales vixit, finivítque, digna, cui etiam majores honores fierent, ſiquidem in alias terras hæc virtus incidiſſet. Spec. Exemp. diſt. 9. num. 22. Balingen 24. Decembris. Miraculum.

***

D C C X L I.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE MIRACULIS.

Avenione in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Age emicat aurora penitus munda mali.*

1. *Unus aſſumetur, alter relinquetur.*
2. *Pulſus Ave Maria.*
3. *Sodomita à flammis liberatus.*

HÆc Deiparæ ſacra ædes eo loco ædificata eſt, unde pauci redire ſolebant, loco inquam juſtitiæ, unus tamen domum ſanus & ſalvus redijt, non judicis; ſed Deiparæ clementiâ. *Ioannes vigeſimus ſecundus Pontifex ſummus* ſummè miraculum æſtimavit, & in legitimæ approbationis ſignum perpetuum hanc ſacram Virgini ædem ſtatuit, in qua Deiparæ nova Statua gratias profe- Pontifex.

quereretur tam proſperè inceptas. Fuêre duo de crimine peſſimo accuſati, & juſtâ judicis ſententia ad vivicomburium damnati docturi morte ſuâ ſpectatores, quæ pœnæ in inferno expectarent ejuſmodi ſceleratos; jámque uterque ſedebat in ferali ſcamno, infami trunco catenis ligatus, jámque pyra ignem conceptum ſpargebat, cum uterque inter flammæ tormenta omnem latè campum implevit miſerandis; & nil apud homines profuturis rugitibus; diverſo tamen utriúſque exitu, nam eorum ætate provectior, prior mortem oppetijt: alter longè diutius inter flammas vixit; quin & non ſine miraculo vixit, integer, ſanus, & ſalvus, teſtato omnibus miraculo: quando ipſi eadem flamma, quæ ſocium in cineres redegerat, pepercit, non innocentiæ beneficio (nam ſe reum, & hac pœnâ dignum ipſe judicavit) ſed Deiparæ gratiâ, quam tantâ fiduciâ identidem inclamavit, ut tanti clamoris preces ab eâ prætèriri non poſſent, ſalvus ille & integer inter ignes ſtetit, quartus è Babylonia puer, quanquam in diverſa cauſa.

Ignis.

Sufficienter probato miraculo, rogus diſijci juſſus reddidit juvenem integrum, ſanum & ſalvum. *Ioannes vigeſimus ſecundus* ſummus Pontifex locum ex infami ſacrum fecit; & Deiparæ templum ædificavit, quod *de Miraculis* nomen habere voluit. Et verò etiam Deiparæ, ut nomen loco meliùs conveniret, beneficia in ſupplices non illiberaliter ſparſit. Ita *Richardus Cluniacenſis in Ioanne XXII.* ubi addit, decem dierum indulgentias conceſſiſſe omnibus, qui ad ſalutationis Angelicæ pulſum ter ſalutationem Angelicam pronunciaſſet. Beatus juvenis, & damno ſuo ſapientior, ſi Veneris flammam, quam carnificis ignis ſopivit, non iterû accendit. Templum.

DCCXLII.

Imago B. V. Miraculoſa. FINIS TERRÆ. *Bruxellis in Germania Inf.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *En amanda Virgo mea Calum puritatis.*

1. Terminus platea.
2. Finis terra.
3. Concurſus

PEr antiquum Sacellum Deiparæ ſtetit eâ urbis parte, quâ ſeries domorum finem habebat, etſi uſque ad mœnia ingens pateret campus, qui hodie plateis & domibus repletus eſt, nomen ait auctor, quod in ſuperliminari litteris trabalibus legitur; inde haberi quòd in fine urbis eſſet, & velut terminus Bruxellæ habitatæ, ultra quem nulla ampliùs domus videretur, ſed pace bonâ auctoris crediderim titulum ex Hiſpania veniſſe, & fortè etiam cum titulo Sacelli formam: ubi etiam Dei- Finis.

paræ

paræ Sacellum imò templum eſt hoc titulo inſignitum: de quo plura ubi de illo templo ſermonem inſtituo, quod ſi ita eſt, uti bonis conjecturis adactus eſſe videor; mirum non eſt, olim fuiſſe miraculoſum: atque etiamnum eſſe, certum eſt ex decore templi, & affluxu continuo hominum, quanquam, nullum in ſpecie miraculum afferat VVickmannus lib. 2. cap. 12.

DCCXLIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE URTICETO.
Heilbrunæ in Germania Sup. Francon.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Mons veri Dei agna pura & Immaculata.*

1. Fæminæ mirum ſilentium.
2. Statua loquens.
3. Vomitus mirabilis.

NOmen habet hæc Deiparæ Imago ab *Urticeto*: quia juxta viam tranſeuntibus in ſolarium, ita paulatim urticis tecta fuit, ut nemini ampliùs conſpicua ullos ampliùs honores acciperet. Fortè maritus quiſpiam Albertus cum uxore Kunegunda cũ à peregrinatione perſoluta domum redirent præterijt, hæc illum ad hortata eſt ad ſalutandam parum Virginem vel unicâ ſalutatione Angelicâ. Conſilium. Paruit maritus non inutilia ſuadenti, & viam ſuã proſecutus eſt, illa diutiùs hærens. Quid, inquit, hæc *Veſpertina Imago* (ita eas vocamus, quæ IESUM mortuum genibus ſuſtinent) tam pulchra, tamque venuſta hîc latet inhonora? quantò meliùs eam ad oppidi mei Eiſingenſis Parochiale templum deferrem, ubi in amoribus eſſet, & honores acciperet? ſimul manum extendit, Statuam liberatura clavis quibus hærebat, cùm ecce loquentem audit Statuam, quæ, *Deſine*, inquit, *& me meo loco relinque: hîc non alibi, beneficia petentibus dabo.* Mulier in terram concidit mortuæ ſimilior, quam vivæ, interea maritus viam relegit, & clamoribus mentem reddidit, ſive dormienti, ſive deliquio laboranti.

Illa viro verba Virginis recenſet, & rapiendæ Statuæ conſilium, & miraculorum promiſſa, maritus ſeverum uxori ſilentium imperat, & quod magis mirum, ſervavit ſilentium uxor. Cæterùm Feſto Paſchatis proximo mulier Confeſſarium Parochum poſt enunciata peccata ſuper hoc ſilentio, interrogat: qui eam ad peritiorem remiſit Ciſtercienſem Monaſterij Heilbrunenſis ictus fortè fabulâ quapiam, aut ſomnio, quæ poſt magna viſionum promiſſa deſijt in nihilum. Ivit itaque ad peritiorem, ad quem miſſa erat: is iterum fæminam ſilere jubet. *Virgo*, inquit, *quia te loqui non juſſit, tace, ſi ipſa promiſit, faciet miracula, vel te tacente: ſi non illa, ſed dæmon voce hac te allocutus eſt noli decipi, noli decipere: iterum dico, tace;* Silentium. fæmina primo miraculo junxit ſecundum, & tacuit. Ut miracu-

lum hoc non ſit, mirum tamen eſt, fæminam bis tacuiſſe, & quidem júſſam: gravius enim huic ſexvi ſilentium eſt, quod imperatur.

Sed vocem à Virgine fuiſſe, brevi probavit concurſus populi quotidianus cum muneribus, è circumiacentibus pagis, nemine auctore ortus non ſine admiratione civium. Tum enimverò tertiùm tacere, impium rata, omnibus, quæ ſibi contigerant, liberrimè denarravit, trium virorum teſtimonio tumida, concurſum non parùm auxit. Hæc anno 1442. contigêre. Quod primum miraculum fuerit ignoro, hoc quod apponam inter prima fuit, & ſi modum reſpicias, primum, mulier è ſtagno campeſtri aquam bibit, & una cum aqua ſemina ſanguiſugarum. Hinc dolores nullis clamoribus exprimendi, ne dum ſopiendi. Et malum quatuor omnino annis duravit, nemine uno è Medicorum turba invento, qui vel malum agnoſceret, nomi-

Sangui-ſugæ.

néque ſuo indigitaret, multò minùs qui malo pellendo remedium afferret, egregio incertitudinis argumento; quando & ſomnium, & ſomnij interpretatio divinatione indiget.

Sed nec ipſa mulier ſciebat mali cauſam profluere ex illo incauto potu, ita mirum non eſt, ignorari ab ijs remedia, qui malorum cauſas ignorant, atque utinam hæc omnia non frequentiùs in morbis animæ contingerent. Fæmina demum huic Deiparæ de *Urticeto* facto voto ſe commendavit: quo vix emiſſo, emiſit quoque per vomitum centum quinquaginta ſanguiſugas, & robuſtiſſimæ ſanitati reſtituta eſt. Porrò ipſo in loco templum ædificatum eſt, ita volentibus, & aureâ manu jubentibus peregrinis; quin etiam Cœnobium adjunctum eſt, & RR. PP. Carmelitis datum, qui adventantium pietati facerent ſatis, & B. V. cultum promoverent. Tritemius l. 1. mirac. B. V. de Urticeto.

Urticetum.

DCCXLIV.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE VICO URSORUM.

Pariſijs in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *En Immaculata redempta auro ſui agni.*

1. Feſtivi ignes annui.
2. Nova pæna vulgaris delicti.
3. Novus cultus.

AFfero vulgaris delicti novam pœnam, & uſitati miraculi novum cultum, rem deſcribit *Dubreul* ſcriptor Gallus in *Antiquitatibus Pariſienſibus*, circa annum 1418. in vico, *Urſorum platea*, dicto vulgare delictum perpetravit luſor, ſedingens, & apud omnes alios, quàm luſores, exoticum ſcelus.

Is perditâ pecuniâ omni, & poſt hanc etiam omnibus, quibus tunc indutus erat veſtibus, ad ſolitas luſoribus blaſphemias devenit, vulgare luſoribus, ut dixi, delictum, quódque blaſphemias ſequi ſcelus ſolet, Deiparæ imaginem vicino muro appictam gladio cæſim vulneravit. Senſiſſe ſe vulnus Deipara, ſolito miraculo teſtata eſt, rivo ſanguinis per murum decurrente. Ita hi Thaumaturgi miracula patrant, cùm volunt. Civium plerq; ſacro horrore perculſi, partium ſuarum eſſe crediderunt, tueri partes Virginis. Ita proximus quiſque apparitoris officium prævertit, ligatúmq; reum ſtitit Judici: qui & ipſe quoque in Virginis favorem ſententiam dixit. Ductus eſt à carnificibus impius Iconoclaſta; ut ille eſſet locus ſupplicij, qui delicti fuerat: ligatúſque ad ſtipitem, tamdiu virgis cæſus eſt, dum viſcera eius omnia in terram diffluerent. Ecce pœnam, quam non memini me legiſſe, pro delicto ordinario, extraordinariam; parem tamen ſceleri, ſi non minorem. An Deiparæ reconciliatus ante mortem objerit, tunc videbimus, quando judicium dabitur toti mundo. Sed & novum cultũ lectori do. Imago, quia in muro erat, templo inferri non poterat: nondum enim Murariorum ars eò pervenerat illis ſæculis, ut partem muri quamcúnque exemptam, quò vellent, transferrent. Itaque ad aliud converſi, qui vicum *Vrſorum* inhabitabant cives, feſtum annuum celebrârunt, quo tapetibus Imaginem miraculoſam ornârunt, & feſtivis noctu ignibus Deiparæ honores dederunt. Hæc ex Gonono.

Lictores. Cultus.

D C C X L V.

Imago B. V. Miraculoſa.
B O O N D A L E N S I S.
Boondalij in Germania Inf.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Viva lampas ignita, amore certè munda.*

1. Canonicus B. V. addictus.
2. B. V. hæres.
3. Invitati ad pietatem parent.

HUius miraculoſæ ſtatuæ origo eſt ab anno 1458. Cauſa non alia, quàm quòd Canonicus quidam ad *S. Gudulæ* Bruxellis indoluerit, in hoc pago urbi vicino, non ut in cæteris eſſe imaginem Deiparæ, quæ beneficia, conferret incolis *Boondalenſibus*, & accolis *Bruxellenſibus*. Hic ut dolori ſuo litaret, ſtatuam emit pridie Virginis *Purificatæ*. Hanc in capſâ lignea decorè repoſitam, & quidem clauſam ſuſpendit, appoſito juxtà gazo phylacio, quod invitaret, prætereuntes, & pecunias reciperet in ornatum ſacelli ſuffecturas, adfuêre ſanè ſperata auxilia, quibus etiam adjunxit omnes facultates

Statua.

tes ſuas, quas teſtamento ritè legavit, & Deiparam ex aſſe hæredem inſtituit. Hodie inter mi raculoſas numeratur, & hominũ concurſu celebris eſt. Hæc ex VVikmanno l. 2, c. 20.

DCCXLVI.

Imago B. V. Miraculoſa. DE DESERTO.

Treviris in Germania S.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *En alma ac verè munda puritatis imago.*

1. Imago ponitur loco inacceſſo.
2. Exemplum bonum.
3. Concurſus.

D*Eſerti* titulum habet hæc imago Deiparæ, quia in deſerto, ſeu abſtruſo ſiluæ loco diu ſine debitis, honoribus ſtetit, tertio ab urbe Trevirenſi lapide. Annis noſtris huc deportata, & templo honorata fuit. Anno 1449. poſuerat illam in ſtipite ſimplex Vinitor, loco, ut dixi, Viatoribus inacceſſo, ſed ſibi commodo. Oratio. Hic ille ſua cum Virgine colloquia miſcuit, hic feſſo laboribus corpore recreavit animum, hic curas ſuas depoſuit; Hinc deniq; gaudia nonnunquam & delicias retulit humanis majores. Vicinis quoque orexin movit, frequentandi locum: nam Vinitoris non importuna locuti exemplum ſecuti ſunt, bono ſuo: invenerunt enim hic malis ſuis remedia, & frequenter ſive miris, ſive miraculoſis modis liberos ſe invenère ijs malis, quibus Medici nundum invenere remedia, ſcriptu digna agricolis plurima contigere, quæ tamen ſcriptoris defectu ad nos non pervenerunt. E collectis pecunijs Epiſcopus Deiparæ templum ſtruxit tertio ab urbe lapide, ſtatuámque huic intulit. Nec abnuit Deipara ſtatuam ſuam illuc deportari populorum bono, quos ne quidem pro beneficijs & miraculis longo itinere fatigari voluit. Demum etiam Cœnobium adjunctum fuit, quod RR. PP. Canonici Reg. S. Aug. incolunt, & B. Virginis cultum promovent.

Miræus in Orig. Can. Reg. S. Auguſt.

DCCXLVII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE SPE.

Avenione in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Virgo nivea, ac alma eſt, nam Deum parit.*

1. Mira faciei pœna.
2. Vera pœnitentia.
3. Cadaver ſceleſti inficit terram.

FUiſſe hanc Deiparæ imaginem jam dudum, imò ab initio miraculoſam, arguit titulus *de ſpe.*

Annò tamèn 1407. ingens Augmentum honoris accepit ob inſigne miraculum, quod luſor quidam duro ſilice extorſit. Hic perditâ omni pecuniâ, pro more artis, ad blaſphemias converſus, S. Imaginem projecto ſilice vulneravit ſub mamillâ; unde quàmprimum ſanguis effluxit: ut ſciret ſceleſtus, qua fronte Virgo excepiſſet ictum. Secuta quidem ſceleris pæna eſt; ſed mitiſſima, fulminis in vicem, quod merebatur, facies ejus horrendum in modum ſic deformata eſt; ut nemini non conſtaret, quo vultu ſeſe damnati in inferno invicem intueantur. Superat; ut judici quoque tanti flagitij pænas daret, is ad furcam damnavit tam infamem reum, ne terram inficeret, ſi inter bonos ſepeliretur.

Gentis more, priuſquam ad ſupplicij locum perveniret, ad hoc templum ductus eſt, factum malum optimo, quo poſſet, modo deprecaturus: quod ille tantâ ſinceri cordis pœnitudine peregit, ut tertium quoque à Virgine miraculum extorqueret, etenim jam ultimum valedicturus, & feralem viam ad furcam iturus, ſigna à Deipara accepit, quæ reconciliatam probarent: vultum illi ſibi ſuum ſenſit mutari, quod cùm ipſe non videret, viderunt tamen alij, eundem, quem antè habuerat, vultum redijſſe, nullo turpiſſimæ formæ veſtigio. Reddidit miraculum hoc ipſum judicem perplexum, pergeret ne ſævire in culpam tam miraculosè ab ipſa Deipara jam remiſſam. Populus in mitiorem ſententiam traxit judicem: ſciret, velle Deiparam hunc vivere, non mori; & miſericordiam ſuam modò teſtatam facere, ac docere, etiam luſores, fæcem alioquin impiorum, gratiæ locum inventuros, ſiquidem verè, non fictè, Virgini ſcelus deprecarentur. Hinc S. Imagini propter triplex miraculum dati honores. Gonon. 1405.

D C C X L V I I I.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE QUERCU

Merfelti, in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Virago pura ditata manè immenſa luce.*

1. Quercus in templo.

2. Pons pro B. V. factus.

3. Hæreſis plura deſtruxit quam reſici poſſint.

M*Erfeltum* pagus eſt, in quo Statua Deiparæ in quercu colitur, quæ hodiéque in medio altaris eſt, de ramis pendent Anathemata. Peregrinorum bono factus eſt olim pons ad *Dommelam* fluvium per tractum paluſtrem, duplici aggere, ne poſteri ignorarent, ob Deiparæ honorem hæc opera ſtructa eſſe, nomen ab illâ acceperunt, ponſque *Marianus*, & aggeres *Mariani* dicti ſunt, veſtigia adhuc extant; nec dum quod ſciam reparata, quis enim Pons.

omnia.

omnia, quæ deſtruxit hæreſis, reficiat? ſæculis opus eſt, & quidem pacificis, nec in totum miracula deficiunt, quia hodiéque in multis viget pietas, præſertim Feſto *Viſitationis B. V.* quo maximus, ſi unquam, toto anno concurſus eſt. Wickmannus lib. 2. cap. 32.

D C C X L I X.

Imago B. V. Miraculoſa.

A L B A.

Handitovij in Scotia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Iam viſa patet munda Cælorum Regina.*

1. *Milites impij.*
2. *Crucifixus ulciſcitur B. V.*
3. *Mali facti bona vindicta.*

Circa annum ſæculi decimi quarti vigeſimum quintum, ſub *Eduardo Angliæ Rege*, magnam fecere rerum ſacrarum ſtragem, milites non bene in ordines Chriſtianos redacti. Neque huc affero injuſtas, etiam juſto bello, deprædationes: quando jam illis quoque ſæculis mos invaluerat, ut militibus liceret, quod prædonibus & latronibus prohibitum eſt, qui impiè & impunè vult agere, miles ſit neceſſe eſt, ſiquidem vivere velit. Scotia, inquam, tota ſpolium facta eſt militibus Anglis. Quid autem à Deo, & ſanctis, in hos militares prædones peccatum eſt, quod in templa ita ſævierint, ut nec in privatorum civium domos liceret? Unum enarro; in terram egreſſi juxta *Handitovium*, conſpexerunt non procùl inde Sacellum Deiparæ, quod *Album* vocabant incolæ, hoc ingreſſi latronum ſunt ritu, nullâ ſacri loci reverentiâ. *Prædones.*

Eorum unus Statuæ B. Virginis appenſa ornamenta ſua fecit, ſed malo ſuo: nam dum per templi fornices cum alijs inſanientium ritu diſcurrit, dependens è tholo templi Chriſti Crucifixi procera & magni ponderis effigies rupto, è quo pendebat, fune in hunc fùrem ſagittæ inſtar ſic delapſa eſt, ut nullo circumſtantium damno huic ſoli cerebrum fregerit, & animam eliſerit. Qui caſu hoc factum eſſe dixere, non errarunt; niſi quòd memorare ſimul debuiſſent, non ſine miraculo contigiſſe, quòd iſte ex omnibus unus, in hunc caſum inciderit. *Caſus.* Socij velut icti ſapuerunt, & alieno periculo cautiores facti, fugam dedere quà data porta, ne in eâdem charybdi perirent, ſed inciderunt in ſcyllam: nam ubi navim ingreſſi, vix altum tenuere, ſubita tempeſtas navem adorta, omnes demerſit, præter paucos, qui natatu in litus evaſere, quíque omnem infelicis deprædationis ſucceſſum retulerunt: ne poſteros mali facti bona vindicta lateret, *Vindicta.* vide nunc, an filius matris injurias permittat abire inultas. Scoti hanc

Dei-

Deiparæ S. Iconem quanquam jam antè miraculoſam, finito bello, adhuc majoribus honoribus & obſequijs coluere. Boëth. in ſua Scotia libro. 15.

D C C L.

Imago B. V. Miraculoſa.
BURBURGENSIS.
Burburgi in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum,
Anagr. *En ſummè pura macula, ignota diti.*

1. Non omne quod ſplendet aurum eſt.
2. Sanguis è vulnere miraculoſus.
3. Pœna horrenda.

REfero verbis meis, quod *Abrah. Bzovius* ſuis ſcribit *t. 15. Annal. 1383. die 16. Septembris* contigiſſe in expugnatione *Burburgi*: in principali urbis templo lignea Deiparæ Statua Burburgenſibus fuit in honore præ cæteris, pretium ei apud imperitos fecit, quòd bracteato eam auro pictor texerit: hinc Gallo militi viſa eſt aurea. Credidit ſimplex, omne, quod micat, aurum eſſe, & quid in templo faceret aurum, miratus, ſimúlque Virgini cum ſtomacho aurum exprobraturus, pugione Statuam ferit, quàm altè poteſt.

Carneam credidiſſes: nam pugione cedente ligno altiùs deſcendit in vulnus, & ſanguis, ut ſolet, copioſè effluxit. Supervenit muliercula, & Statuam ſanguine perfuſam non parùm ſtupuit: tum peplo, quo caput texerat, vulnus exterſit, remanentibus tamen cruoris ſacri veſtigijs: ſed nec peplum ullâ lotione ſacer ſanguis deſeruit. Revertor ad ſecundam hujus tragædiæ perſonam, ſed Principalem, ipſum parricidam. Is poſt inflictum vulnus mente ſubitò emotus, tantâ vi à Cælitum quopiam in terram dejectus eſt, ut crepuerit. Hæc debebatur ſceleſto merces. Cadaver ejus mox è templo extractum, & in foro abiectum publico, ut fieret canibus epulum: ſed faſtidierunt canes hoc tragema, ne itaque urbem inficeret, fimo terráque cadaver texerunt, ſed & hic divina ultio animadverſa eſt: nam ſceleſta manus ſemper ultra fimum porrecta ſpectandam ſe præbuit; quamquam ſæpe novis retrimentis obrueretur.

Triduo cives in foro ſpectaculum hoc ſuſtinuêre, ſuffecturo impijs exemplo ſimilia auſuris, tum ad caudam equi ligatum cadaver, probroſè raptatum eſt extra urbem, & in puteum veterem dejectum: ubi tamen, licèt aquis obrutum tectúmque, manum tamen ſceleſtam ſemper exeruit, memorat quoque auctor, nec hyemis tempore in glaciem abijſſe: donec puteus ruderibus & quiſquilijs omnino impleretur, raro vindictæ divinæ exemplo, utinam impijs Iconoclaſtis profuturo, Bzovius ubi ſupra.

Tragædia.

DCCLI.

Imago B. V. Miraculoſa. DE CARTHUSIA. *Moguntiæ in Germania Sup.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *En mira en auguſta, Deo micat pura mali.*

1. Mens dura.
2. Averſio Statuæ.
3. Pœna deſerta religionis.

Huic S. Imagini cogor dare titu'um *de Carthuſiâ*; cùm alium non inveniam, Moguntinam urbem appono; quia Carthuſienſe Cœnobium prope urbem eſt, rem aggredior narrare raram. Regnante *Innocentio quarto Pontifice*, Novitius in hoc Cœnobio ſe religioni, & religionem ſibi probavit in novitiatu, ſed ubi nec ſe Ordini, nec ſibi Ordinem convenire advertit, Ordinem deſerere, & ad ſæculum redire conſtituit. Ne autem inſalutato hoſpite abiret, in genua provolutus, Deiparæ coram hac Statua, quam in cellâ habebat, vale ultimum dixit. (Novitius.)

Diſplicuit Virgini tam frigida valedictio, támque præceps abitus, ſiccine inconſultâ matre abiret, quam ne ſemel quidem in conſilium vocare dignatus eſſet: ſint ſanè ſuæ animo anguſtiæ, ſint corpori aſperitates; an Regina Cæli ritè invocata lenire non poſſit hæc incommoda? quàm multis ejus auxilio viſa ſunt facilia, quæ initio videbantur naturæ vires ſuperare? ergóne pereat juvenis præceps & inconſideratus? abeat ſanè, & in manu conſilij ſui relinquatur, quia ſuum ſperneret, ſimul mentem hanc ſuam juveni adhuc in genua proſtrato hac viſione notam fecit: Statua enim ſi non eburnea, certè oſſea, quam fixis oculis intuebatur, ita ſeſe circumegit, ut ei dorſum verteret. (Statua.)

Satis hoc vel impiò cuicúnque, ut convertatur & vivat: non huic Novitio, nam quamvis tanto prodigio vehementer ſit exterritus; non tamen à ſuo propoſito diſceſſit: licèt à Deiparæ Statua jam recenter miraculoſâ diſceſſerit ad Priorem, cui poſt denarratum omnem rei totius ſucceſſum, Peto, inquit, & veſtes, & liberum è Cœnobio abitum; quando conſtitui vivere, ut antè, nec his me anguſtijs includere: date mihi, quas tuli, veſtes meas; veſtras vobis relinquo, & abeo. Superior juveni cæterâ non incommodo, quin etiam præ quàm apto, tentationes objicit, & fraudes dæmonis: novum hoc non eſſe, patientiâ paucorum dierum facilè ſuperari, quidquid ille ingeſſiſſet faſtidij. Ad hæc cur tu, inquit, non poſſis, quod potuerunt tot, & tot alij tibi pares, imò corporis robore inferiores? Novitius non aures, non mentem monitis præbet; ſed quâ poteſt importuni-

tunitate jure ſuum petit, id eſt, veſtes. Adultima igitur, devenit Superior: & quid, inquit, Deiparæ reſpondebis, quæ tanto miraculo, abitum tuum improbavit, & aversâ facie te non dignata eſt intueri? Mane, & ſpondeo iterum ſe vertet Statua, ubi te converſum viderit, mane, hortor, obſecro, mane; ne hoc loco relicto inferinus te excipiat, currebas bene, quis te faſcinavit malus genius? Ille ad omnia durus, immotus, ſurdus, veſtes inclamat, veſtes date. Et ſanè datæ ſunt: datas ille induit, & abijt, quò verò abierit, nec illo die, nec ſequentibus annis reſciri per ullam diligentiam potuit, quantumvis poſt eum (verba ſunt auctoris) multi miſſi eſſent, raptum alicubi à malo genio, creditum eſt. Cæterùm ſacra, & ſatis ſupérque miraculoſa Statua ad domum *majoris Carthuſiæ* perlata fuit ubi hodiéque in honoribus eſt. Hæc F. Petrus Suor de vita Carthuſiana.

DCCLII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE ARCU.
Tervani in Anglia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Agite nupſit amori verè munda ac alma.*

1. Icti jaculatores ſapiunt.
2. Arcus miraculo fractus.
3. Converſio.

TErvanum Marinorum urbem an. 1346. vi captam ab Anglo milite ſcribit *Meierus*, & belli jure, quod ſibi quiſque victor vel facit, vel fingit, ad lubitum ſubjecto igne accenſam, ne tamen conſuera victoribus elaberetur præda, prædationi operam dedere milites: inter quos nonnulli templum ingreſſi, diripuerunt omnia, eorum unus Deiparæ Statuam in altari conſpicatus, quam corona ſingularis artificij ornaverat, hanc, inquit, nobilis thraſo, ut mea ſit, deijciam: ſimul ſagittam ex arcu torquet, non aberraturam; niſi Virgo, priuſquam ſagitta deſereret nervum, in ſexcentas partes arcum miraculo diffregiſſet, magno circumſtantium damno, quos eadem mens verè fecit eſſe ſodales improbi baliſtarij. Vix fuit, qui non grave vulnus accepit à circumvolantibus rupti arcûs fragmentis. Ita Deipara Virgo ex una ſagitta plures facere poteſt, eáſque, quò ipſa vult, dirigere, icti jaculatores ſapuêre; & unà cum populo per munera & preces publicas Virgini laudes & encomia dixêre, nec multò pòſt placata Virgo ſupplicibus unde unde venientibus beneficia impertivit, & titulum miraculoſæ acquiſivit. Meierus.

DCCLIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
LIBBEKENSIS.
Libbekæ in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Gnati Deo viva mater almè pura micans.*

1. Ritus Energumenorum.
2. Funus immobile.
3. Virginum praclara mors.

ANno 1341. tempus fuit, quo mortui audierunt vocem matris Dei. Habitabat tum Libbekæ vir nobilis & equeſtris *Ioannes de Kreuvinkel.* Erant huic duæ filiæ, Virgini Deiparæ ab infantia addictiſſimæ. Hæ uti in vita fuerunt amoris vinculo conjunctæ, ita & in morte non ſunt ſeparatæ: placuit enim Virgini utrámque Virginem ſimul, & eodem morbo, ex hac vita ad æternam evocare. Funus. Quatuor non plures bajuli utrámque eadem in tumba ad ſepulchrum deportârunt ad alium, pagū, quòd Libbeka tum gemeret ſub interdicto. Iter omne reddidit, aſperum ſæviſſima tempeſtas repentè exorta, juſſi bajuli ſubſiſtere, dum cælum deſævijſſet finitis imbribus, depoſuere tumbam intra duas quercus in terra ita expectatum ab omnibus eſt cæli imperium: quod ſanè intellexerunt, quàmprimùm cælo eſt reddita ſua ſerenitas, cùm enim iterum in ordinem compoſiti funerum duorum comites, expectarent bajulos, tumbæ mortualis pompam ſecuturos, in ſtuporem rapti ſunt, cùm viderunt ſandapilam nullâ vi tolli, ſed nec moveri loco poſſe; licèt fortior alter alteri ſuccederet.

Stupefactus & ipſe Pater nocte Somnium. proximâ conſilium invenit, admonitus, ni fallor, ab ipſis filiabus, Deiparam inter has duas quercus templum velle, in quo ipſæ ſepelirentur. Fuit hoc non injucundum Patri, diémque vigeſimum Julij, quo hæc contigeruut, albo notans calculo fabricæ, quantum per eos, quorum intererat, licuit, initium dedit, finivítque illo adhuc anno Sacellum quidem, ſed quòd amplitudine Parochiali templo par eſſet. Sepultis ritè filiabus B. Virgo grandia, ut memorat M. S. miracula patravit: præter cæcos aliquot illuminatos, & ſuſcitatum unum alterúmve mortuum, illud ſingulare, quòd Energumeni præ cæteris hic medelam invenerint: quorum commodo domus peculiaris ædificata eſt; in qua quadraginta plerúmque dies curationi ſunt dati, myſterio à paucis penetrato. Locus hodiéque miraculis claret, diſtátque Lovanio mediâ ferè horâ: creſcítque indies propter beneficiorum copiam, quâ Beatiſſima Virgo Virgines illas ſorores honorat; & miſeros beat. Ex VVikmanno tom. 2. cap. 3.

DCCLIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
ANDRONICI IMPERATORIS.
Conſtantinopoli in Græcia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Eia agna Sion atrum lupum mirè cædit.*

1. Deſiderium imperandi.
2. Dolium Diogenis.
3. Venti obediunt B.V.

INter miraculoſas Deiparæ imagines non immeritò illam D. Lucæ picturam pono, quam *Andronicus Senior* in Palatij ſui Oratorio habuit, velut unicum in omni neceſſitate auxilium. Fuit, cùm Nepos *Andronicus Junior* imperium optaret, & avi mortem. Sibi, inquiebat, vixit ſatis, mihi nimis, ſi imperium volo, naturæ & fatorum tarditas vi occupanda eſt; adeſt militum & populi favor, ætas imperio par, ſpecies digna: quid moror? Imparatus & ſine metu vivit ſenex: vivit, hunc, ſi ſapio, opprimo, & impero. Dictum, & ferè dicto citiùs factum.

Conſtantinopolim cum milite victorioſus ingreditur, inter plaudentis populi clamores, quin & ipſum palatium, certus occidere ſenem, interea ille de nepotis Tyrannide monitus, cùm ſpem in milite ampliùs ponere non poſſet, non ampliùs ſuo, quémque jam omnem Nepos perfidus fraude, promiſſis, & ſtipendijs occupâſſet: Adhæc non eſſent perito ſeni aulicorum mores ignoti; ut qui omnem ſuam Philoſophiam in Diogenis dolio tanquam vera falſæ politices ſchola didiciſſent, quod ſemper ſolſequij inſtar ſoli obverſum, præſertim orienti, præſtat, quod in aulis optatur. Spem itaque omnem in Deiparam convertit, & in Oratorio ſuo coram hâc S. Icone in genua proſtratus: Vitam, inquit, meam tibi, ô Virgo, committo: de hac periclitor & omnia præſentem intentant mortem: nepos furit, nemo fert opem; ſi tu quoque cunctaris, hic tibi ſacer fiam, & victima, ſub hæc adeſt, non iratus, ſed furijs actus nepos, ſe totum avi ſanguine contaminaturus, jamque per notas Palatij aulas ruens ad Oratorium devenit, & avum invenit proſtratum coram Imagine: cuius aſpectu & ipſe ingenti miraculo jam alius, ſenem avum, quem interfecturus venerat, de terra elevat, ſe ipſi ad pedes proſternit, fatetúrq; malum factum, quod animo conceperat, & veniam petit. Hæc mutatio dexteræ Excelſiſſimæ Reginæ Cæli fuit, cui nemo in periculis fit ſupplex, quem illa deſerat. Porrò Imaginem illam publico alicubi expoſitam plura patrâſſe miracula, nullus dubito; quanquam id non memoret Nicephorus Gregoras l. 9. Hiſt. Rom. Unde hæc accepi.

DCCLV.

Imago B. V. Miraculoſa. SCHIEDAMENSIS. *Schiedami in Germania Inf.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Oceanus puritatum, agna Dei mirè alma.*

1. Remora navis.
2. Non omnis domus B. V. placet.
3. Imago exiguo pretio vendita.

MErcator ad forum profectu-rus Antuerpiam, *Schiedami* cum nave mercibus preſſa expe-ctabat, vela daturus, cùm ven-tis placuiſſet. Et placuit ſanè ventis videre naves in aqua; pla-cuit quoque navibus videri, & protrudi à ventis: hæc tamen in-ter omnes ſola ſtetit. Nulla, quod plus eſt, videri poterat re-mora, quæ tumentibus velis ob-ſiſteret, ſiſteretq; infelicem cym-bam. Itum in conſilium eſt; ſed ſive ventorum, ſive aquarũ, ſive navium, ſive omnium deni-que periti, mali nec cauſam, nec remedium divinârunt: dum re-rum ſacrarum ſagacior quiſpi-am, & à gente aquaticâ viuendi ratione longè diverſus, imagi-nem Deiparæ excellentis manûs opus intuitus; fallor, inquit, aut hæc Deiparæ imago te moratur: juſto pretio, quod dabimus, con-tentus eſto: nos Virgini in Votis ſumus, & illa nobis, hîc honores expectat. Invenit apud merca-torem hic conſul fidem, merca-tori gratam; quia pretium & qui-dem juſtum offerebat. Poterat mercator licitatori indicere pre-tium ingens, ipſi miraculo ad menſum, quod is verebatur, qui S. Imaginem indicato miraculo licitatus eſt, ſed mercator operis pretium cum fœnore conſueto ſed leviore indixit, ſicque em-ptori Imaginem nullo ſuo, ma-ximo emptoris lucro, concilia-vit.

Ita navem onere felici exone-ratam facilè ventis dedit, quibus feliciter Antuerpiam uſque pro-vecta eſt. Quid navi porrò a-ctum, non requiro, quia preti-um accepit, crediderim etiam gratias vendidiſſe novâ ſimo-niâ, quas Imago ſecum vehebat. *Schiedamenſes* Imaginem templo *S. Joan. Bapt.* Intulerunt, & brevi miraculoſam experti ſunt, ho-dieque pro tali colunt. Surius t. 7. in Vita S. Lidvvinæ.

DCCLVI.

Imago B. V. Miraculoſa. DE MISERICORDIA. *Neapoli in Italia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Immaculata verè digna portus animæ.*

1. Blaſ-

1. Blaſphemus inſolens.
2. Luſor inſanus.
3. Iconoclaſta ferox.

IPſe calamus tandem faſtidit toties in medium producere blaſphemos aleatores, nunquã ſine Virginis injuria. Proſtat in templo S. JESU *Eligij & Martini* Imago B. V. in pariete depicta: Vulgus ei nomen dedit *de Miſericordia*, ſive quod ipſa S. Imago miſericordiâ & compaſſione digna ſit; ſive quod miſericordiæ Mater hic miſerorum miſereatur. Hanc perditus luſor, cùm nihil amplius haberet præter blaſphemias, blaſphemias quotquot habebat, prodigè in Imaginem, & ipſam Deiparam effudit. Monitus ſanè à circumſtantibus eſt, Imaginem quidem nec audire, nec vindictam facere: ſed eam, cuius imago hæc eſt, utrumque poſſe: quieſceret proin, & ſibi non Superis iraſceretur; ni velit experiri, quod ſolent eiuſcemodi detonatores, ſed ut aqua quandoque ignem, quem extinguere deberet, magis accendit, & inflammat; ita aleator iſte importunis monitoribus aſper, in atrociora exarſit: nam rapto pugione Imaginem deſtinato in faciem ictu fœdo vulnere dehoneſtat. Vulnus ſanguinem, ut ſolet, dedit: luſor, quod non ſolent, fugam: quin populus ſanguini miraculoſo intentus, cùm quiſque exiſtimaret, à quocunque ſceleſtum teneri, à nullo detentus, eſt feliciſſimè elapſus: ſi tamen elapſus eſt, quem urbs *Florentina* in carcerem compegit, & tormentis ſubjecit propter homicidium: quod ideo apparitoribus credebatur perpetraſſe, quod juxta cadaver, homo in ipſa facie à natura ſic ſignatus, ut nullo temerarij judicij ſcrupulo laboraverint tenerrimæ ſcilicet conſcientiæ apparitores, quos Itali *Sbirros*, appellant.

Luſor.

Pœna.

Quæſtioni ſubjectus negavit homicidium, ſeque abunde purgavit omni ſuſpicione, ſed ut conſcientia mala proditore non indiget, quia ſeipſam ſpontè prodere ſolet, aliud, inquit, eſt, quod morte dignum commiſi. Ego, ego ſum ille, qui Neapoli Deiparæ imaginem in muro pictam vulneravi; & ſanguinem fundere coëgi ipſos muri lapides: ecce pugionem, ecce manum, ſceleris inſtrumenta: rem vobis, & Italiæ toti notam loquor, habetis confitentem reum, dabo pœnas, ſi vos ſententiam dederitis. Hæc ille: & ſanè acceptâ ſententiâ Florentiæ pœnas dedit. Cæterùm S. Imago ſubitò honoribus & cultui majori aptata eſt, & in hodiernum diem, ut accepi per litteras Neapoli ad me datas, miraculoſa, & ſupplicibus benefica, ut omnes ſolent, quę ad placitum luſorum dedere ſanguinem videri etiam poteſt Benedictus Gononus.

Tortura.

DCCLVII.

Imago V. B. Miraculoſa.
AD S. PETRUM.
Lovanij in Germania I.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Pura mea mater Adam it, Angelicus unio.*

1. Donaria.
2. Miracula.
3. Negligentia majorum.

CElebris hæc Deiparæ ſtatua, & tot miraculis glorioſa, in peculiari ſacello religioſè colitur in templo *S. Petri.* Iuſtæ magnitudinis eſt, & filium brachio geſtat, donarijs aureis gemmeiſque tecta, à ſæculis jam hic in honoribus eſt, quidam ab *Anglis*, alij è Cœnobio *Parcenſi* allatum ajunt, neutra pars tanto argumento, ut ego pro vero aliquid afferre poſſim, aut judicare velim. Cæterùm ab anno 1442. Statua miraculoſam eſſe, probat M. S. codex, qui quadraginta quinq; titulos omnis generis miraculorum ſuppeditat, quibus majora vix alibi reperiri putant. Feſtum totius anni precipuum 4. Novembris celebratur. Miraculorum nullum ad me perſcriptum eſt: adeóque non habeo, quod ultrà addam, neq; tamen omittere volui tam publicè miraculoſam; quanquam plura non acceperim.

DCCLVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
REGIA.
Cracoviæ in Polonia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Age vinea pura dumis miro lacte manat.*

1. Imago manibus trita.
2. Benedictio.
3. Digiti incorrupti.

REgia hæc S. Imago non ſine ratione *Bona* dicitur; cùm ab *Hedvvige* Regina veniat. Hæc ſingulari pietate plures Deiparæ Statuas honore proſecuta eſt, quas, ad templa cùm proficiſceretur, præferri ſibi volebat velut altaria protatilia: tum ſuas coram unaquaque orationes Virgini offerebat. Hac, de qua loquor, quia parva eſt, velut individuo comite delectabatur, & penè dixerim, manibus eam terebat, ne unquam mens à Deipara longiùs abiret, nonnunquam hac S. Icone ægris benedictionem impertiebatur, & ſimul deſideratâ ſanitatem: denique etiam ſecum eam ſepeliri ultimâ, id eſt, ſacro ſanctâ voluntate juſſit. Accidit, ut poſt plures annos ſacra ejus lipſana, majoribus præparanda honoribus, Calum.

exi-

eximerentur è tumba, reperti ſunt tres dexteræ priores digiti integri & incorrupti, magno & eximio S. Statuæ miraculo: quod utique ſecuta ſunt alia atque alia; ſiquidem, ut opinor, hæc S. Statua publico data eſt, & in templo ex-poſita, quod factum eſſe, nullus dubito, quæ autem ex omnibus Polonicis Statuis, hæc ſit, ſive an ſuperſit, non habeo dicere. Cracoviam poſui; quia ibi à S. Regina primos honores accepit. Hæc accepi ex Bzovio anno 1268.

DCCLIX.

Imago B. V. Miraculoſa.
LANDENSIS.
Landæ in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Diva Immaculata parens; & Virgo Amen.*

1. Oppidum ſine templo.
2. Aula.
3. Sacellum.

LAnda oppidum eſt totius Belgij antiquiſſimum, & Aulâ *Pipini* primi Brabantiæ Ducis clarum. Hîc enim habitâſſe Ducem cum *Itta* ſeu *Itburga* conjuge, traditione indubiâ conſtat: ex qua filium unum *Grimoaldum*, filias duas *Beggam* & *Gertrudem*, hoc in oppido genuit. Pipinus hic, ut docent hiſtoriæ, Virgini Deiparæ fuit addictiſſimus & cultum ejus apud ſubditos fervore ſingulari promovit. Inter advertenda, ſi non admiranda, hujus oppidi eſt, quòd, cùm ſit muro cinctum, & pervetuſtum, tamen parochiale templum habeat extra muros, ſed nec ullum aliud templum muris oppidi clauditur, præter unicum Deiparæ Sacellum, quod quia antiquiſſimum, imò ipſi oppido fortè coævum eſt, in magna ſemper veneratione ab incolis habitum eſt: & quamquã anguſtum eſt, capax tamen eſt inſignis & magnæ pietatis; quam omnem incolæ in hoc Sacellum, quia unicum, comportant, miraculoſum vocat auctor: nulla tamen miracula memorat. VVickmannus lib. 2. cap. 42. Templum.

DCCLX.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE OVIBUS.
Clarofonti in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Agna mea Deicer veſtivit puram lanam.*

1. Somnium mirabile.
2. Fons ſub quercu.
3. Somnij interpres.

HUjus S. Statuæ lapideæ origo è fundamentis Monaſterij eruenda eſt, quantumvis nunquam ſub terra latuerit. Anno 1214. *Ermeſendis* Comitiſſa Luxenburgenſis ca-

ſtro ſuo *Bardenburgo* poſt meridiem egreſſa, ad fontem ſub quercu conſedit, & inter Zephyros ſuaves in dulcem ſomnum lapſa eſt, quē ſomnium cæleſte adhuc dulciorem fecit. Enarro ſomnium, deſcendit auguſtiſſima Matrona cum filiolo è vicinis collibus, ád hunc, quem dixi, fontem; & ad fontis crepidinem non procul à Comitiſſa conſedit. Adfuit paulò pòſt grex ingens ovium, quæ cùm omnes & ſingulæ Matronam præterirent, ambiebant, ejus manu mulceri: quod & Matrona ad earum votum executa. manu ſingulis in ſignum amoris ſuaviſſimè impoſita. Porrò *Ermiſendis*, ſomnij vel in ipſo ſomno exacta indagatrix, ſingulariter colorem ovium eſt demirata, qui omnibus unus erat quamquam non unus; ſed duplex eſſet, niger videlicet & albus, ita tamen, ut eadem omnibus eſſet colorum partitio, à collo per medium dorſum ad caudam uſque videbat velut faſciam nigram rectámque unius non amplius Spitamæ latitudine: eâdem à collo per ventris longitudinem, eâdem latitudine fluebat. Cæterùm cum capite corpus totum candidiſſima lana tegebat, quemadmodum illa, quam dixi, faſcia lana fuit exquiſitæ nigredinis. Hæc Comitiſſa Ermeſendis ubi vidit, cum ſomno etiam ſomnium evanuit, citiùs quàm optaſſet: jam enim & officioſas parabat ſalutationes, & alia, quæ ſexus hic præſertim honoratior ſolet obſequia honoris, interrogatura quoque erat, quæ & unde illæ oves eſſent, quas manibus ſuis tam amanter tractâſſet: númne illa demum eſſet paſtoris aut ſoror, aut conjux, ſed quam omnia alia & forma, & veſtis, & oris mira majeſtas loquerentur. Hæc dictura evigilavit, mirata ſomnij concinnum, nec turbatum ordinem, aliaque, quæ veris ſomnijs ineſſe ſolent. Tum; Fallor, inquit, niſi ſomnium hoc divinum fuit: quódque me Deus & noſſe vult; & exequi, nec remoro, quidquid portendat, nil triſte aut acerbum habuit, quod timeo? Sed ubi Joſephus ubi Daniel; aut ſiquis eſt alius ſomniorum felix interpres? Subijt mentem Eremita proximæ ſilvæ incola virtute indubiâ, jam integro ævo clarus, cujus verba præ oraculis erant.

Comitiſſa.

Hunc adit, conſulitque Ermeſendis, ille ad preces primùm deſcendit in genua; dein mente oculiſque ad cælum erectus lumen inde petijt, unde ſomnium venerat. Tum ad Comitiſſam converſus, Deipara, inquit, à te ô Domina, petit Cænobium Virginum, ad eum fontem, ubi illa Matrona conſedit, & Virginum, quæ ſub Regula S. Bernardi Ciſtercienſes appellantur: illæ ſunt oves Virgini chariſſimæ, amant Virginem, & ab ea amantur, & ne dubites, colores veſtium ſacrarum vidiſti in ovibus, quin & veſtium uniformem in omnibus formam, ſi Matronam, quam vidiſti, aliam putas; quàm Deiparam, tuus error eſt, ut quæ cæleſtem vultûs ſpeciem, actionis plùs quàm aulicùm decorem, denique totam oris majeſtatem minùs quàm oportuit, obſecrâſti,

Oves.

Ciſtercienſes.

viſus eſt interpres vera dixiſſe, & placuiſſe, nam Ermenſedis, quàm primùm de Cænobio fabricando cogitationem inſtituit, nec deſtitit priuſquam cum Cænobio templum quoque ſtaret, redditibus dotatum.

Somnium. Porrò ne ſomnij adeóque ipſius originis memoria periret in templi choro pictor omne ſomnium penicillo expreſſit, eáque Matronam ſpecie depinxit, ut intelligentes rerum Sacrarum facilè Deiparam agnoſcant in Matronâ, & in ovibus S. Bernardi Sanctimoniales, ineſt quoque picturæ virtus è cælo, nam muro admoti Energumeni quiete fruuntur optatâ, nec torquentur ab importuno hoſpite. Hirci námque infernales Matronam in Imagine ſua reveriti, coguntur ad modeſtiæ quandam ſpeciem, & tacent.
Pictura. Pictura noſtris primùm temporibus abolita eſt, ut meliori penicillo daretur locus. Ita nempe pulchra præterimus utilibus, & miraculis finem ipſi imponimus, indigni quos Superi reſpiciant; quando illorum etiam miraculoſa beneficia abolemus, non ſine ſpirituum malorum aliquo jubilo: quorum poteſtatem in miſeros non ſatis piâ prudentia augemus. Hic omnes ſacros ſed imperitos architectos monitos vult Deipara, ne Sacella deſtruant, muros alijs picturis obducant, Statuas aut altaria ſupervacaneâ induſtriâ reforment, vel potiùs deforment, id eſt, ex loco ſacro profanum faciant, ni velint gratias quoque loco datas aboleri. Locus eſt ſuperficies ambiens: hanc qui mutat, locum mutat, & cum eo omnia, quæ cælitus ſunt loco data privilegia. Ex Menologio Ciſtercienſ. 7. Octob. & 27. Septembris.

D C C L X I.

Imago B. V. Miraculoſa.

D E P O R T I C U,

Clarefonti in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Integra ſemper munda à vitio, à macula.*

1. B. V. ſalutat ſuos.
2. Caput inclinat Statua.
3. Lapis loquens.

NOn repeto, quæ in hiſtoria præcedente ſcripſi, in ejuſdem templi veſtibulo Statua eſt è lapide, quæ inter miraculoſas meritò ponitur. Hæc perantiqua eſt: originem ducunt à *Ioanna Abbatiſſa* Sanctiſſimæ vitæ Virgine, de hac memorat *Menologium Ciſtercienſe* loco citato, tam gratam acceptámque fuiſſe Virgini Deiparæ, ut ab hac Deiparæ Statua ſæpe ſalutationem amicam acceperit, quod & *Gregorio* ſancto Pontifici contigit, quod ſuo loco dixi, & propiora tangam, quod *S. Bernardo* Spiræ in Germania datum eſt, ſed *Ioanna* Abba- S. Gregorius.

tiſſa, ſi gratiam hanc penitiùs introſpiciamus, plùs à Virgine honoris accepit: nam non modò prætereuntem Ioannam ſalutavit S. Statua, ſed ſæpius, & quidem capite inclinato, quin, quod alibi non lego, multa & longa de tebus cæleſtibus miſcuit, colloquia. Hæc ubi publico innotuerunt, populo quoque ſacra cæpit eſſe hæc Statua, & miraculoſa. Menologium Ciſtercienſe 7. Octob. & 27. Septembris.

DCCLXII.

Imago B. V. Miraculoſa TRAIECTENSIS. *Traiecti in Germania Inf.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Una mira vadit ſemper ignota maculæ.*

1. Supplicatio mirabilis.
2. Concurſus mirabilis.
3. Veſtitus mirabilis.

HAbent hanc jam à ſæculis miraculoſam Statuam RR. PP. Franciſcani Trajecti ad Moſam in Monaſterio ſuo, quod Iecora fluvius interluit, quod quanquam hæreticorum furore penè totum corruit, iterum tamen ſtat è fundamentis novum. Templum è ſectili lapide perelegans in Sacello ad latus, pedes longam quatuor, ſtantem, & filiolum ſiniſtrâ tenentem, miraculorum originem neſciunt ipſi, quam facilè fuit hæreticis priori ſæculo, unà cum alijs monumentis abolere. Placet pietatis quædam ſigna non ordinaria hic apponere, unde lector colligere poſſit, & olim fuiſſe miraculoſam, & nunc eſſe miraculoſiſſimam. Pietas.

Feſtum S. Statuæ etiamſi duret toto anno, feriâ tamen ſecundâ poſt Paſcha tantus eſt affluxus; ut vix fidem auctor inveniat, qui id deſcripſit, ſolenni ſupplicatione à Fratribus deportatur in medium templum. Hic publico expoſita honores accipit non tantùm à civibus, ſed vel maximè ab exteris, qui undique ad hoc feſtum confluunt. Imagines impreſſæ ante omnia ab omnibus magnâ curâ deſiderantur, quarum millia ſeptendecim Curatores pompę petentibus aliquando diſtribuerunt. Adjunxit *S. D. N. Paulus V.* Indulgentias. Illud rarum, quod more illis in terris antiquo videre eſt, pueros adoleſcentes, Virgines, Matronas, viros nudipedes, ſolis induſijs lineis tectos magno numero Statuam ſacram circumire, nonnunquam etiam repere. Ad ſunt loricâ ferreâ induti ad ritum cilicij, ad uſque genua pertingente, cæterâ nudi & nudipedes; ritúmque antiquæ pænitentiæ vel renovant, vel certè repræſentant. Pænitentia.
Quos pudor, vel alia ratio vetat, à populo cognoſci, galeâ ferreâ caput induti incedunt. Illud obſervandum, quód præter hos, quos memoravi, quique magno nume-

numero pompæ dant initium, etiam alij ſaltem nudipedes eos ſequantur ſaccis induti. Virgines lectiſſimæ ſtatuam ſublimem humeris portant, quam militum armatorũ cohors pone comitatur eo modo, ut ſuprà dixi. Cæterùm ſi lector putet, ferreis thoracibus & loricis ſubeſſe veſtes, ſententiam mutabit, ſi ſanguinis guttas obſervaverit, quæ per omnem viam ſparſæ totius itineris ambitum inficiunt. Hanc pænitentium aciem ordinatã ſequitur in Hierotheca Chriſtus, ſub conopæo aureo portatus: huic ſuccedunt Conſules, & primores urbis magno numero. Populus demũ omnem pompam claudit, res neſcio, an alibi pænitentiæ antiquæ ſimiliorem formam mundus habeat, præſertim tempore Paſchatis per omnem Eccleſiam lætiſſimo. Hinc lector arguet, Statuam hodiéque eſſe miraculoſam. Hæc ex Sedulio, de B. Virgine Moſæ Traiectenſi plurimis omiſſis excerpſi c. 2.

DCCLXIII.

Imago B. V. Miraculoſa. IMMACULATÆ CONCEPTIONIS, *Madriti in Hiſpania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Summè lucet agnita pura ira in Adamo.*

1. Sortes piæ.
2. Immaculata Conceptio.
3. Miracula.

GOthici operis antiquiſſima Deiparæ Imago ab ijs uſque temporibus in honore ſingulari fuit in templo Salvatoris. Accurrebant è Toletanis finibus frequenter ſupplicationes, & peregrinorum turbæ nullo non die templum replebant. Cùm viſum eſt templi Curatoribus augere cultum, & Feſtivitatem celebrare titulo myſterij cujuſdam Mariani. Et quia nullum ex omnibus indicavit pictor, qui Virginem ſolummodo cum IESULO inter brachia expreſſit, nullo picturæ fundamento, unum præ altero eligi poterat, iterum itaque, ut fieri in ſimilibus conſuevit, ad ſortes pias itum eſt.

Feſta Virginis diſtincta ſchedulis, ter ſortibus tentata ſunt. Ter *Conceptionis Immaculatæ* Feſtum exijt. Ita titulus iſte Imagini ſacræ datus, unde novi, & majores antiquis honores. Hodie vix alibi tota in urbe Madritenſi major accurſus *Conceptæ Virginis* Feſto, quàm hoc in templo, etiamſi & plura ſint ejuſdem tituli, & hoc feſtum in omnibus ſolenniter celebretur, nempe miraculorum copia, quibus Deipara hunc titulum honorat, huc pias mentes cogit. Curam habent Moniales Carmelitæ Quintana l. 1. c. 47. Sortes.

DCCLXIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE SAXO.
Feſulis in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Eva amica Mater ſit Virgo planè munda.*

1. Felices parentes.
2. Populo apparet Virgo.
3. Materiæ translatio.

SEſqui ſæculo & ampliùs hoc Deiparæ templum ſtat. Anno ſiquidem 1490. paſtoritiæ puellæ duæ in nemore montuoſo intentæ operi ſub meridiem in umbra more conſueto conſederant, & coram Imagine Deiparæ antiquiſſima, quam ibi ſæculis prioribus quiſpiam Virgini devotus poſuerat, preces fuderunt ita Virgini gratas, ut eas Virgo rependendas viſitatione judicaret. Itaque ipſo *Viſitationis* Feſto unà cùm IESULO, & duobus Angelis, ſe ſpectandam præbuit, & poſt ademptum metum eas etiam eſt ſolata: tum, hic, inquit, templum volo. Patrem advocate, cui plura loquar. Illæ vocatum patrem illico Deiparæ ſtiterunt. Cui Virgo eadem, quæ puellis dixit: ediceret itaque populo, quæ juſſiſſet. Apparitio.

Populus fidem ruſtico habuit, & locum primò piè acceſſit, & antiquam Virginis Imaginem novis honoribus affecit, res accidit, quam non memini me legere. Menſis Auguſti die vigeſimâ ſecundâ omnibus, quotquot, aderant, Virgo ſe ſpectandam iterum præbuit, eóſque alloqui dignata eſt, & templum expreſſis verbis hic locipetiit. Non difficulter populus in ſententiam Virginis ivit: ſed clivus, non placuit, in quo Imago erat, gravis & incommodus aſcenſus arcebit populum, è quo plurimi aſcendere non poterunt, plures nolent. Itaque ut magis Deiparæ honori conſuleretur, in planoè regione clivi cæpta eſt fabrica adeuntibus commodior, ſed quidquid dies in opere profecerat, nox ſequens deſtruxit, bis térve incuſata eſt ædificantium ſegnities, demum intellectâ Virginis voluntate, eo loci in clivo templum ædificatum eſt in quo Deipara juxta Imaginem ſuã apparuerat hinc *à Saxo* nomen curántque RR. PP. Servitæ. Aſcenſus.

Ita Angel. in Annalibus Ordinis.

DCCLXV.

Imago B. V. Miraculoſa.
WERCHTERANA.
Werchteræ in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Parit Virgo Deum emanata ſine maculâ.*

1. Anima

1. Anima fidei Catholicæ.
2. Statua B. V. cantans.
3. Lampas.

HOc Deiparæ Sacellum, ab antiquo miraculis clarum, ſæculo priore, ſubjecto igne, flammis illuſtrârunt hæretici. *Geuſiorum* iſtorum tempeſtas ubi deferbuit, mortuique ſunt, qui quærebant animam fidei Catholicæ, id eſt, Mariæ cultum expungere; iterum reparatis ope piorum muris, ſtetit Sacellum; imò è ruinis ſurrexit Auguſtius, &S. Statua, quam pius quiſpiam tantiſper ſubduxerat, iterum in altari repoſita eſt, id dolendum, quòd ſcripta perierunt, quæ miracula continebant. Tria adhuc fide digna extant, primũ, quòd, cùm Parochus exiſtimans, adeſſe paratos, inchoaret officium matutinum, conſuetis verbis, *Domine labia mea aperies*, tacerentque vel non præſentes, vel imparati, ad cantum cæteri, reſponderit voce cantillante S. Statua. *Et os meum annuntiabit laudem tuam.* Alterum, quòd Energumenus, quem quatuor viri, per omnem viam traxêre reluctantem, ſimul ac limen templi attigit, ſit liberatus. Tertium, quòd extinctus veſperi cereus bis terve, manè inventus ſit accenſus & ardens, non obſcuro indicio, Virgini in votis eſſe lampadem continuò ardentem, quod & facilè intellectum ab illo eſt, qui ære ſuo ſtatim & lampadem, & cenſum olei perpetuum templo aſſignavit. VVikmannus libro 2. cap. 4.

Hæreſis

DCCLXVI.

Imago B. V. Miraculoſa.

BINDERENSIS.

Binderæ in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Gaudeamus amici en pura mater in alto.*

1. Civitas refugij.
2. Fidelis ſervus.
2. Sanguis è ligno S. Crucis.

VT hujus olim valde miraculoſæ Iconis originem proferam origo Monaſterij *Binderenſis* retractanda eſt. Imperatrix *Maria*, Henrici I. Ducis Brabantiæ filia, poſt mortem Comitis Hollandi mariti ſui, Imperatoris *Ottonis IV.* Conjux Monaſterium Binderenſe fundavit: réſque ſic accidit, venationi erat intenta, mulæinſidens circa fluvium *Alpha*, loco paludoſo: mula fræni impatiens, paludem ingreditur, & ſubſidere incipit, certo Imperatricis periculo. Imperatrix *Maria* nihil jam niſi mortem expectans, Mariã ſibi cognominem & cæli Imperatricem voce, quâ poteſt, invocat, rogátque auxilium, vovétque ibidem ſe fundaturam Monaſterium. Eotum.

Hæc plerúmque tum Principum vota, & populi deſideria erant, habere velut civitates refugij

fugij Monaſteria, accurrit omnibus albis, candidiſque aulicis candidior ſervus æthiops, & mulam unà cum Domina ex aquis educit, & certiſſimæ morti eripit, nemo fuit ex aulicis, qui Imperatrici non aulicè gratularetur, vitámque ſuam in futurum offerret, præſentior tamen Imperatrici erat æthiops, qui ceſſantibus aulicis ſolus ſe periculo miſcuit, nec defuit Imperatrici gratitudo: ubicúnque in antiquis tabulis hodiéq; picta reperitur Imperatrix, æthiopem hunc quoque appictum videre eſt. Crediderim non inter poſtremos Imperatricis labores fuiſſe, fideliſſimum hunc ſervum contra aulicorum invidiam ſecurum facere: Ita fideliſſimi aulici fidelem ſervum principi invident. Secura vitæ Imperatrix Monaſterij cogitationem ſuſcepit, demonſtrante ipsâ Deiparâ viſo non dubio, vidit enim eo loco, ubi nunc Monaſterium ſtat, viginti quatuor ſanctimoniales veſtitu candido, ordine ſupplicantium incedere, unà cum ſex puellis veſtitu diverſis. Nec mora: loco jam non ampliùs dubio datur initium fabricæ, & poſt non longos labores etiam finis, de nomine Monaſterij non parùm dubitatum eſt. Illa, ne facti memoria periret, *Binderin* vocari juſſit: hæc enim verba inclamâſſe Imperatrix dicebatur, cùm in palude periclitaretur *ib-bin-darin*. Traditum Monaſterium eſt Monialibus S. Bernardi, ipſaque tres è Gynecæo Nobiles Virgines primùm conſecravit Deiparæ, ſequentibus utique alijs tribus; ne viſo deeſſet veritas. Ajunt, ornandæ Deiparę ſtatuæ monilia maximi pretij ab Imperatrice data, ſtatua hæc uſque ad tempora Calvini miraculorum famâ fuit celebris, ut ex monumentis conſtat. Crucis S. Partem Romam tulit à Pontifice probandam, qui oſſeo cultro dum eam tentat, elicuit è ligno ſanguinem. Hanc donavit Imperatrix Monaſterio, quod hodiéque floret, & S. Statuæ cultum promovet VVickmannus.

Æthiops. | Nomen.

D C C L X V I I.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE BONA SPE.

Lugduni in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Luna integra evaſit acre pomum Adami.*

1. *Imago ante domum.*
2. *Luſor impius.*
3. *Lapis ſceleſtus.*

Locus, in quo nunc Sacellum hoc Deiparæ viſitur, domus erat ad cujus angulum Imago in linteo picta cernitur. Eſt ea Imago poſt tot ſæcula hodiéque ſuperſtes, exhibens B. Virginem Puſioni Chriſto, quem ulnis geſtat, adblandientem: pro uſu piorum, qui domibus

ſuis

ſuis præſidium, vico tutelam, omnibus incentiuum pietatis quærunt. Vacuatâ igitur in luſu crumenâ, prodiens è domo rabioſus luſor, in ſacram Deiparæ Iconem, è regione domûs poſitam, & in egredientis oculos primùm incurrentem, diram rabiem expectorat, & ſaxo, quod fortè obvium habuit, luſoriæ pilæ magnitudine, manu prehenſo, validè illud torquet in Deiparæ effigiem, vomens (prô ſcelus) ſacrilega verba, quæ vel referre nefas ſit, lapis vibratus in S. Imaginem, diligentiâ majorum circellis duobus è metallo incluſus, & de catenula ſuſpenſus, Imaginem monumentum impietatis diu hæſit: nec niſi noſtrâ memoriâ per incuriam eorum, ad quos attinebat, excidit, catenulâ & circellis; lapidis magnitudinem docentibus, etiamnum reſiduis. Ad lapidis impactionem in S. Imaginem plurimus ſanguis erupit, prodigium ſæpiſſime editum in ſacris Deiparæ imaginibus impiè violatis. Sanguinationi Imaginis Deiparæ adjuncta eſt impiæ faciei præpoſtera collocatio, teſtis præpoſteræ & nimiùm quantùm averſæ à recto voluntatis; ita ut ſinciput in humeros retortum ſit, occiput verò in anticam partem.

Luſor.

Pæna ſanè congruens cum ſcelere, ut, qui vultum à recto averterat, vultu averſo, ſcelus ſuum proderet, nec pænam divinam humana, pede claudo eſt conſecuta, ſaltem deſtinatione ac voluntate. infelix, deprehenſo confeſtim, ſcelere, correptus, & capitis damnatus, reciſis ſolennibus judiciorum tricis, extremo ſupplicio abſque mora addictus eſt, juſſus priùs pro noxa ante S. Deiparæ Imaginem impiè violatam provolui, & veniam petere, reductus eſt à foro ad ſacram, Imaginem, urbe propè universâ ad ſpectaculum effusâ: & carnifex laquei patibularij collo jam inſerti extremam partem manu prehenſam tenens, ponè ſequebatur, confeſtim reum acturus in furcam, & trabe ab alta informis lethi nodo innexo dejecturus.

Pæna.

Reus inſtantis mortis, & ſcilicet horridiorum apud inferos cruciatuum pro tanto ſcelere tactus formidine, in ſacræ Imaginis conſpectu ſoluitur in lacrymas, & diſcuſſo pridem æſtu ac œſtro, quo in S. Iconem bacchatus erat, quid feciſſet, quid jam paſſus, quid paſſurus deinceps eſſet, idoneâ cogitatione & judicio ex rei dignitate ſuſcepto æſtimans, operuit confuſione faciem ſuam, & pectus aſſiduè tundens, copioſis lacrymarum rivis manans, & ſuper omnia effundens cor ſuum in conſpectu Dei atque Deiparæ, quam adeò perversè in ipſius ac filij Imagine violârat, miſerior die matrem pro noxæ abſterſione interpellat. Et, ô res mira, ſed antiquis noviſque alijs exemplis teſtatiſſima, non repulit ſupplicē Deipara, quæ homines dilectiſſimi filij pretioſo ſanguine perfuſos habet acceptiſſimos; ſi modò nō obdureſcant in ſcelere, & ad Deum ex corde redeant. Argumentū conciliati Numinis, & recepti in Deiparæ gratiā infelicis cruciarij (deſtinatione quidē ac ſententiâ) fuit reſtitutio faciei in locum ſuum momento facta,

Pœnitentia.

ac in omnium conſpectu: quo ſenſu & ſtupore id factum confertiſſimæ multitudinis, ipſiúſque imprimis damnati capitis, quâ in Dei bonitatem, in Deiparæ erga peccatores clementiam, laudum profuſione, pronius eſt cujuis æſtimare, & cogitatione comprehendere, quàm mihi ſcribere, noxæ à Deo & Deipara remiſſionem, faciei repoſitione teſtatam, excepit condonatio humana. Itaque reus dimiſſus eſt liber. Domum tamen, in qua iniquitas concepta erat, dirui placuit, & in ſacram Deiparæ ædiculam verti, cui *à Bona ſpe* nomen datum: quòd hominem, in ipſis mortis faucibus, bonis compleſſet, ſpe alijs quoque factâ miſerationis ac veniæ; ſi mens læva nō obrigeſcat, fuit valde miraculoſa. Th. Rein. de S. Bened.

Miſericordia.

DCCLXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE S. MICHAELEM.

Antuerpiæ in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Una it pura iræ magè munda ſole micat.*

1. Antiquitas veneranda.
2. Pietas Principum.
3. Concurſus quotidianus.

HÆc eſt illa perantiqua Eccleſia, quam *S. Amandus* Antuerpienſium proto Apoſtolus *S. Michaeli Archangelo* dedicavit *S. Eligius* concionibus ſuis illuſtravit, *S. Wilibrordus* à *Robingo* & *Bebelina* Marchionbus Antuerpiæ dono accepit, quam deniquè *Tanchelini* Iconoclaſtica hæreſis diripuit; quâ exactâ, ſanctiſſimæ Deiparæ eſt dedicata: licèt in hodiernum diem titulum *S. Michaëlis* apud populum habeat, qui ſecundus Eccleſiæ Patronus hódie eſt. Habet in hac elegantiſſima Eccleſia Beatiſſima Virgo altaria duo: unum *Gaudioſum*, alterum *Doloroſum*, quoduis Statuâ ſuo titulo conformi ornatiſſimum, ad quæ accurſus populi continuus eſt. Wickm. l. 4. c. 13.

Antiquitas.

DCCLXIX.

Imago B. V. Miraculoſa.

FULIENSIS.

Fulijs in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *It Virgo ſana & munda prima macula.*

1. Statua lacbrimans.
2. Fœminarum oratio.
3. Pax inter inimicos.

IN partibus *Toloſanis*, in oppido *Fulienſi* Cœnobium Ciſtercienſis Ordinis perantiquum eſt, in quo jam ultra hominum memoriam Statua Deiparæ fuit miraculis clara: unde à civibus accepit honores magnos, & beneficijs

acceptis debitos. Quia tamen Virgo adhuc majores poſtulabat, anno 1577. majore miraculo inclaruit, neſcio quid tricarum fuit oppidis duobus *Fulienſi* & *Paratenſi*, quæ in rixas evaſere & bella, ſi tamen bellum facere tantilla manus poteſt: belligerationem veriùs dixerim, aut rixam. Prodiere tamen utrique in campum, pro habitatorum numero multi, ordinarúntque in aciem non numeroſas legiones: demum dato ſigno expectabatur congreſſus militaris Quiritum, qui ſanguinem utrinque vel darent, vel ſpargerent, cum fœminis interea Fulienſibus, cum imbelli turba, coram Deiparæ Statua miraculoſa preces fundentibus domi, dum mariti funderent ſanguinem foris in campo. Valuere Fulienſium preces: nam Imago Deiparæ viſa eſt ex oculis fundere lacrymas, inutile prælium deteſtantes.

Subitò ſpes pacis concepta à præſentibus eſt. Itaque tumultuariâ ſupplicatione coactâ, ipſam Deiparæ lacrymantem Statuam ad locum pugnæ deportârunt, atque in medio utriuſque exercitûs jamjam congreſſuri decorè collocatam, Hymnis & precibus honorârunt. Res initio intempeſtiva ijs eſt viſa, qui ardore futuri prælij jam incaluerant. Cæpere tamen ſenſim, aliorum exemplo, reſpondere conſueto Eccleſiæ more Sacerdoti; dum pacis cogitationes per miraculoſas Statuæ lacrymas ſunt inſtillatæ cordibus inimicis. Tum enimverò & mitigata ſunt primùm odia: & nemine uno plura ſuadente, manus dedere victores victis, & hi illis. Hæc miraculoſa pacis fœdera lacrymis Deiparæ firmata, publico etiam plauſu excepta ſunt, & majores poſthac honores miraculoſæ Statuæ ab utraque urbe exhibiti. Ita Menolog. Ciſterc. 28. April.

Prælium.

DCCLXX.

Imago V. B. Miraculoſa. CLARIFONTIS. *Cortenacæ in Germania Inf.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Nivea alma Virgo ſpectata mirè munda.*

1. *Febris remedium.*
2. *Fons miraculoſus.*
3. *Eleemoſynæ liberales.*

IUxta pagum *Cortenacen* B. V. Icon eſt, ad quercum capſulâ decorè incluſa. Porrò ad radicem quercûs fons ſcaturit limpidiſſimus, qui etiam in torrentem excreſcit, & *Clarifontis* nomen propter aquæ claritatem jam dudum adeptus eſt. Huc nullo non die accurſus eorum eſt, qui febribus laborant: atque ut etiam cæteri hîc auxilium inveniant, febricitantibus tamen fons iſte videtur ſcaturire ſingulariter, qui omnes velut ſtatâ lege curantur, & ſani domum redeunt. Anno 1629. adhuc jacuit templum multis non integrè adhuc abſolutum;

quanquam non defuerit pecunia ab ijs huc allata, qui hinc ſanitatem & alias gratias abſtulerunt. Ità Deipara prius à nobis debet mercari gratijs pecuniam, è qua nos illi templa ædificemus. VVickmannus l. 2. cap. 4.

D. C. C. L. V. X. X I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE REMEDIIS.
Madriti in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Para mea gemma candoris aula enituit.*

1. *Remedium univerſale.*
2. *Miles pius.*
3. *Canes infernales.*

CElebérrima in urbe Madritenſi eſt Imago *B. V. de Remedijs*, quam RR. PP. SS. Trinitatis in templo ſuo colunt. *De Remedijs* titulum accepit: quia tradunt, nullum nec animæ nec corporis morbum eſſe, cui remedium hoc in loco inventum non ſit. Porrò Imago hæc mirabile conſecuta eſt iter, ut veniret Madritum. Romæ fuiſſe tradunt. An verò ibi facta ſit, vel illuc ex alia orbis parte allata? ignoratur: Romæ, inquam, in æſtimatione fuiſſe *S. Gregorio* Pontifici aiunt, qui eam in Angliam ad Neophytorum ſolatium miſit *Auguſtino*, qui fidem Chriſtianam intulit Inſulæ, ubi verò hæreſis Angliam ingreſſa eſt, & hæc quoque inter alia ſacra egreſſa regno eſt, & in Zelandiam delata ubi, vitatâ Charybdi, incidit in ſcyllam, nam nec ibi ſecura: etenim in illâ *Orangij* devaſtatione, quæ Zelandiam, & Hollandiam afflixit, ad civem hæc S. Imago devenit, quem auctor hoſpitem vocat: apud quem cùm *Ioannes de Origuela* miles Hiſpanus haberet hoſpitium, & aliquando ignē pellendo frigori poſtularet, inter ſarmenta hanc quoque Imaginem ancilla attulit, & in ignem conjecit.

Mediam omnino horam jacuiſſe in igne illæſam memorat auctor: cùm miles conſpectam Imaginem illico flammis exemit, pretioque hoſpiti ſoluto, ſuam fecit, per omnia illæſam, præter faciem, aliquantulum denigratam cum ſigno in ſiniſtra parte frontis, inſtar carneæ puſtulæ. Ioannes in Hiſpaniam redux, ubi *Concham* in patriam ſuam venit, eam RR. PP. SS. Trinitatis de mercede dono dedit. Commodùm tunc Madriti Monaſterium è fundamentis novum ædificabant. Itaque R. P. Provincialis juſſu Madritum delata, in novo templo ſedem, invenit quietam. Vix urbi importatus ſacer theſaurus ſpem incolis fecit cæleſtium gratiarum, maximè poſtquam duo Religioſi, qui eam huc deportârunt, pericula ſua denarravere, in quæ paucis ab urbe ſtadijs inciderant. Siquidem moloſſi duo inuſitatæ magnitudinis viros aggreſſi ſunt, ſed invocatâ Virgine repulſi.

S. Gregorius.

Miles.

Canes. Canes verò infernales fuiſſe, ſcintillantes obſcuro igne oculi prodiderunt, & fuga inſolita: ſiquidem ex oculis quamprimùm in aperto campo poſt invocatam Deiparam diſparuerunt. Unde verò à milite reſcitum ſit, Imaginem illam à *S. Gregorio Magno* ex urbe Romana miſſam fuiſſe in Angliam, licèt auctor non memoret: credi tamen poteſt è ſcriptura intelligi potuiſſe, quam à tergo incidere ſolebant antiqui imaginibus. F. Raymundus in deſcript. hujus Imagin. cap. 2.

DCCLXXII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE VULTURELLO, *Guadagnolij in Italia.*

Progr. AVE MARIA, gratia plena; Dominus tecum.

Anagr. *Una ſine macula iræ aptat Regi domum.*

1. Cervus mirabilis.
2. Imperator peregrinatione inſtituit.
3. Chriſtianorum Aſylum.

NOn repeto triſtiſſimam *S. Euſtachij* hiſtoriam, quam nuper fusè poſt alios deſcripſit libro integro *R. P. Athanaſius Kircher* anno 1665. Romæ edito. Non, inquam; memoro; quæ vir cælo charus terrâ marique tulerit: per quàm diverſos caſus ab omni antiquitate nunquam in dubium vocatos, uxorem & liberos amiſerit: per quàm raros & lætos eventus & uxorem & liberos iterum receperit: quibus meritis ad veterem fortunam, divitias, & honores redierit: quàm novo denique tormento ex æreo bove cum uxore & liberis ad cælum evolârit. Ille locus ad rem meam eſt, in S. Euſtachius. quo Euſtachius ad fidem Chriſtianam ab ipſo Servatore Chriſto converſus eſt.

Tiber inter & *Præneſte* exiguas urbeculas prope pagum *Guadagnolium* exigua planities, undique præcipitio munita templo Virginis ab æterno deſtinatâ viſitur, hodiéque ſtat eo prorſus loco, in quo ſtans *Euſtachius* cervum in proxima rupe conſpexit, cui inter cornua fronti ſupremæ inhærens Crucifixus Euſtachium allocutus eſt, ſiquidem paucis paſſibus abhinc, id eſt, templo Virginis, ſeu Euſtachij ſtatione, rupes illa diſtat centum palmos alta, quam auctor propter ſimilitudinē vocat *Artocream*, quámque populus Tridentinus *Verrucam* ob ſui montis ſimilitudinem appellaret. In hac rupe cervus inuſitatæ magnitudinis ſe viſendum venatori Euſtachio præbuit, Chriſtum intra cornua Crucifixum exhibens etiam loquentem, & *Euſtachio* (tunc *Placido*) omnia dura cum ipſo Placidus. Martyrio prædicentem. Hic, hic ille locus eſt, in quo ipſe Servator Chriſtus Placidum ad fidem Chriſtianam convertit, quem primi Chriſtiani æde Virgini ædificatâ honorârunt. Porrò ex ea rupis parte, quæ templum Virginis reſpicit, ingens fiſſura cernitur,

quam nonnulli ortam credunt Chriſti patientis tempore tanquam naturæ condolentis ſignum, quo petræ fiſſæ ſunt, firmatque traditione immemorabili. Hæc fiſſura hominem juſtæ proportionis admittit, & per tres gradus in cryptam deducit longam viginti palmos, latam quindecim, & commodè altam. In medio hujus cryptæ lapidea menſa altaris inſtar conſtructa cernitur, in qua in hunc uſque diem Deiparæ Imago cernitur.

Crypta.

Magna ſemper in veneratione habitum fuiſſe hunc locũ conſtat, ſiquidem à Martyrio S. Euſtachij, quod anno Chriſti 120. ſub Adriano contigit uſque ad Conſtantini Magni Imperium, quod teſte Baronio, anno Chriſti 306. auſpicatus eſt, intervallo centum octoginta ſex annorum locus hic pro Aſylo Chriſtianis fuit contra Tyrannos, poſtquam verò idem Conſtantinus Magnus anno Imperij ſui decimo nono ad fidem Chriſti, operâ S. Silveſtri Pontificis converſus Baptiſmum ſuſcepit, & ſacris fabricis animum adjecit, etiam hoc templum ædificavit. Siquidem auditâ mirabili hiſtoriâ S. Euſtachij, quæ centum octoginta ſex abhinc annis contigerat, locum ipſe inviſit, & templo, quod etiamnũ ſtat, initium dedit: quod deinde S. Silveſter in Deiparæ honorem ita conſecravit, ut S. quoque Euſtachius eo loco ad latus Sacellum ſibi peculiariter dedicatum haberet, eo prorſus veſtigio, in quo conſiſtens cervum vidit, & Chriſtum Crucifixum ſibi loquentem audivit. Porrò quia rupes illa olim vocabatur *Vultilla*, hodie corruptâ voce *Vulturella*, ideo majores etiam templum Deiparæ de vultilla, ſeu de Vulturella appellabant, unde verò denominationem majores acceperint, infra dicam. Lapſu temporum *S. Benedictus*, deſerta inquirens loca, divino ductu in hunc devenit divæ Virgini atque Euſtachio jam à temporibus antiquis ſacrum, & à temporibus *Conſtantini* templo Deiparæ celebrem eúmque habitatione ſua S. Benedictus fecit celebriorem, ſed quia certis anni temporibus, affluxus peregrinorum ad hoc templum Deiparæ, non parùm Divo Benedicto quietem interturbavit, in proximum montem Sublacenſem conceſſit: ubi fundamenta ſui Ordinis, quæ hic hauſit, vel ipſo *S. Euſtachio* juvante jecit, & ex hæreditarijs *S. Euſtachij* prædijs Monaſteria ædificavit, inter quæ illud non poſtremum eſt, quod ad montem Vulturellum ſtruxit, quódque octingentis circiter annis proprium Ordini S. Benedicti fuit: cujus Eccleſia hodiedum extat longa palmos quadraginta octo, lata palmos ſexaginta, in Altari etiamnum extat Statua Deiparæ lignea JESUM brachio tenentis, ſex palmos alta, quæ uti vetuſtate ſuâ veneranda eſt; ita mirum in modum advenarum animos ad devotionem excitat. Utque non omittam tituli notionem, quam ſupra promiſi, ſciat lector, ex perantiquo libro haberi, inde templo illi quod in veſtigio *Euſtachij* Deiparæ dedicatum ſtat,

Conſtantinus.

S. Benedictus.

Titulus.

no-

nomen *Vultilla* inditum, quód, cùm de conſtruenda Deiparæ hac æde in hoc loco itum eſſet in conſilium, Deipara *S. Silveſtro* Pontifici in ſomno apparuerit, dixeritq; eo in loco ſe templum velle, in quo *Euſtachius* filium ſuum loquentem audiſſet. Unde *S. Silveſter* divino monitus oraculo ad rupem Euſtachianam, ut id conſtrueret, Conſtantino ſuaſit. Verùm cùm loci anguſtiam Architecti objicerent, ſanctum Pontificem reſpondiſſe: *ædificetur, ubi vult illa*, ſcilicet Deipara. Hæc Auctor: qui tamen ſuum judicium ſuſpendit. Locum hunc Deiparæ miraculoſum fuiſſe, inde conſtat, quòd quemadmodum hodie B. Virgo Lauretana à confluentibus ex omni orbe advenis & peregrinis viſitari ſolet, ita quoque ante ſacroſanctæ domûs miraculoſam ex Judæa translationem hoc Deiparæ templum de vultilla (hodie de vulturello) nulli loco ſacro ceſſerit multitudine peregrinorum: uſque dum vel ob diſceſſum Monachorum in vicinia habitantium, vel ob adventum domûs Sanctæ paulatim celebritatem ſuam perdidit: quam hodie iterum excitare conatur miſſio annua, quam PP. Soc. JESU inſtituunt, & affluentibus magno numero peregrinis SS. Sacramenta pœnitentiæ & Euchariſtiæ adminiſtrant. Hinc ſua loco celebritas iterum accedit, & in annos ſingulos creſcit. Ita R. P. Athanaſius Kircher, in Hiſtoria S. Euſtachij.

Laure-tan.

D C C L X X I I.

Imago B. V. Miraculoſa. DE REMEDIIS. *Ribeiræ in Luſitania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Ea cultrum pomi amanda regina euaſit.*

1. Fæmina muta.
2. B. V. apparet.
3. Petit ſibi templum.

INter miracula mundi octavum cenſeri poteſt fœmina muta, ad hanc perfectionem raró natura fœminam efformat. Et ſi quæ talis eſt, digna eſt, cui B. V. appareat. Prope Brigantiam Beatiſſima Virgo de *Ribeira* colitur: nam vix duabus leucis ab ea diſtat. S. ſtatua *de remedijs* nomen habet. Templum amplum eſt & magnificum, ſolis peregrinorum largiſſimis largitionibus extructum? Tanta loci fama fuit. Originem accipe, lector, tanti concurſûs, tantorúmque miraculorum à fœmina magni domini ancilla: & ut fidem faciliùs aſſerenti habeas; à fœmina muta, in qua frons, oculi, vultus, mentiri poterant, non lingua. Hæc quia muta, magnum ad virtutem compendium habuit: quin dico bona fuit vel ipsâ Deiparâ id aſſerente, illi namque dignata eſt ſe ſpectabilem

inveni, ſacræ certè Statuæ piorum ære Sacellum erectum eſt, tam parvum; ut propter populi concurſum foris altaria erigenda eſſent, quapropter anno 1601. quarto Junij, fundus emptus eſt amplior, & trigeſimo Auguſti, fundamentali lapide ad Eccleſiæ ritum poſito, anno ſequenti, vigeſimo Septembris fuit finitum, ſupplicationem habet annuam ſolennem Feſto *Viſit. B. V.*, quo Mariana ſodalitas S. Statuam decorâ pompâ per urbis quædam compita circumfert. Sabbatinis diebus nec omnes, qui volunt, Sacerdotes miſſam dicere poſſunt, nec omnes è populo intrare templum. Wickman. lib. 2. Proceſſio.

DCCLXXV.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE PESTE.
Paduæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *En emicat ſol Virginum, amata pura Dea.*

1. B. V. loquitur nobili.
2. Remedium peſtis.
3. Proceſſio fructuoſa.

Contempta hæc Deiparæ Statua, vel certè neglecta jacebat in angulo palatij, quod habebat *Aloyſius Georgius*, qui anno 1570. urbi Paduanæ cum titulo Gubernatoris præerat, tempore ſi unquam iniquiſſimo: ſiquidem totum ſtatum Venetum & Paduam præcipuè peſtis graviſſima affligebat; quam nec Medicorum artes mitigare, neque etiam ſacra remedia pellere poterant; dum ipſa Deipara nocte unâ, duobus apparens remedium malo dedit. Fuit eorum unus ipſe Gubernator *Aloyſius*, cui disertè Deipara affirmavit, finem tanti mali fore tunc, quando cum debita pompa illaturus eſſet ipſe templo Carmelitarum Statuam, quam tamdiu in palatio ſuo neglectam tenuerat. Homini ſæculari *Aloyſio* facilè viſum non eſt, perſuadere ſacris profaniſque Magiſtratibus, ſibi præ omnibus revelata Virginis promiſſa. Apparitio.

Quid ſi peractâ omni pompâ non ſequatur promiſſa urbi ſalus? quàm ſæpe decepiſſent alios ejuſmodi Prophetæ, innocenter & ipſi decepti: Ita anxio ſupervenit RR. PP. Carmelitarum Provincialis, rem inſolitam narraturus, & quæ ditionem omnem Venetam concerneret. Hac præfatione per ſervulum nunciatâ, admiſſus narrat, ſibi Virginem apparuiſſe, optâſſeque, ut Statuam quampiam hoc in palatio ſine honore debito latentem, & tantùm non abiectam, quâ poſſet pompâ, templo ſuo inſerret: laboris mercedem fore urbis, & totius Venetæ ditionis ſanitatem, fugatâ lue peſtifera, quæ nullo alio medio abigi poſſet; nec ſe de veritate revelationis dubitare, ſe fraudis eſſe ſecurum, quapropter aliud non ſupereſſe, quàm, ad porrigendam Apparitio.

populo tantam lætitiam ut ocyùs Statuam quæreret, pompámque ſuâ auctoritate cogeret, ſuâ præſentiâ augeret. Non injucunda fuit Prætori hæc eorum narratio, quæ ſibi quoque viſa confirmabat. Quapropter admonitis quorum intererat utriſque Magiſtratibus, omnes cum populo faventes habuit.

Proceſſio. Ita inſigni pompâ Statua per urbem ducta eſt, & templo à Virgine deſignato illata, vix pedem templo intulit Statua, cùm exceſſe juſſa eſt peſtis urbe, & omni Venetâ ditione. Quam hiſtoriam ne poſteri ignorarent, majores marmori ſcitè inſculptam, inſeruere templi, miraculis quoque alijs Statua hæc illuſtris eſſe cæpit, quæ narrat Hieraſcus in vita R. P. Siluij Generalis Carmel.

DCCLXXVI.

Imago B. V. Miraculoſa.

SCHARDENSIS.

Schardæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Amanda mea Virgo ea puritatis culmen.*

1. Arbores loco candelabrorum.

2. Lumen dubitantibus dat cælum.

3. Statua inter hæreticos ſecura.

HÆc lignea Deiparæ Statua cum ſuo templo ad radicem montis jam dudum honorata, indultis Pontificijs & peregrinationibus honorata, imò & miraculoſa fuit. Hujus autem, de quo loquor, vetuſti, & jam jam caſuri templi originem nemo poſteris ſcripto nunciavit. Adfuiſſe divitias, arguit nova fabrica: nam templi Curatores unà cum architectis viderunt refici ampliùs non poſſe feſſos ſenio muros, & nimùm quantùm capulares. Novum à fundamento cogitare auſi ſunt templum: pecunia, inquit, præſens in magnam fabricam ſufficit; utique poſtquam Virgo beneficia ſua miraculoſa lárgiri non deſinet. At verò, cùm de loco mentio eſt injecta, ſciſſum eſt in diverſa ſtudia pium piorum conſilium, eorum enim pars una collem, & in colle viam regiam extollebat laudibus, & affluxum peregrinorum longè majorem augurabantur ex ipſo loci ſitu.

Diſcordia.

Pars altera, cui plus inerat peritiæ cæleſtis, noluit fundum deſerere antiquum. Locum, inquiunt, mutamus, & cum loco gratias cæleſtes, quas Deipara loco conferre ſolet. Eſto, quòd Cælites quovis in loco invocati nobis auxiliari poſſint; nolle tamen illos, quàm ſæpe probavit experientia? Sed nec in novi templi conſenſum trahere nos poſſent, quas ante attuliſtis, rationes; ſi antiquum ſtare poſſet. Ita re infectâ diſceſſum eſt: ſed litem diremit ipſa Deipara, quæ ſupra collem apparere fecit lumina quatuor, arboribus

Deliberatio.

ribus innixa velut candelabris; ſive ſpacium futuræ fabricæ areámque deſignârint, ſive quid aliud portenderint. Certè lumen dedere dubitantibus: quia in eorum ſententiam iviſſe Virgo viſa eſt, qui montem *Schardenſem* lelegerunt, ſeu collem, de quo antè dixi.

Porrò hæc lumina non omni populo ſed (ut verbo S. Petri utar) teſtibus præordinatis apparuere, qui præſtito juramento fidem invenere apud fundi Dominum, nec difficiles ſe præbuere, qui vallem colli præferebant, quis enim obſiſtat, ſi Virgo miracula promittit, nunciátque per miraculum, ſe fore in monte propitiam, quando alia aliud ſentiendi cauſa non fuit, quàm metus, ne Virgini fortè diſpliceat novum opus? Itaque datum novo templo initium eo loco, quem lumina deſignârunt, ipſo fundi Domino *Comite de Schaumburg* opus urgente, Statua quoque cum pompa in nova ſede collocata. Sed quia viri pij filius impius, & familiæ antiquiſſimæ ultimus hæreticâ labe infectus, quidquid ſacrum Toparchia habuit, è finibus ſuis ejecit, ſtetit tantiſper fabrica, ſi ornatum ſpectes, imperfecta, & unà cùm fabrica publica ſubditorum pietas. Venere tamen ex ipſa Boëmia magno numero peregrini, qui templo novo famam antiquam conſervârunt, adeò verum eſt tritum illud. *Proximus Eccleſia ſemper vult ultimus eſſe*, ſic incolæ habuerunt, quod ab accolis diſcerent, nec gratis advenerunt Boëmi: nam optatam ſanitatem, aliáque miraculoſa beneficia per medios hæreticos domum tulere.

Iuramentum. Peregrini.

Hoc mihi præ omnibus ſingulare videtur, quòd huic S. Imagini integritas ſua ſteterit, & honor; cum tamen omnia per templum altaria hoc ſolo excepto ſint ejecta, & pluribus annis, Lutherani primum, dein Calviniſtæ, demum Flaviani hæretici omnes Iconomachi, è pulpito dixerint in hoc templo. Quid quòd ipſimet hæretici antiquo nomine *pulchram Mariam* appellârunt; Quod faciem Virginis uti & IESULI nulla muſca, nullæ ſordes infecerint. Integro ferè ſæculo hæc fiebant: dum an. 1632. *Ferdinandus II.* Imperator victorioſus fidem Orthodoxam reduxit. Tum enimverò etiam S. Statua reverentiùs habita, & novo altari incluſa eſt. Iterum quoque ab accolis peregrinationes reſumptæ pietatem antiquam reſtituerunt, quin & auxerunt. Hæc ex Relatione impreſſa à Reverendo Domino Conrado Mutſclero Sacroſanctæ Theologiæ Candidato & loci Parocho.

Titulus.

DCCLXXVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE PORTELLO.
Portelli in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *En pura ac mira Deum jam geſtat in aluo.*

1. Patris durities in filium.
2. Vocatio ad religionem.
3. Mula cæca dirimit litem.

IN finibus *Portelli*, quæ Catalauniæ Toparchia eſt, *S. Nicolaus* Mirenſis Epiſcopus Sacellum habet in quo Deiparæ Imago miraculoſa ab antiquo colitur. Originem non habeo dicere tantæ devotionis, ſed incrementum. *S. Raymundus Nonnatus* ideo hoc cognomine inſignitus quia præter communem naturæ legem, è mortuæ matris diſſecto latere in lucem eductus fuit, jubente Patre à Studijs abſtractus, & vitam ruri agens, Sacellum hoc *S. Nicolai* crebò adibat; ut ſacram Deiparæ Imaginem, quæ in eo ſummâ fidelium veneratione etiam nunc colitur, viſitaret. Ibi effuſus in preces ipſam Dei parentem, ut ſe in filium adoptaret, viámque ſalutis, ac ſcientiam Sanctorum edocere dignaretur, enixè deprecabatur.

Nec defuit votis ejus benigniſſima Virgo. Ab ipſa enim intellexit, gratiſſimum ſibi fore, ſi Religionem ſub titulo *de Mercede* ſeu *Miſericordia Redemptionis captivorum*, eâ ſuggerente nuper fundatam, ingrederetur. Quâ monitione perceptâ, Barcinonam ſtatim profectus, illud tam præcellentis erga proximum Charitatis inſtitutum amplexus eſt. Regulari igitur militiæ adſcriptus, virginitatem, quam pridem B. Virgini conſecraverat, perpetuò coluit, cæteríſque virtutibus enituit, Charitate præſertim erga Chriſtianos, qui ſub poteſtate Paganorum miſeram in captivitate vitam degebant. Hos ut redimeret, in Africam miſſus, cùm jam multos à ſervitute liberâſſet, ne conſumptâ pecuniâ alijs item in proximo abnegandæ fidei diſcrimine conſtitutis deeſſet, ſeipſum pignori dedit. Sed cùm ardentiſſimo ſalutis animarũ deſiderio ſuccenſus plures Machometanos ſuis concionibus ad Chriſtum converteret, in arctam cuſtodiam à Barbaris conjectus, varijſq; ſupplicijs cruciatus, etiã labijs perforatis, & ſerâ ferreâ clauſis, crudele & novum Martyrium diu ſuſtinuit. Liberatus à Mauris, ob tanta in Eccleſiam merita à *Gregorio IX.* ſummo Pontifice in Cardinalium Collegium eſt adlectus, nullâ obſervantiæ Religioſæ & Monaſticæ virtutis mutatione.

Romam vocatus itineri ſe dedit: ſed Deipara fidelem ſervum ad Cælum vocavit: námque in via ægrotare cæpit, & paulò pòſt Chriſtiano ritu paratus, vivere deſijt. Mortui corpus, cùm circa locum ſepulturæ contentio

Religio.

Labia.

tio orta eſſet, arcæ incluſum, & mulæ cæcæ impoſitum, ad ſacellum *S. Nicolai* Dei nutu delatum fuit: ut ibi tumularetur, ubi prima jecerat ſanctioris vitæ fundamenta. Ita præſentia ſuarum ſacrarum reliquiarum quãplurimùm S. Imaginis cultum auxit, nemine non Virginis admirabilem providentiam admirante, & venerante. Quod Ordinis Monaſterium ibidem conſtructum ſit, Nonnati labor fuit, S.Nonnatus. ni fallor, primus in Cælo; ut haberet Virgo, à quibus S. Imaginis cultus porrò promoveretur, ſed & Virgo glorificantes ſe glorificat, certè à confluentibus voti causâ ex univerſa Catalaunia fidelibus populis honoratur. Non tantùm Virgo, ſed etiam ipſe *S. Raymundus*, Cælo priùs quàm terræ natus: quem Deipara variis miraculis & ſignis glorioſum facit. Ex lect. ſecundi Nocturni.

DCCLXXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa DE IUNIPERO.
Fornolæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Agna mera munda erat Capitolium JESU.*

1. Translatio Angelorum.
2. Campanæ ſponte ſonant.
3. Ruina innoxia.

F*Arnoles* vicus eſt obſcurus, nec niſi ab Imagine B. Virginis notus: diſtat hic locus à villâ *de Alcanite* mediâ leucâ, ſpecioſiſſima imago eſt: ſextam partem unius ulnæ non excedit: ſedet in tabernaculo, quod ſacratiſſimæ paſſionis ſigna quædam ornant: brachio ſiniſtro puerum JESUM geſtat. Pastor. Hanc Deiparæ Imaginem paſtor invenit infra Juniperum, inventámque ſacculo incluſit, ſed ubi eam domeſticis poſt longam denarrationem monſtrare voluit, non ampliùs reperit. Altero tamen manè, ubi ad Juniperum rediit, rediiſſe quoque ad Juniperum vidit Virginem Deiparam. Itaq; iterum acceptam iterum ſacculo imponit: & ne abiret ut priùs, vinculis ſolicitè conſtringit, ſed nec iſtâ prudentiâ puer ſtatuam ſibi retinere potuit. Iterum ad Juniperum, reverſa ſtatua ſatis oſtendit, quid vellet. Moniti Clerici Farnoleſii, S. ſtatuam inſtitutâ ſupplicatione in templum deportârunt, & altari tantiſper decorè impoſuerunt; dum templum ad Juniperi radices ædificaretur: quod & factum. Miracula ſecuta ſunt plurima, unum præ cæteris celebre eſt. *Petrus Baiot* ruinâ fornacis calcinariæ tantùm non ſepultus Deiparam de Junipero invocauit, obtinuítque, ut campanæ ſpontaneo pulſu accolas monerent, aliquid inſolitum contigiſſe. Calx. Ubi fornacis ruina accurrentibus in conſpectum venit, ſubiit divino inſtinctu animum cogitatio Pe-

LIIII 3 trum,

trum, quem omnes noverant, hîc utique inter ruinas latere, vel vivum, vel mortuum. Eruderantur: congeſti in cumulum lapides, & Petri vox primùm auditur, tum etiam ipſe Petrus velut è ſepulchro prodit, veſtibus miſerum in modum diſciſſis, ſalvus tamen ipſe & ſanus, & Deiparæ, cui ſe commendârat, vitæ gratiam adſcribens. Vincentius Blaſcus de Lanuza tomo 7. lib. 5. capite 19.

DCCLXXIX.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE VICTORIA.
Silvanecti in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. ***Et pura mali, ea ſancta, iò mundum regit.***

1. ***Pugna Regum.***
2. ***Pugna militum.***
3. ***Qui Cœnobium vovet vincit.***

SIlvanectenſis Deiparæ templum unà cum Cœnobio inſignem & miraculoſam habuit originem. Anno 1213. *Philippus* Galliarum Rex, commiſſo cum Ottone Imperatore prælio, ut eſt eventus belli varius, jam victoriam deſperaverat, nec multùm aberat à fuga totus Gallorum exercitus; quin ipſe quoque Rex jam non pro victoria, ſed pro vita pugnabat, ut olim Rex Macedonum Alexander M. ſed periculo exemptus eſt à Deipara, cui ſe non longâ oratione commendavit: quâ finitâ, fugato Ottone, ex jam victo victor evaſit. Orationis ſumma fuit votum, quo ſe obſtrinxit, magnifico templo, & ei adjuncto Cœnobio, teſtaturus poſteris, victoriam non à ſe, ſed à Deipara, & quidem miraculosè obtentam. Et verò etiam præſtitit, quod promiſit. Populus etiam præter hoc publicum privata beneficia ambivit, & obtinuit, neque hodie ceſſat populi pietas, quæ tanta eſt, ut eam ſingularibus modis deprædicet Nicolaus Ægidius in Annal. Franc. in R. Philippo. Pretium.

DCCLXXX.

Imago B. V. Miraculoſa.
A DALACHA.
Catanæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. ***Eſt arca Evangelij immota, pura, munda.***

1. ***Mirabilis Tranſlatio.***
2. ***Mirabile ſponſalitium.***
3. ***Mirabilis Captivi liberatio.***

SAcellum Deiparæ perantiquum fuit in urbe Catanenſi, obſcuram eius originem ignorâ-

runt

runt omnes: nec quidquam fuit, quod locum commendaret; quando nec tantarum opum fu- it, ut ædituum alere poſſet, qui loci ſacri curam haberet. Vidua fuit, quæ gratis hoc obſequium præſtitit, conſenſu Reverendiſſi- morum Canonicorum ad hoc requiſito, & obtento. Cæterùm quando hæc Deiparæ Imago ad tanti nominis ſplendorem ſit e- Captivitas. vecta, dicam. Vidua, cui *Beni- gna* nomen, filium habuit, & fi- liam; hæc duodennis unicum afflictæ matris ſolatium fuit: nam filius bello captus ad Tur- cas abductus eſt. Vidua hec cùm veſpere quodam accenderet in templo lampadem, ante Virgi- nis iconem totâ nocte arſuram, ſenſu pietatis extraordinario paupertatem ſuam gratuito hoc labore ſolata; utique, inquit, Deiparæ beneficio, priusquam moriar, videbo filium meum ſal vum & incolumen. Hoc dicto, templum clauſit, & domum ab- ijt, oſtiúmque domus obſerauit. Sed fuit, qui repetito pulſu fæ- minam redire fecit, & aperire o- ſtium, ſtupe, lector, fæminæ in- auditum ſtuporem. Turca præ foribus ſtetit, veſtitu ſuperbo, dextrâ poculum, ſiniſtrâ urce- um tenens, velut fæminæ propi- naturus. Illa horrore correpta, jamque oſtium clauſura, inhibe- tur ab advena, qui in hæc verba, & ipſe ſtupens, fæminam allo- cutus eſt: Translatio. *Mater! jam jam ante menſam Domini mei* (Baſſæ) *Con- ſtantinopoli ſtabam, hoc, quod vides, poculum porrecturus: & ecce! me hîc video. Tuis utique precibus huc de- latus ſum, tuis precibus hîc me ſiſtò*, ſimul ad pedes matris abjectus, ſuis lacrymis provocaſſet mater- nas; niſi eas jam profluxuras mentis inſolitus ſtupor inhibuiſ- ſet, ſibi interea mater reddita; *non meâ mi gnate, ſed Deiparæ gratiâ hîc es: Illa te ſuſtulit, illa te tran- ſtulit; ubi, ubi terrarum fuiſti, & ante meos oculos ſtitit; ſi tamen tu es: nam oculis meis nec dum credo; ſi verò tu es, ut ſuſpicor; nam affectum matris ſentio, ſine, eamus, & benefa- ctrici gratias agamus.* Simul eum ad templum deduxit, unà cum munere pretioſo; nam quid me- lius mulier de paupertinà tribu haberet, quàm & urceum iſtum & poculum, quod filius attule- rat? Hæc illa inter templi cime- lia repoſuit, extántque adhuc, ſed in thuribuli formam, quan- tùm per artem licuit, mutata. Miraculum hoc latè ſparſum, loco tamen non attulit divitias: ut ex ſequenti miraculo videre eſt. Detinebatur Panormi à Fi- Captivitas. ſco vir quidam opulentus carce- ri incluſus, ideo criminis capi- talis reus, quia ſeipſum reum fe- cit inter tormenta faſſus, feciſſe ſe, quæ nunquam cogitavit. Hoc viſco à *Fiſco* deprehenſus eſt, jam jam morti adjudicandus. Ille conſilij inops, votum Deiparæ *de Dalacha*, fecit, ſi vitam Virgo innocenti ſervaret, in eius hono- rem ducturum ſe in uxorem Vir- ginem pauperem ſine dote, pla- cuit Virgini votum raritate ſuâ. Vix ille orationi finem ſuſpirio dedit; cùm vir equeſtris ex aulâ adeſt, qui ſua merita recenſuit; ob quæ obtinuiſſet à Prorege,

capti-

cur vos huc advocârim, altiùs res omnis repetenda eſt, votum feci Deiparæ *de Dalacha* in carcere, ut audiſtis: & voti hujus materiam, ubi audieritis, aut fallor, aut Statuam hanc Deiparæ plus coletis, ô cives! vovi itaque in honorem Virginis Virginem ducere pauperem ſine dote, voti reum me fecit Deipara; quia vitam ſervavit, & libertatem dedit: quin, ut videtis, Virginem pauperem eo loco mihi repræſentat, in quo gratiam accepi. Itaque niſi tu abnuas, ô bona puella, in horum teſtium præſentia te mihi deſpondeo: ut virtutes tuæ charam te mihi acceptámque facturæ ſint, plùs tamen mihi amaberis, quia te Deiparæ gratam acceptámque video.

Puella ad Deiparam, cui ſerviebat, converſa, modeſtè ſponſo annuit. Cives ipſi præſentes in lætitiam effuſi, lætiſſimo eventu, & fabulis ſimillimo totam Catanam impleverunt. Ne autem lector putet, fabulam me ſcripſiſſe: ſciat, me nihil ſcribere, niſi citatis idoneis teſtibus, & probis auctoribus. Hanc cuicunque chorago pretioſam hiſtoriam accepi, nullâ circumſtantiâ vel mutatâ, vel additâ, ex opuſculo poſthumo de B. Virgine *R. P. Octavij Cajetani Soc. IESU*, Siculi impreſſo Panormi, & ad me Romam miſſo, ab ipſo auctore in quo ait, hæc omnia Anno 1500. contigiſſe, & ritè examinata, & approbata ab Epiſcopo, etiamnum in templi muro picta extare. Felicitas.

DCCLXXXI.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE CONSOLATIONE.
Baleræ in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Eva munda mali magnes vita rapit cor.*

1. Statua ingentis ponderis.
2. Miraculoſa fortitudo.
3. Pulſa peſtis.

B*Alera* Narbonenſis Galliæ non ignobilis urbs eſt, in hac civis honeſtorum natalium circa annum 1599. cùm eſſet ſingulari in Deiparam affectu, Eremum conſtruxit media ab urbe leucâ, loco ita amæno; ut ſuo merito, & ſitu, etiamſi cætera abeſſent, nomen *à Conſolatione* haberet. Hic loci vita Eremitica viginti quinque annis ſtetit inter paucos, qui uni Deiparæ unicè ſervirent. Epiſcopus Baterenſis favit inſtituto, & *Minimos* vocavit, juſſitque ſedes, ubi poſſent, plures quærere. Hoc tamen in loco ad B. Virginem *de Conſolatione*, velut arcem totius Ordinis, Principem voluit eſſe. Illi ante omnia antiquam Deiparæ, & levis penicilli Imaginē commutârunt cū marmorea Statua ingentis artificij & ponderis; ut quæ duodecim librarū centenarios æquaret. Contigit ut templum conciperet flammā, nemine uno invento, qui Eremus.

hominem nominaret, cujus vel incuriâ, vel injuriâ ſit accenſa. Ardebant omnia: & licèt Statua Deiparæ multorum votis incendio deberet eripi; nemo tamen fuit, qui modum ſciret vel machinas admovendi, levando tanto ponderi neceſſarias, nedum quomodo ſecurè in terram uſque deponenda & cylindris ſubjectis promovenda per templum. Dum hi deſiderant, illi optant, omnes volunt ſalvam Statuam, nemo manum apponit; dum unus eorum indutus virtute ex alto, Virginis, non ſuis fretus viribus, Statuam rapit, ex altari, & templo ſolus effert, ac flammis ſubducit, non uno miraculo: quando plurimorum virorum juſtum pondus in hoc æſtu ſolus portavit.

Incendium.

Sed templum è favillis & cineribus ſuis paulò pòſt ſurrexit Auguſtius, cui S. Statua importata, & in Principe altari collocata: miraculi fama accivit populos. Secuta ſunt alia quoque miracula, quæ utique jam typis edita ſunt; cùm, qui hæc ad me perſcripſit, propediem edenda ſignificaverit, quædam ad me pervenere. Nobilis Dominæ filiolus facie in humerum verſa prodijt in lucem, nullâ Medicorum arte curabilis. Hunc voto facto Deipara curavit, & os puero ſublime dedit cælúmque tueri. *Iacobus Lautbier* mercator Marinus, poſtquam partem quartam lucri Deiparæ dicavit, maris ventorúmque, & his peiora piratarum, pericula illæſus ſemper tranſijt, & ad magnas divitias pervenit, hæc & ſimilia dedere augmentum pietati, peſtis tamen, quæ anno 1652. omnem latè viciniam vaſtavit, locum fecit adhuc celebriorem.

Templum.

Neminem eorum, qui Deiparam *de Conſolatione* inviſit, peſtifera lues abſumpſit, quantumvis plurimi eâ infecti ſe populo miſcuerint. Duæ familiæ quæ hanc templi viſitationem metu luis incurrendæ intermiſerunt, peſte correptæ ſunt, & abſumptæ; licèt ſanitati tuendæ omnem curam & diligentiam adhibuerint. Capitulum Ordinis decrevit, ut in hoc Conventu quotidie in Choro poſt Litanias Deiparæ in perpetuum caneretur Antiphona illa: Stella Cæli extirpavit, &c. Hæc ad me R. P. Benedictus Bonnefoij Soc. IESU.

Peſtis.

DCCLXXXII.

Imago V. B. Miraculoſa. DE REMEDIIS. *Rodæ in Hiſpania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Una gemma ſanè pura, cordium lætitia.*

1. Statua loquens.
2. Fons miraculoſus.
3. Translatio Statuæ.

HÆc ſacra juſtæ magnitudinis Statua, unde, & à quo allata ſit, quis dicat? Paſtoris mercenarius plus quadrante horario ab ædibus pecora in campo pavit. Is quia ſub

veſperum redux, atque aquæ oblitus, quam è flumine tantundem à paſcuis diſtante afferre ſimul debebat, remiſſus ab hero eſt, ille per notiſſima ſibi paſcua pergit,& ad conſpectum luminis in medio campo ſtupet primùm, tum factus animoſior propiúſque accedens, Matronam offendit, quæ interrogavit hominem, quo ſub noctem ita properaret: Ille, aquam inquit, afferam ad herum. Itaque reponit illa, ſi aquam petis, parce pedibus, nam hic fontem habes. Paſtor, actis gratijs, vas aquâ implevit, cujus fontem nemo unus unquam obſervavit, cúmque opinione hominum citiùs rediret, creditum eſt, tenebris territum ad fluvium non perveniſſe tum ille, ad fluvium, inquit, non perveni: aquam tamen apporto è fonte limpidiſſimo. Jocari creditus eſt, dum ille & Matronam ſibi obviã, & fontis ſcaturiginem narravit, & aquam menſæ impoſuit. Sed herus quem fontem inquit in hoc deſerto mihi dicis? quiſve errantem Matronam caſus huc duxit? Res digna, quam hodie adhuc videam, ſinite, abeo: duc puer, ventum ad locum eſt limpidiſſimæ ſcaturiginis; & Matrona quoque in loco, ut puer dixerat, eſt inventa, quam honorificâ ſalutatione allocutus paſtor, miratus eſt fæminæ modeſtiam, quæ virum reſponſo non dignaretur, at vero ubi bis térve eadem repetijt, vidítque non tantùm non loqui, ſed nec moveri perſonam; tactu, ſed modeſto, experiri auſus eſt, quid hominis eſſet, cum quo loqueretur.

Paſtor.

Et ecce ligneam eſſe Deiparæ Statuam deprehendit juſtæ ſtaturæ, quam nemo hominum in hoc ſpacioſum deſertum, ſe inſcio, deferre poterat, ſed nec de aqua dubitavit, nunc primùm eam miraculosè erupiſſe: quomodo enim tot annis hic fons antè non obſervatus oculos paſtorum latuiſſet? Adhuc illâ nocte ad urbem *Roden* iter inſtituit, & manè Sacerdoti ſibi familiari retulit, quæ vidiſſet, traxit ſecum Sacerdos plures, Statuam & fontem viſuros, viderunt, & Parochum fecere miraculi duplicis certiorem. Is, coacto in ſupplicationem populo, S. Statuam in Sacello quopiam extra urbis mænia collocavit, ſed morem quoque ſuum Deipara obſervavit, & alterâ die Statuam eſſe fecit, ubi pridie fuerat inventa, quin & Parochus quoque cum populo morem eorum obſervavit, qui hæc miracula bis térve probant priuſquam approbant, & bis térve in Sacellum reportavit. Tandem Epiſcopi curâ Sacellum in loco ad fontem extructum eſt, & 24. Martij anno 1482. Deiparæ dicatum.

Appatitio.

Per varios caſus ad RR. PP. de mercede, quos Trinitarios appellant, devenit. Anno 1558. 9. Aug. miracula facta ſunt quamprimum plurima, S. Statua ab inſano percuſſa, loco vulneris cicatricem duxit, reſtinctum incendium eſt fruſtulo pallij, quo injecto Statua veſtiebatur. Lepra quadraginta annorum potu aquæ curata, reſuſcitati nonnulli mortui, aliaque, magna illa quidem, ſed alijs quoque S. Statuis communia, quæ

tradit auctor. Hæc Chriſtophorus Granado Ordinis SS. Trinitatis in hiſtoria huju Imaginis l. 2. c. 3. ex quo ad me R. P. Chriſtophorus Fernandez de Azev. Soc. IESU.

DCCLXXXIII.

Imago V. B. Miraculoſa. PARISIENSIS.

Pariſijs in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Sine irâ parentum maculâ & jugo Adam.*

1. Promiſſis majora præſtanda.

2. Fabrica ingens.

3. Campana notabilis.

Circa annum 1213. *Philippum* Galliæ regem inſignis contra *Ottonem Imp.* victoria munificum fecit erga Deiparam, jam inclinatâ ad Ottonis partes victoriâ, Rex ipſe Philippus plùs pro vita, quàm pro victoria certabat: cùm Silvanectenſe templum vovit, ut dixi ſuprà Imagine 79. brevibus verbis: plura námque dicturum hoſtis vetuit. Obtentâ victoriâ, quamprimùm voto fecit ſatis, & templum Silvanecti cum Cænobio ædificavit, ſed non exhauſit grati regijque animi immenſam molem: majora poſt acceptum beneficium paravit, quàm promiſerat. Cænobium.

In urbe Pariſienſi templum Deiparæ à fundamentis inchoavit, poſteris in auxilium vocatis, quod inter prima decora urbis ſpectant exteri, & mirantur, & quia lectori opinor placitura, quæ ſcribit *Merula* in ſua Coſmographia, apponam. Columnis centum viginti ſuſtinetur. Longitudo paſſuum centum ſeptuaginta quatuor, latitudo ſexaginta, altitudo centum, in ambitu, habet Sacella quadraginta quinque, portas undecim, Statuas regum inſignes viginti octo. Ad latera turres, ſeu Campanariæ moles videntur altitudine centum triginta quatuor cubitorum. Campana maxima, cui à *S. Maria* nomen, viginti viros flagitat, cùm pulſatur. Sonitus ſereno cælo per ſeptem leucas auditur. Campana. Hæc *Merula*, initio Deiparam hoc in templo patrâſſe miracula vix pauci dubitant; cùm à miraculoſâ victoriâ, nullâ humanâ fortitudine obtentâ, originem ſuam habuerit: pauci, inquam, ſunt, qui dubitant; nemo, qui neget. Itaque eam meritò inter miraculoſas pono. Quòd hodie ibidem miracula fiant, non aſſero, quia nihil ad me à diligentiſſimis Patribus perſcriptum eſt.

Ex Merulâ.

DCCLXXXIV.

Imago B. V. Miraculoſa. AUFKIRCHENSIS. *Auffkirchij in Germania Sup.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Virgo pura tamen, & ſine macula Adami.*

1. *Boves de loco templi decernunt.*
2. *Fatigatio equorum mira.*
3. *Incendium ex incuriâ.*

PRoximum eſt hoc inſigne templum Arci Electoris Bavari *Starnbergicæ*: ſiquidem ultra lacum à majoribus ædificatum eſt. Stetiſſe hic à ſæculis templum Parochiale, nemini non certum eſt. creſcente tamen numero incolarum pagi illius, unanimi conſenſu decretum eſt, loco antiqui, anguſti, & ruinoſi templi, extruere novum, quo tamen in loco, multi multa; nonulli locum antiquum præferentibus novo. Et hi ſumptus obiecere: neque enim antiquum concidiſſe adhuc, quin duraturum ſit pluribus annis, majore murorum parte ſanâ & integrâ: porrò etiam adjungi poſſe, quantum ipſi vellent ſpatium, periculum quoque eſſe, ne cum templo antiquo antiqua quoque pietas diruatur. Cæteris ampla & ſpacioſa placuit planities longè à ſtagni crepidine remota, quæ concurrenti multitudini acceſſum daret undique faciliorem. Ita non in unam ſententiam euntes. unius tamen conſilio omnes acquievere.

Discordia.

Lapidem, inquit, quem in fundamentorum angulum præparavimus, currui imponite bobus trahendum, ductore nullo. Factum, & quia boves per loca ſenta ſitu, per mille vepreta, itinere rectiſſimo ad templum vetus pervenere, ac conſtitere, velut ſigno de cælis dato, nemine penitùs refragante, novo labori aptatæ ſunt operæ, & jactis ritè fundamentis, muri ad tectum uſque non multis menſibus erecti ſunt; ubi pro miro habitum eſt, quòd è ſtagno exurgens turbo non dejecerit Operarios, nemine non verente triſtem caſum, ope tamen Deiparæ factum, ut nemo unus vel digitum læderet, unde favorem Virginis ſibi promittebant incolæ majorem: ut quæ jam plùs quàm ſatis demonſtraſſet, quam parùm hic loci ſeu vires ſeu fraudes dæmonis poſſint. Tertium addo: ruſticos, qui cæſas arbores advehebant, advertiſſe plùs equos fatigari, qui unam traherent arborem, quàm qui plures. Unus certè ut jumentis ſuis parceret, minimam ex arboribus conſultò elegit, ſed cùm nullâ contentione, nullis ictibus, auriga quidquam proficeret, ſuaſum ab amicis eſt, aliam adhuc arborem priori adjungeret, experturum Virginis favorem, quem ipſi jam pluries eſſent experti: ſecutus eſt conſilium ruſticus, & mox in omnium oculis equi officium fecere, arborémque facilè uſque ad templum tra-

Incendium.

Sortes.

xere. Finita eſt novi templi fabrica anno 1500. & Dominica poſt Feſtum S. Galli circa 16. Octob. Deiparæ ſolenniter dedicata. Templum brevi donarijs repletum teſtantibus accepta beneficia, quæ in hanc uſque diem fortè adeſſent, niſi 1625. peregrinorum, ut creditur, incuriâ, Dominicâ poſt S. Michaelis, intra tertiam & quartam pomeridianam, neglecta ſcintilla templum accendiſſet, utique in cineres totum redigendum, niſi tot ſubitò præſentes manus ſuccurriſſent.

Incendium. Fluebat tamen per templi aream liquata cera tot prægandium Candelarum, & è feneſtris liquatum plumbum. Templi fornix denigratus: omnia altaria miſerè deſtructa, ipſum Princeps altare flammam concepit, quæ licet & columnas, & periſtylia, aliáque altaris ornamenta lignea miſerè devaſtarit; ſanctam tamen Statuam ita immunem & illæſam pertranſijt, ut non tetigerit eam omnino ignis, & nec odor quidem ignis in ea fuerit. Adhuc mirabilius eſt, quod S. Statuæ crines (ut alicubi ſolent) naturales, ceteæ coronæ modo ruſtico circumplexi, ſteterint illæſi in capite S. Statuæ: licèt cerea corona ob proximæ flammæ odorem guttatim per S. Statuam defluxerit. His alijſque Deiparæ favoribus inflammati incolæ templum ita renovârunt; ut pulchrius ſeipſo evaſerit, quod hodiéque peregrini magnis concurſibus mirantur. Editæ ſunt typis gratiæ mirabiles centum è quingentis præcipuæ, ſupplicibus à Deipara conceſſæ. Miracula. Anno 1511. quidam cibos maſticatos reddebat per nares, is huc facto voto curatus eſt.

Pagus ab ultima domo vento flante ignem concepit, facto huc à pluribus voto, repentè verſus ventus in proximi ſtagni aquas innoxiè deſævijt, & incendio, quo totus pagus periclitabatur, finem dedit. Pleráque è reliquis, ut omnia penè grandia ſunt, etiam raritatem aliquam habent, & materiam ſcriptu dignam quæ tamen, ne longior ſim, omitto. Ex libro quem R.D. Georgius Colonus loci Parochus impreſſit.

D C C L X X X V.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE RUPE.
Tordeſillæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. ***Cæli agnam juſtè puram animadverto.***

1. Currus cum jumentis præceps.
2. Contra aquas auxilium.
3. Piorum liberalitas.

Extra *Tordeſillam* tribus horæ quadrantibus, quâ *Valiſoletum* itur, Sacellum eſt, quod vetuſtatem ſuam ab ipſa architecturæ forma probat. In fronte juxta portam altare viſitur, quod de rupe illa nomen habet, cui totum Sacellum ſuperædificatum eſt. Porrò altaris Imago laudatæ manus eſt opus, illis ſimile, quas pinxiſſe S. Lucas traditur. Hæc con; curſi-

curſibus piorum, & largis donarijs celebratur. Centum quinquaginta miracula è grandioribus leguntur latè per omne Sacellum quod in ſpacioſum templum piorum ære excrevit.

Miracula.

Rusticus puer de Vitalpando, *Franciſcus* nomine, currum onuſtum duxit ad rupis limbum, qui jumentis calcitrantibus in ſubjectum amnem præcipitatus, ſalvus ſanúſque cum jumentis evaſit, quod, qui locum conſiderant, inter miracula majora hoc Deiparæ beneficium numerant, ſic etiam paſtorem in ditione *Begonnenſi*, duorum fluminum repentina eluvio ita undique clauſit; ut poſt paucas horas cum grege eſſet ſuffocandus, is tamen ad invocatam Virginis opem, eâ parte cum grege univerſo ſalvus evaſit, quà vortices erant maximè periculoſi, nec plura ad me perſcripſit R.P. Chriſtophorus Fernandez de Acevedo Soc. IESU.

DCCLXXXVI.

Imago B. V. Miraculoſa.
A MIRACULIS,
Siracuſis in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Mare puritatis ignotum macula Adæ.*

1. Miracula ditant B. V. templa.
2. Peſtis culta Imagine pulſa.
3. Volat fama bona aque ac mala.

IN platea *Cordaria* anno 1500. horreum fuit ad cujus latus Deiparæ picta Imago viſebatur. Peſtis tunc urbem affligebat, quâ correptus è plebe quiſpiam, cùm hac tranſiret, & ſe Deiparæ commendaret, è veſtigio pulsâ peſte ſanum & incolumem ſe vidit. Læto hoc nuncio nuncius ipſe urbem implevit, hinc ægri, quotquot potuere, & cum ægris etiam incolumes, huc confluxere tanquam ad ſolatium afflictæ urbis. Plurimi ſenſere præſentis mali præſens remedium. Brevi tanta vis pecuniæ allata; ut non modò ad templi aream coëmendam, extruendúmque templum è ſaxo quadrato, & marmoreis poſtibus ſuffecerit, verùm etiam ad ſummam comparandam, è cujus cenſu Sacerdos viveret cum æditio. Templum verò à miraculorum multitudine nomen accepit. Feſtum annuum. Celebratur 14. Kal. Maij, magno concurſu R.P. Octavius Cajet. Soc. IESU.

Liberalitas.

DCCLXXXVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
EREMITANA.
Conſtantinopoli in Græcia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Virgo merè pia & caſta, una munda mali.*

1. Tuta

1. Turcæ miraculo ſanantur.
2. Splendor.
3. Sagittæ retrogradæ.

ORiginem Imaginis valde miraculoſæ etiam apud Turcas ex Quintana autore probo. Adjungam. *Ioannes Madrinus* magni nominis Eremita paucis ab urbe Conſtantinopoli ſtadijs antrum invenit, & incoluit, ne tamen inter Machometanos ſine ſolatio eſſet, hanc brevem Deiparæ Imaginem, ſive dono, ſive pretio acquiſitam, pro templo, pro ara habuit. Ad hujus pedes, & ſuas & aliorum neceſſitates depoſuit, tanto advenarum bono; ut paſſim Miracula. miracula patraret, quin, inter Chriſtianos, etiam Turcæ ſe precibus ejus commendabant, & precum vim ſacram experiebantur devictis morbis. Conſilio quoque advenas juvit, neminémque ſine ſolatio dimiſit, venerunt hæc ad aures *Magni Turcæ*, cui injucundum cùm eſſet, Chriſtianum à ſuis haberi pro ſancto, conſuli foveri, atque etiam amari, miſit quamprimùm, qui hominem, trucidaret, atque è vivis expungeret. Non fugit hominem divinis, aſſuetum, hoc Principis imperium, ſed neque ipſe ſatellites paulò pòſt affuturos. Id ſolum egit, ne antrum intrare furioſi poſſent, non ille antrum aut armis, aut aggere munivit: neque enim ex mente S. Thomæ Cantuarienſis templa caſtrorum more defendenda ſunt, ſed Imaginem Deiparæ ſub oſtio decorè collocavit; quæ ſplendore ſuo ita advenientes excepit, ut nec oculis ſplendor noceret, quod aliàs factum, nec tamen ingredi antrum poſſent, Ita, re infecta, rediere nunciarúntque, quid viderint, & quid non viderint.

Turca. *Magnus Turca* præſtigias veritus, militum cohortem integrã ſubmiſit, quæ præſtigijs, & præſtigiatori, igne ferróque finem faceret. Iterum ille venientibus ſub oſtio imaginem oppoſuit, præſidiò ſibi futuram: & verò etiam fuit, nam cùm arcubus & ſagittis ab ijs peteretur, ſagittæ intactâ portâ ita in eos redibant, ut quiſque ſuam reciperet, ſed in pectore. Plus miraculi habuit, quòd S. Imago ſenſim creverit, & non modò portam, ſed & ipſum eremitorium texerit, ſic territi, læſíque retulere domino, ipſum etiam antrum oculos fugere; & ſagittas monſtrabant, ſuo, non præſtigiatoris ut vocabant, ſanguine tinctas. *Madrinus* quanquam ſub Deiparæ radijs tectus æquè ac ſecurus, fugam tamen inijt, & Neapolim cum ſua imagine venit: ubi Canonicis Regul. S. Auguſtini familiaris cùm eſſet, unã depingi permiſit, eiſque dono dedit: quam Religioſi patres inter, cimelia ſua ſervarunt, quó autem demum cum ſua miraculoſa Imagine devenerit non memorat. Quintana l. 5. l. 75.

DCCLXXXVIII.

DCCLXXXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE CONSTANTINOPOLI. *Madriti in Hiſpania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *O ea ſummè privilegiata creata munda.*

1. *Mirabile privilegium Imaginis.*
2. *Videtur Imago ſuper aquas.*
3. *Initium pietatis jurgium.*

IMago Eremitæ de quâ in præcedente narratione, quo devenerit, auctor non memorat, quomodo autem Ectypon illius quod Canonicis Regularibus S. Auguſtini dono dedit in Hiſpaniam Madritum devenerit ex eodem Quintana narrare aggredior. Itaque cùm dicti Canonici Regulares Imaginem haberent inter cimelia ſuâ, tanquam Ectypon miraculoſæ, eam ſupervenientibus bellis tanquam theſaurum defoderunt in Cœnobio. Bellis finitis redditâque urbi pace, locus, qui antè Canonicorum fuit, ceſſit RR. Patribus S. Hieronymi, nemo uno ſuperſtite, qui theſauri reconditi notitiam haberet. Novi incolæ diruti Cænobij: ex antiquis muris facturi novos, illic equorum ſtabulum deſignârunt, ubi hæc Imago jacuerat. Noluit Deipara Imaginem ſuam ulteriùs latere. Primus omnium fuit Mulio, qui fulgorem cæleſtem in ſtabulo vidit, audivítque cæleſtem concentum.

Nunciavit hæc Priori Mulio: ſed ſemel iterúmque cum ſuis delitijs rejectus eſt. Mediaſtino nempe patere cælum in Cænobio, quod incolerent tot ſancti Aſcetæ, quibus unà cæli cura, omne opus eſſet, ſed Mulio eadem iterum viſa, auditáque, iterum Priori nunciavit; fidem ſuam teſtatus, ſe nec decipi, nec decipere: mitteret ſanè quos vellet Patres, experimentum capturos; miſſi duo, digni fuere, qui pſalmos matutinos, & voces Angelorum audirent. Splendoris quoque locum curioſè appoſito ſigno notârunt. His creditum eſt; & effoſſa in loco terra ſtatim dedit, quem dixi, theſaurum, Imaginem miraculoſam: quam Religioſi pompâ, quâ licuit, in templum deportârunt & affluenti ad ſonum æris campani populo, pòſt denarratum è pulpito miraculo, colendam propoſuerunt.

At verò cùm pietati publicæ deberet dari initium, initium jurgio datum eſt, & liti, Canonicis Regularibus, quod ſuum olim erat, repetentibus, Hieronymianis, quod ſuum nunc eſſet, defendentibus, utpote in fundo ſuo repertum. Lis tamen otioſa non fuit: nam ſic in cognitionem ventum eſt earum rerum, quas ſupra memoravi, ſententiam *Rodericus Prorex* dedit, ut neutrius eſſet Imago, quæ videbatur eſſe partis utriuſque, ſecum itaque accepit Imaginem in Hiſpaniam, quæ cum in ciſta induſtriè compoſita jace- Prorex.

ret, ortâ tamen tempeſtate, naufragantibus viſa eſt fluctibus inſani maris inſiſtere, & pacare aquas. Atque hæc ratio eſt, cur hodiéque navigaturi huic Deiparæ ſe commendent, tanquam *Naufragantium* Patronæ, antequam ſe undis & infido mari committant. Ubi ventum in Hiſpaniam eſt, & *Rodericus* Madriti aliquantum ex itinere quievit, ſanctæ Imaginis cogitationem ſuſcepit. An publico deberetur, dubitatum ab eo non eſt, cùm nulla privati civis domus tanto ſit digna theſauro, ſuaſu filiæ, cui nomen *Hieronyma*, decrevit eam dono dare Monialibus ſalvationis, ut vocant. Jámque *Rodericus* Monaſterium ingreſſus, ut Monialibus donationem indicaret, monerétque, quo die pompam parare deberent dignam excipiendæ Imagini, & quidem jam miraculis patratis illuſtri. Ecce Monialis adeſt, quæ illi cauſam, cur veniſſet, nondum finitâ ſalutatione edixit, & Imaginis colores formámque, ad ultima lineamenta deſcripſit.

Imago.

Rodericus cùm totius rei ſolam filiam haberet conſciam, non parùm miratus eſt, quærebátque, quis hæc omnia detuliſſet, captaſſetque xenia tam felicis nuncij, quem ex filia intellexiſſet. Monialis, teſtes cæteras adhibuit, & ; cæca, inquit, fui, & hac ipsâ horâ Imaginem, monſtrante Deiparâ, vidi, & ab eadem viſum accepi. Non parùm delectatus *Rodericus* longâ Monialis narratione, maximè quòd Imaginem ipſe illi loco deſtinâſſet, quem Virgo miraculis probaverat ſibi placere. Hoc miraculorum initium traxit populum ad venerationem: Hodiéque intervalde miraculoſas numeratur. Inſolens eſt, quod addo. *Rodericus* Prorex priuſquam Neapoli diſcederet, plura & inſignia privilegia ad hujus S. Iconis honorem obtinuit à ſummo Pontifice, unum eorum eſt ut qui intra centum paſſus ab Imagine abſque teſtamento & hærede neceſſario mortuus fuerit ejus hæres ſit hæc S. Deiparæ Imago. Quintana. l. 3. c. 75.

Miraculum.

D C C L X X X I X.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE MISERICORDIA.

Madriti in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *En alma ac verè munda puritatis Imago.*

1. Matrimonium bonum promittit B.V.
2. Neglecta in Cænobio Imago B. V.
3. Revelationibus non repugnandum.

CÆnobium eſt Madriti, quod de *Conſtantinopoli* nomen habet, in eo eſt Statua Deiparæ lapidea, ſtaturâ juſtâ major, veſtitu Ægyptiaco, facie præter modum venu-

venuſta. JESULUM brachio tenet neglecta jacuit, nemini conſpicua, ſub hæc Deipara Moniali cuipiam apparens. *Educme hinc*, inquit, *quia hac voluntas filij mei eſt*, & quia ſæpius apparens Deipara ſæpius eadem repetebat, fidem invenit, maximè
Matrimonium. cùm promitteret felix matrimonium ſorori, quam Monialis impensè Virgini commendaverat.

Eam ob cauſam Abbatiſſa, ne tot apparitionibus, atque ipſi Deiparæ traditate ſuâ diſpliceret, curavit, ut quàm ſolenniſſimè in templum deferretur, & publico exponeretur: quòd per novendialem ſolennitatem magno populi affluxu factum, nec minor Deiparæ in ſupplices pietas; ſiquidem quamprimum miraculoſa beneficia magno numero elargita eſt, & hodiéque inter miraculoſas celebratur. Quintana. l. 3. c. 75.

DCCXC.

Imago B. V. Miraculoſa DE AUXILIO SUBITANEO.

Alicubi in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Anima vita Virgo lactea ſemper munda.*

1. Ingenioſa neceſſitas.
2. Dæmonis ſine viribus ira.
3. Peramanum B. V. auxilium.

INſigne Virginis Deiparæ miraculum, & utique plurimorum aliorum origo, præteriri à me non debet: quia locum, in quo contigit, non memorat *Vincentius Beluacenſis* Epiſcopus in ſpec. hiſt. lib. 7. c. 84. quamquam in Belgio contigiſſe dicat. Pictor fuit, quem ars ſua celebrem fecit, pietas etiam acceptum Deiparæ. Solenne illi fuit dæmonem ſub Virginis pedibus ſic pingere, ut vel ipſi dæmoni
Pictor. ſua forma diſpliceret; Huc novas colorum mixturas, huc turpiſſimorum animalium nunquam viſas formas figuráſque cumulare ſolitus. Non tulit hoc dæmon, quin hominem ſemel iterúmque monuit, abſtineret ſanè hoc ludibrio, ni vellet malum experiri.

Ille contrà audentior, Virginem Patronam toto fortiorem inferno obiecit fecitque quod antè, niſi quòd adhuc majore diligentiâ dæmonem effingeret turpem. Ita in templi muro depictâ, quantâ potuit arte, Deiparâ, ad pedes pingendo dæmoni intentus, colores in tabula miſcet: cùm repentè ſtrepitum ſentit, quem corruens ſub pedibus pegma excitavit. Ille dæmonis fraudes non tardè aſſecutus, abjecto penicillo dexteram ſuam, pictæ Imagini porrigit in lapſus periculoſi ſubſidium, ſed & Imago lapſuro pi-

Caſus. ctam manum reipſa exeruit, quâ dexteram pictoris ita prehendit; ut confracto & ruente ſub pedibus pegmate, pictor in aëre tamdiu miraculosâ & visâ ab omnibus manu retineret, dum ſubjectis ſcalis excipi ſecurè poſſet, inſigni documento, quàm parùm ab ijs timeri dæmon debeat, qui Deiparæ ſe totos dedicârunt. Poſt tam inſigne miraculum habitam in honoribus Imaginem à populo, ij ſolùm dubitare poſſunt, quibus ignota Belgarum pietas eſt in Deiparam. Quia tamen auctor plura non addit, neque ab alio ſcriptore, quod ſciam, hæc hiſtoria perſcripta eſt; nec ego habeo, quod ultra adjungam. Vincentius Belu. loco citato.

DCCXCI.

Imago B. V. Miraculoſa. MARSALENSIS. *Marſalæ in Sicilia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Ea ſine magno iræ luctu parit Adamum.*

1. Statua magnis ſumptibus quæſita.
2. Calumniæ duriores ligonibus.
3. Miraculum cum Prorege.

ORiginem, ſeu inventionem raram affero. Anno 1518. 15. Kal. Febr. *Nardus Xavinus* civis Marſalenſis, mortuâ conjuge, vitam Eremiticam amplexus, tantum brevi tempore divini luminis ex alto accepit; ut clarè videret, Religioſam vitam, & perfectiorem & ſecuriorem eſſe Eremiticâ, ut quæ pauciora & minora pericula, plura & majora auxilia ad ſalutē habet, quod quanquam veriſſimum eſt, plu- Eremus. rimi tamen Eremitæ etiam poſt duros in ſenium labores id non vident. Itaque D. Auguſtini Ordinem ingreſſus ad Sacerdotiū pervenit, magnis in virtute progreſſibus; ſic ut ei Deipara ſæpius apparere ſit dignata, ſemel ei ingentem monſtravit rupem, juſſitque illam perfringeret, futurum ut in ea Statuam ſuam reperiret.

Rupes in publico erat, nec privato homini licuit admovere ligonem, niſi haberi à populo ſtultus vellet, urgebat tamen Virgo repetitis apparitionibus. *Xavinus* felici conſilio Eccleſiaſten monet, qui tum fortè per quadrageſimam eo in templo ad confertum populum dixit. Conſilium. Ille populo liberâ voce edixit, in hac rupe, quam ante oculos haberent, latere theſaurum. Datis quamprimum à populo pecunijs dirui rupes cæpit. Quatuor annis labor duravit, plus populi quàm pauperis Cænobij impenſis. Ferri debebant à Xavino plus ictibus duriores, & auctiores calumniæ ligonibus, ubi promiſſus & ſomniatus theſaurus, quis quis tandem is eſſet, non niſi per alium theſaurum quærendus? *Xavini* ſpem ſuſtentavit

tavit poſt quadriennium ſuperveniens alius Concionator, qui ad verba *Xavini* eaſdem populo ſpes ingeſſit, & ad ulteriorem *Foſſio.* foſſionem permovit, ventum eſt ad puteum, in quo Statuam Deiparæ marmoream reperere foſſores, unius palmi altitudine cui artifex formam peramænam dederat, IESULO præſertim, quem Virgo brachio ſiniſtro tenet, qui matris collum dextra complectitur, veſtes utriúſque aureis punctis diſtinxit.

Tantus repente è valle *Mazarienſi* affluxus ægrorum viſus eſt; ut miraculi loco vel ipſa populi pietas eſſet, mirum erat, ſi quis ſine ſolatio domum redijſſet pleríque malis ſuis liberati, *Miracula.* munera reliquerunt, quæ recepta beneficia teſtarentur: è quibus extructum eſt in loco templum è lapide non longè petito, quémque, diſcerpta ligonibus rupes ſubminiſtrabat. Pietati ſic miraculosè inceptę augmentum ingens dedit miraculum, quod in Prorege Deipara perpetravit. Is pluribus annis Herniâ laboravit: & ad hanc S. Statuã facto voto, campanam maximam præter alia dono dedit, clangore ſuo & miraculum B. Virginis, & ſanati Proregis gratum animum loquentem. Curam habent RR. PP. Aug. Erem. Ita R.P. Octav. Cajetanus Soc. IESU.

DCCXCII.

Imago B. V. Miraculoſa.

ANTIQUA.

Madriti in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Parit Adamum! ergo it una ſine macula.*

1. Reditus Imaginis ad locum.

2. Acceptio Roſarum.

3. Felices nautæ.

ANtiquam hanc Deiparæ Statuam eſſe oportet quando nomẽ habet ab *Antiquitate*: eſtq; in ſingulari cultu in Cœnobio Atochano RR. PP. Dominicanorum, ubi miraculis ab antiquo claruit, non imprudens fuiſſe conſilium illius exiſtimo, qui *Conſilium.* ſuaſit, ut ad Indos deferretur. Indi, inquit, vel nullas vel paucas habent Deiparæ Statuas aut Imagines, quæ Neophytis Chriſtianis dent miraculoſa auxilia; ſive quòd tanta Indorum fiducia non eſt, quæ Deiparam ad miracula inclinet, ſive quòd Deus ſecretas ob cauſas Indos probare fortiùs conſtituerit. Feramus, inquit, hanc, & Indiam totam, quanta eſt, miraculoſis beneficijs impleamus. Dixit, & perſuaſit. Itaque S. Statua in navim deportata magno eorum gaudio, qui eadem in navi Indos petebant. Cur enim ſibi illę

felicitatem non ſpondeat, qui in eadem cum Deipara navi navigatiſed aliter Virgini viſum eſt: hac in Imagine ab Indis coli noluit voluit ab Hiſpanis, néve dubitationi locus eſſet, alterâ die Madriti in ſua ſede iterũ reperta eſt. Ter in navim reportata, ter redijt, magno Madritenſis populi gaudio, qui ſe à Virgine Indis præponi gloriabantur, quapropter cultus Imagini major acceſſit, & Virgo Madritanis ſpargere porrò beneficia perrexit. Quintana libro 3. cap. 58. & 87.

Navigatio.

DCCXCIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE PLANCTU.
Salerni in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Venit ſine macula ergo pariat Adamum.*

1. *Imago flens.*
2. *Incendium grande.*
3. *Peregrini pereunt incendio.*

INter primas Neapolitani regni urbes Salernum eſt, civitas vel ob Scholam ſuam Medicam per omnem orbem notiſſima. In hac urbe Imago B. Virginis eſt, quam rudiſſimi pictoris manus in pariete ſignavit domûs alicujus, cujus herum ignoramus. Anno 1611. nauticis inſtrumentis ſervandis ſerviebat, nullo habitatore. Flere ubertim S. Imago cæpit, & fletûs teſtes habuit omnino quatuor idoneos, quanquam non omni exceptione majores; qui etiam teſtati ſunt, è fronte ſacra ſanguineam quoque guttam ſe vidiſſe delabi. Nemini dubium fuit, quin malum portenderet tempus quoque omen miraculoſum, faciebat triſtius: nam vigiliâ Pentecoſtes id contigit. Sed omne dubium ſoluit ſequens feſtum triſtiſſimum, quo Monaſterium montis Virginis, peregrinantium concurſu celeberrimum, unà cum templo ad fundamenta uſque conflagravit. Materiam incendio dedere ingentia peregrinorum ſcelera, è quibus pleróſque flamma conſumpſit: ut fusè deſcribit *R. P. Antonius Spinellus* in Throno Deiparæ. Portentoſam, & futuri præſagam Imaginem Salernitani ſumptuoſo templo honorarunt; & hodiéque claram miraculis colunt, ut habet idem R. P. Spinellus ibid.

Pentecoſte.

DCCXCIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
CONSTANTIANA.
Conſtantiæ in Cypro.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Alma Virgo mandante IESU, emicat pura.*

1. Ocu-

1. Oculum pro oculo.
2. Cypria pietas finita.
3. Imago vulnerata.

FInem accepit Cypria in Deiparam pietas poſtquam Inſula Venetis erepta Turcis ceſſit. Antea magnam fuiſſe, credibile eſt. Certè anno Chriſti 781. impij cujuſdam bubulci atrox facinus magnam incolis anſam præbuit colendæ Virginis in Imagine ſua miraculoſa. Hic templum ingreſſus, neſcio quibus antè agitatus furijs, pictam in pariete Virginis Imaginem intuitus intremuit, forte quia altior erat, quàm ut manibus eam, vel cultro ferire poſſet, erat tamen in manu pertica, quam ſtimulo ferreo contra boves armaverat, hac in haſtæ vicem uſus, oculum unum pictæ Imagini effodit, utique alterum quoque effoſſurus, totámque Imaginem unà cum muri cruſta dejecturus, niſi oculos hominum veritus eſſet, reverentior hominum, quàm Superûm. Et verò etiam oculos eorum, quos metuebat, evaſit ad boves ſuos reverſus: quorum unus ferocior, ſtimulum poſcebat, quem colonus non impigrè calcitranti beſtiæ egit in ventrem, majore tamen ſuo, quàm animalis damno: ſiquidem ruptum in partes ferrum reſilijt in oculum hominis dexterum, cæcúmque fecit tanto dolore; ut in terram conciderit, magnæ Matris præco ſponte factus: ut juſto Dei judicio oculum pro oculo dediſſet, ut eodem ſtimulo & Virginis oculum & ſuum effodiſſet, ut nunc doloribus pœnas daret, quas evitare levi pœnitentiâ potuiſſet. Fama per omnem Inſulam didita populum acciuit, Conſtantiam, docuítque Virginem ampliùs & conſtanter colere. Hæc in Concilio ſecundo Nicæno anno Chriſti 781. Conſtantinus Conſtantiæ Cypri Epiſcopus retulit.

Impleius. | Fama.

***

DCCXCV.

Imago B. V. Miraculoſa. PFARKIRCHENSIS. *Pfarkirchij in Germania Inf.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Regina ita munda ſemper vacavit malo.*

1. Sepulchrum Chriſti.
2. Puella ſubmerſa.
3. Concurſus.

HUjus oppidi civis cùm Ratiſbonæ negotiorum causâ verſaretur, in manibus hæreticorum Imaginem vidit, quam nos vocamus *Veſpertinam*; in qua Deipara filium de cruce depoſitum genibus ſuſtinet. Hanc hæretici ubi ubi inventam verbis, more ſuo, impiè & blaſphemè exceperunt, utiquè paulò pòſt in partes laceraturi, & ad retrimenta abjecturi: Cùm ſuperveniens civis iſte precibus ita egit, ut eam integram ſal-

Hæret.

ſalvámq; dono acceperit. Hanc ille in patriam *Pfarkirchium* detulit, & in proxima ſilva, loco devio, arbori affixit. Huc feſtis diebus ſolus ipſe inſtitutâ peregrinatione ſuas curas detulit, & Virgini expoſuit, nunquam ſine ſolatio ſingulari domum reverſus. Jámque occulto ſuo theſauro dives, rivales non quærebat, cùm ecce tres puellæ inobſervatam ab alijs Imaginem viderunt, alijſque, quid vidiſſent, narrârunt.

Fama. Hinc fama. Fuere, qui primos favores ambirent, quique cerea dona offerrent, & nummos pauculos, ſuâ contenti pietate. Locum acceſſit Parochus loci, & quia in ſuo diſtrictu erat, pietatem oratione ſuâ auxit, & circumſtantes paucos animavit, ut, ſe ductore, tumultuarium è ligno Sacellum extruerent: quod & factum. Hinc pietatis non vulgare augmentum: ſiquidem duarum & plurium leucarum itinere ductæ huc agminatim ſupplicationes, non ſine munere: etenim brevi tempore congeſti ſunt aliquot centeni aurei, è quibus Sacellum amplius priore ſtructum eſt, & altare, in quo plures quotidie Sacerdotes undique è vicinia huc miſſi ſanctiſſimum miſſæ ſacrificium celebrarunt, creſcente peregrinorum liberalitate, in vicino colle Sacellum muratum eſt erectum quod architectus Salvatoris ſepulchro ſimile ad amuſſim fecit, pro ut hodiedum Jeroſolymis videtur. Inter quàplurima miracula hic ab anno 1660. perpetrata unum eſt, quod pictor præ cæteris meliùs expreſſit. Miracula.

Abſente matre ruſticâ duæ filiolæ, triennis unà, altera quinquennis, domi incautiùs ſimul luſerunt, ita ut major infauſto caſu delaberetur, in puteum margine carentem. Redierè parentes, & filiolam minorem interrogârunt & quò deveniſſet ſororculâ: illa toto brachio puteum indigitavit, cùm nondum poſſet eloqui, quod volebat. Quæſita quàmprimùm eſt à parentibus, atque etiam inventa, ſed mortua: Certè ſignum vitæ nullum exhibuit, uſque dum parentes ad Virginem *Pfarkirchenſem* votum fecere: tum enim & vitæ ſigna dare cæpit: & iterùm vivere. Quamdiu in putei fundo infra latuerit, ex infante intelligi non potuit. Quidquid increduli fingant, quibus durum eſt, de Virginis bonitate loquentes audire, parentes à morte ſuſcitatam credidere, & juramento teſtati ſunt, infans ita convaluit, ut poſt triduum unà cùm parentibus ſe in templo hoc ſtiterit, & quas debebat gratias, Virgini reddiderit. Creſcit in dies pietas: celebratur locus ſupplicationibus. Nec aliud ex miraculis, quamquam plurima jam adſint, ad me perſcripſit oculatus teſtis, & omni exceptione major.

DCCXCVI.

DCCXCVI.

Imago B. V. Miraculoſa.
CAPREOLANA.
Capreolæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Vigeat ſemper à trina macula munda.*

1. Turca languidos Chriſtianos excitat.
2. Caſus miſer terret ſocios.
3. Turca impius.

CApreola urbs Apuliæ, quam vulgo *Serram Capreolam* vocant, Statuam Deiparæ colit ligneam in templo RR. PP. Cappucinorum. Hujus originem deprehendere non potui: perantiqua enim eſt, & jam dudum habuit honores quos miraculoſis ſtatuis debemus. Languorem populi Turcæ excitârunt, (Turca.) qui cum anno 1566. exſcenſione factâ pleráſque Apuliæ urbes deprædati eſſent, in hanc quoque Statuam impudentior quiſpiã ſævire cæpit, conatus eam acinace in fruſta diſcindere, jámq; dejectam è ſede ſua improbo labore aggreſſurus, ultorem expertus Deum eſt: nam viribus repentè deſtitutus, concidit mortuus. Præſentes, ſocij exemplo eruditi, fugâ ſe ſubduxerunt, ne parem Numinis ultionem in ſe cierent. Defuncta periculo urbs ad reſtituenda ædificia ſe convertit: inter quæ primum fuit hoc RR.PP. Cappucinorum templum, Statuæ quoque miraculoſæ data ſedes illuſtrior, populum ſcire fecit theſaurum (Pietas.) ſuum, unde vel ipſis Turcis malorum, quæ urbi intulere, non difficulter dedere veniam; quòd eos hoc theſauro ditiores feciſſent: exinde námq; iterũ clarere miraculis cæpit Gonon. 1566.

DCCXCVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
INCORONATA.
Sardenaidæ in Oriente.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *In ſion Mater viget pura macula Adam.*

1. Caro fit ex ligno.
2. Oleum è carne.
3. Remedium univerſale.

ALiquot milliaribus ab urbe *Damaſco* locus eſt, qui *Sardenaida* vocatur de quo etiam alibi loquor, quem ſoli tunc Chriſtiani incolebant, extra muros oppidi Cænobium eſt Monialium, & aliud quoque Monachorum: in hoc duodecim viri, ín illo quatuor Virgines vitam vixere religioſam, atque incolis gratam. Altare, quod in templo Deiparæ dicatum fuit, tabulam habuit unam non ampliùs

ulnâ longam, paulò minùs latam. Pictura fuit inſignis, atque hæc, quantum hodie ſcitur, nullo miraculo inclaruit, ſed alia fuit, arte & magnitudine non parùm diverſa, & melior etiam, quæ à tergo altaris in angulo quopiam appenſa & neglecta, nullo cultu afficiebatur, ferreis tamen clathris defenſa; ut viderent poſteri, à majoribus cultum aliquem & honorem accepiſſe. Hæc pictura,
Miracula. nunquam audito miraculo, in veram carnem mutata eſt, oleúmque inde odoriferum emanavit balſamo præſtantius præſens in vulnera & morbos remedium. Miraculum Chriſtianis ſemper viſum eſt magnum: at majus videri æſtimaríque cœpit, quando viderunt, & jam Saracenis, imò & Judæis hoc cæleſte Pharmacum prodeſſe. Inſuper aiebant, non minui oleum, ut ut multi multúmque auferrent. Chriſtianorum, Saracenorúmque concurſus, ut toto anno magnus ſit, maximus tamen eſſe ſolet feſto *Nativitatis* & *Aſſumptionis* Deiparæ. Cæterùm ut originem non prætercam, tabula hæc Conſtantinopoli à neſcio quo pictore Patriarchæ data, in æſtimatione diu fuit, propter artem: tunc Abbatiſſæ huic dono data, & in hunc, de quo loquor, locum delata fuit; ubi poſt aliquot annos hoc ſtupendo miraculo inclaruit. Ita Arnoldus Abbas apud Baronium tomo 10. anno 870.

DCCXCVIII.

Imago B. V. Miraculoſa. TINDARITANA.

Tindari in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Eva clarè munda manè, puritatis Imago.*

1. *Navis remora Statua B. V.*
2. *Felix navigatio pro mercede.*
3. *Veſtigium in marmore poſita Statua.*

E nobiliſſima urbe *Tindaritana* hodie Caſtellum ſupereſt ut videamus; quid humana ſint, ſupereſt tamen de ruinis templum in quo Statua marmorea, quæ poſt *Drepanitanam* totius Siciliæ prima eſt. Admirabilis ut ſit ipſa Statua, mirabilior tamen adhuc modus eſt, quo in hunc locum perventn avis, quæ S. Statuam vehebat,
Navis. cùm Siciliæ oram legeret, ad portum Tindaritánum ſubſtitit; nullis remis, nullis ventis, quantumvis turgerent vela, mobilis. Jámque ipſa gens nautica vim divinam verita, atq; etiã reverita eſt. Etenim S. Statuã decorâ ſupplicatione in proximum templum deportârunt, nec ſine miraculo, nam ubi Statua in terram depoſita veſtigium in eadem marmorea tabula ſignavit, & reliquit ſignatum, ut hodiéque videre eſt, obſequium hoc nautis Virgo feliciſſimâ navigatione rependit, unde autem hæc navis hanc S. Statuam reduxerit, ad memoriam tem-

temporum noſtrorum non per venit, ſed duplici miraculo jam ſe honoribus dignam demonſtravit. Sacellum Quapropter Sacellum ei peculiare decretum, & ædificatum eſt: in quod ubi ſub veſperum conſuetâ pompâ translata eſt, atque in ſuo throno collocata, manè tamen altero, eo in loco templi inventa eſt, in quo eam Nautæ depoſuerunt, quémque ipſa veſtigio ſuo notavit, iterum tamen in novum Sacellum, & majore pompâ, quàm antè, relata permanſit, & ne putes Virgini vim factam, loci faſtidium nullum oſtendit, imò gratam ſibi eſſe hanc ſtationem miraculis oſtendit, quæ tabellis depicta, parietes veſtiunt. Feſtum diem ſolenniter Tindaritani in hoc celebrant ſexto idus Sept. magno populi concurſu, ut ſcribit R. P. Octavius Cajetanus Societatis IESU.

DCCXCIX.

Imago B. V. Miraculoſa.

IN CÆMITERIO IUDÆORUM.

Alicubi in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Sejungite Deiparam à nota macularum.*

1. Oſſa mortuorum ejecta.
2. Iudæorum pervicacia.
3. B. V. locum deſignat.

RES ſummæ auctoritatis eſt, quia eam *S. Cæleſtinus V.* ſummus Pontifex ſcribit in ſuo ſancto opuſculo ſexto c. 9. ubi fuiſſe ait Epiſcopum Deiparæ ſingulariter addictum, is quia oves optabat paſtori, id eſt, ſibi obſequentes, Deiparæ templum decrevit, in quo ejus honorem cultúmque promoveret. Interim morbo regio corripitur, & lecto affigitur. Apparitio. Deſperantibus de vita Medicis Virginem alloquitur, & opem poſcit, illa oranti ſe ſiſtit glorioſam, triſtem ſolatur, & templi, quod Præſul decreverat, locum deſignat. *Volo*, inquit, *ut in Cæmiterio Iudæorum id ædifices*: ſimul videri deſijt. Judæi hac ſuper re conventi, etiam oblato pretio negant. Auget ille pretium: negant, eâ tamen conditione ſe gratis Cæmiterij fundum daturos ſpondent, ſi Maria oſſa Judæorum, ibi ſepulta, eruat. Recepit Epiſcopus conditionem, & populo ſuo orationem indixit & jejunium, & ecce alterâ die manè omnia Judæorum oſſa extra Cæmiterij areã reperta ſunt. Hoc miraculo locus factus eſt celebris, magno Chriſtianorum fructu, nullo Judæorum. Hæc S. Cæleſtinus V. ſummus Pontifex in opuſculo ſuo ſexto cap. 9.

DCCC.

Imago B. V. Miraculoſa.
BOUGANA.
Bougæ in Luſitania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Ævi Adami ignoret malum ſanctè pura.*

1. Templum neglectum.
2. Ornatus templi imperatus à B.V.
3. Dictum factum.

*B*Ouga ſeu *Beco*, ut alij vocant, *Luſitaniæ* pagus eſt. Templum hìc Deiparæ perantiquum eſt, ita tamen ab incolis habitum, ut nullam ruinam minaretur. Cæterùm interiora templi nullius cura purgavit, ita omnia, lurida, araneis obſita. & ſordibus repleta; ut civem non invenias, qui domi ſuæ has ſordes ferret. (Templum.) Hoc fuit, quod Virginis favores hactenus impedivit. Ipſa itaque rem ſuam procuravit, ut incolis bene eſſet, qui adeò in rem ſuam negligentes fuere; ut nemo de Virginis æde melius habenda cogitationem ſuſceperit. Puer inventus eſt, quem Deiparæ ad hujus legationis infulas dignum fecit, & elegit. Cui apparens in mandatis dedit, núnciaret incolis, ſi preces ſuas exaudiri vellent, templum ornarent Auguſt.ùs. Alias, ſurdas ſibi Virginis aures, & preces fruſtraneas, promitterent. Vide lector, quantum incuria diſtet ab injuria, neglectus à malitia: hæc enim incorrigibilis eſt, non ille, vix enim puer, quæ Virgo imperavit, elocutus eſt, quamprimum omnium operarũ manus templo admotæ ſunt, ut quã auguſtiſſimè marmoribus & picturis decoraretur. Hinc Deiparæ miraculoſa. Vaſconcellus in deſcriptione Sacerdotij Gratenſis.

CEN-

CENTURIA IX.

DCCCI.

Imago B. V. Miraculoſa. DE CROCODILO. *Madriti in Hiſpania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Viva manè certe ignorat lapſum Adami.*

1. Crocodilus invitat navem ad Inſulam.
2. Crocodili pellis pro Anathemate.
3. Imago B. V. pacat tempeſtates.

HÆc ſacratiſſima Virginis Imago in deſerta & exigua Inſula Oceani affixa ex arbore pependit, quis eam arbori affixerit, & quando, non habeo dicere. Rediјt ex India anno 1522. navis Hiſpana *Alfonſi Montalbani*, divitijs preſſa, jámque Inſulam hanc præter vectura erat, cùm vident ex Inſula Crocodilum petere navem natatu, vectores contis, & recuruis harpagonibus belluam capere conati ſunt. Crocodilus viſis tot mortis inſtrumentis, inviſos hoſpites exoſus, redijt in Inſulam: ſed paulò pòſt iterum ad navem contendit, & iterum velut ſalutatis vectoribus ad Inſulam reverſus eſt. Crocodilus.

Fugiſſe creditus eſt arma, in perniciem ſuam parata, ſed ut hæc primæ fugæ cauſa fuerit, cur beſtia vice alterâ navim natando petijt? Altius aliquid ſubeſſe rati, Inſulam ſubire decreverunt, invitavit aura ſuavis, & pacatum fluctibus mare, ad hæc Inſulâ non ſemper navigantibus obviâ: Forte, inquiunt, cùm non omnia omnis tellus ferat, hic aliquid inveniemus, quod totius Hiſpaniæ bono domum vehamus. Dictum, appellunt, & excenſionem faciunt, ante omnia venatione inſtitutâ ceperunt Crocodilum, deinde campos quiſque luſtrat, pererrat ſilvas, & quidquid denique invenerunt. *Alfonſus Montalbanus* eam maximè oram ambulando legit, è qua Crocodilus in mare ſe præcipitaverat, ſive rerum præſagus, ſive naturali ſagacitate crederet, ibi quærendum aliquid eſſe, ubi Crocodilus bis vectores ſive invitaverat, ſive monuerat, nec multùm progreſſus, Imaginem B. Virginis in arbore conſpicit, quam rami decenter implexam non in decorè ab injurijs cæli defendebant. Arbor.

Lætus ille ſocios ad communem venerationem advocat, dein-

de quòd habitatorem non haberet Inſula, ne ſine cultore eſſet S. Imago, tam inconſueto nuncio indicata, eam ex arbore decenter & cum veneratione depoſitam, navi impoſuit, maris ventorúmque furias ſuperaturus hac anchorâ. Ne Crocodili quoque memoria periret, honórque debitus ipſi beſtiæ daretur, & nuncij boni merces, ejus exuvias quòque navi intulit, & Madritum avexit.

Non pænituit *Alfonſum* avectæ Imaginis: non ſemel in via hac expoſita: & undis monſtrata, ſaluti fuit nautis & vectoribus, Madritum ubi venit, ne ingratus Virgini eſſet, in templo S. Geneſij Deiparæ Sacellum aptavit, ornavítque, & hanc S. Iconem permiſſu Epiſcopi publicæ venerationi expoſuit, exuviáſque Crocodili de tholo Sacelli ad perpetuam memoriam ſuſpendit. Populus magno numero accurrens ſibi de adventu Imaginis, Virgini deinde novam ſedē gratulatus, facilè beneficia miraculoſa obtinuit: quorum tamen nullum ad me pervenit. Inter miraculoſas hodie numeratur. R. P. Alfonſus Fernandez de Acevedo Societatis IESU.

DCCCII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE ARRABIDA. *Conimbricæ in Luſitania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. ***Lugeat Adam, mater amica puri IESU, non.***

1. ***Fulgor cæleſtis.***
2. ***Statuam B. V. tranſportant Angeli.***
3. ***E Mercatore Eremita.***

ARrabida mons & ſubjectæ urbi, & Provinciæ RR. PP. Franciſcanorum nomen dedit, non multùm diſtat Conimbricâ. Dicti RR. PP. Arrabidæ Cænobium habent, in cujus templo hæc S. Statua colitur. Primum miraculum, unde omnis populi pietas eſt, recenſeo. Anglus Mercator in Luſitaniam vela fecit. Hunc in ipſo *Tagi* amnis oſtio fæda tempeſtas (Tempeſtas.) ſub noctem deprehendit, & inter ſyrtes ad extrema redegit. Ille omni aliâ ſpe depoſitâ ad Deiparæ S. Statuam, quam in navi habebat, confugit (nam eo tempore nulla Angliam hæreſis vexabat, certè non hunc hominem) & exauditæ orationis ſignum in monte vidit, lumen inſolitum, adhoc ille Navarcho imperat gubernaculum vertere, quoquò tandem navis appelleret, vel impingeret, nempe divinum aliquid præſagiebat animus.

Non multùm progreſſa navis, in commodiſſimo maris ſinu ad montis radicem vectores ſtitit. Noctem quietam habuit territa navis, manè facto omnium cogitatio fuit, conſcendere montem, & lucis nocturnæ ſedem quærere, quæ in his terris Pharus naves (Pharus.) tempore nocturno tam proſperè diri-

dirigeret. Monte per calles ſuperato, cùm omnes omnia diſquirerent, Statuam Virginis invenere eandem ipſam, quam nocte præteritâ adhuc in navi habuere, & junctis precibus venerati ſunt. Fatigavit hoc novum Virginis factum omnium cogitationes, maximè navis Patronum; cui tanti hoc miraculum fuit, ut ipſe quoque miraculum orbi fieret. Homini mundano mundus vileſcere cœpit. Atque ut cum fructu omnia deſereret, navem cum mercibus vendidit. Deiparæ Sacellum, ſibi tugurium ſtruxit; in quo vitam eremiticam ſanctè vixit, & ſanctiùs finivit. Locum hodie habent RR. PP. Franciſcani cum Monaſterio tam copioſo, ut ab eo Provincia nomen habeat *de Arrabida*.

Ita *Gonzaga* in fundatione Provinciæ *Arrabidenſis*.

DCCCIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE ROSARIO.
Kenzingæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Ea ingenua, caſta, mire pura odit malum.*

1. Statua B. V. flens.
2. Urbs inter belli mala.
3. Congregatio Roſarij.

KEnzinga parvi nominis urbecula, ſitu amæniſſimo, plures circùm ejuſdem magnitudinis urbes habet. In hac duo non ampliùs templa ſunt: in eorum altero Statua eſt B. V. tres circiter pedes alta, inſigni prodigio celebris, quod diverſorum hoſtilium exercituum infandæ vaſtationes abundè confirmarunt. Quis enim neſcit, toto bello Suecico hanc Superiorem Alſatiam, tam hoſtico quàm amico militi (nil enim refert) ſcopum fuiſſe, in quo omnis licentia militaris impunè peccaret & graſſaretur. Atque ut de hac Deiparæ Statua edicam miraculum, quòd ſuprà inſinuavi. Antequam Suecicū bellum erumperet: cúmque adhuc pax terris illis eſſet altiſſima; Statua hæc flere cæpit, & lacrymas fundere futurorum malorum indices, nec fictiò hîc locum habuit: nam & lacrymatio plures horas duravit & alterâ quoque vice repetita eſt, & Statua in omniū oculis videri, tangíque, & explorari potuit: & idonei teſtes ultra ſpectantem populum adhibiti rē juramento confirmârunt. Supervenere belli mala, & quod mille miraculis grandius eſt, omnes per omnem viciniam urbes pagóſq; fœdis incendijs devaſtârunt, ut rarò dimidia domorum pars à flammis intacta permanſerit.

In hac tamen urbe, ne ab uno quidem milite unquam defenſâ, nullos unquam ignes nec una quidē domus paſſa ſit. Quamquā vero cætera belli mala experta ſit, longè tamen mitiùs hìc quàm alibi ſævierunt, ſed neque populus tantâ mortalitate abſumptus, ut in cæteris, videre erat, finito bello

lo, hanc ſolam urbem tectis integris, ubi cæterarum urbium vicinarum, pagorúmque tecta in buſtum conſederant; vel certè carbones, trabium loco oſtendebantr, civium quoque numerus major, ut dixi, nec peſte ut in cæteris minutus. Habuit hæc Statua à civibus honores ſuos, quos tamen Societatis noſtræ Sacerdos anno 1649. in Parochia urbis Friburgenſis vicinæ Concionator, vehementer auxit, cùm illac caſu tranſiens, Magiſtratui commodùm collecto ſuaſit Congregationem Roſarij: ſicque omne negotium apud RR. PP. Dominicanos Friburgi direxit, ut anno ſequenti ſolenniter illuc inducta ſit, & proximæ urbes pagíque tanquam ad centrum omnis pietatis huc convenirent, & beneficia reportarent à Virgine: ut meritò inter miraculoſas nunc plùs quàm antè habeatur, ipſe in loco fui, S. Statuam vidi, & quæ ſcripſi, ex ipſis, qui in Magiſtratu erant, intellexi: quod etiam Sacerdotes ſe in ſcriptis habere affirmarunt.

Incendium.

DCCCIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE SIERRA.
Roiæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. ***Eva orta immunis à culpa Adami regnet.***

1. Vultus mutatio mirabilis.
2. Mutatio vultus.
3. Omen triſte & lætum.

IN finibus villæ *Roia* dictæ mons eſt, cui majores de *Sierra* ſeu de *Serra* nomen dedere, ſive quòd ſaxa quædam pyramides & obeliſcos referant velut ſerrâ ſectos, ut in *Monte Serrato* videre eſt, ſive aliam ob cauſam. In montis illius cacumine templum Deiparæ, & in eo miraculoſa Imago, cujus antiquitatem alij ad *Alfonſi II.* tempora, alij ad *Alfonſi I.* referunt, utrum libet ſit, datum id eſt militibus S. ſepulchri Hoſpitalarijs. Hæc Imago duplici miraculo inſignis eſſe cæpit. Primùm quòd palpebras quandoque moveat, & interdum oculum dextrum omnino claudat, & vultum denique totum mutet, ut ſolent qui gravi quapiam moleſtiâ afficiuntur. Alterum eſt, quòd campanæ in turri, nullo manum admovente, pulſentur: quod etiam de campana argentea, quæ eſt in Sanctuario ſcribitur, vultûs mutatio ſemper triſte aliquid portendit, ſonus verò & compulſatio ſpontanea campanarum, lætum aliquid & gratioſum cujus rei plura exempla affert *Stephanus Paſſamontius*, qui miracula hujus loci ab Epiſcopo approbata litteris commendavit. Adſunt porrò Regum pretioſa dona, & quotquot conſcenſo monte locum ſacrum viſitant, pro conditione quiſque ſua, excipiuntur hoſpitio. Ita Stephanus Paſſamontius in hiſtoria hujus Imaginis.

Hoſpitalitas. Dona.

DCCCV.

DCCCV.

Imago B. V. Miraculoſa.
PECKINENSIS.
Pekini in Sinæ Regno.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Dignè ſervata pura malo manè micuit.*

1. Fides vera in Sinarum Regno.
2. Imago B. V. miraculoſa.
3. Mathematica Sinarum fallax.

IN ampliſſimum Sinarum Regnum introduxit Societatem JESU cum fide Chriſtiana S. Franciſcus Xaverius Apoſtolus Indiarum eo modo, quo ſervus Dei Moyſes introduxit in terram promiſſionis populum Iſraëliticum; nam quamquam Moyſes in confinio terræ diem ſuum obierit, priuſquam populus intraret Paleſtinam, introductoris tamen titulo fruitur apud poſteros; quantumvis ultimam manum huic itineri impoſuerint Joſve & Caleb. Ita S. Apoſtolus Xaverius Dei ſervus, licèt in Sanciano Sinarum Inſula conſtitutus, jámque Sinas ingreſſurus, à Deo ex hoc mundo avocatus ſit; titulum tamen introductoris opud rerum peritos hactenus conſervavit, etiamſi ultimam huic aperi manum impoſuerint ſuo ingreſſu P. Matthæus Riccius, & P. Michaël Rogerius, qui ſocietatem cum fide Chriſtianâ introduxerunt: quæ per miros & miſeros caſus integro ſæculo, & nuper primùm ſub Tartaro Rege jactata, demum mutatione dexteræ Excelſi, in cujus manu corda Regum ſunt, non publicè tantùm, ut antè, ſed etiam tutè & ſecurè nunc comparet. Duobus ſemper medijs nixi ſunt Patres, cultu Deiparæ, & Mathematicâ ſcientiâ, ut pedem figere in Regno liceret. Vtque ad cætera aures gentis ſibi aptarent, Matheſin adhibuere, quæ plurimùm apud litteratos valet; quorum numerus penè infinitus eſt. Paratis per Matheſin auribus, & loquendi licentiâ, Deiparæ Imagines bonæ manus operâ, ubi opus erat Magnatibus vel oſtenderunt, vel etiam dono dederunt. Memorat inter ultimos, *Pater Martinus Martini*, mihi olim & Romæ & Tridenti notus, in ſuo Atlante Sinenſi, quâ gratiâ ab Imperatore Sinarum acceptus ſit libellus aureus ingentis pretij, in quo aliquot folia myſteriorum Chriſti depicta videbantur, quem *Sereniſſimus Elector Bavariæ Dux Maximilianus* præter plurima alia *Patri Trigautio* miſit illuc ferenda, refértque ipſa verba Imperatoris, quæ ad inſpectionem Imaginum dixit, uti etiam memorat R.P. Daniel Bartoli in ſuâ Sinâ. Tanto ſenſu etiam Gentilium corda movet inſpecta Deiparæ Imàgo, quin quod per ejuſmodi Deiparæ Imaginē *P. Silveria* Martyr Regē Mo-

Paleſtina. Societas.

homotapæ ad fidem convertit. Ad hodierna venio. Die Natalis Domini noſtri proximè elapſo venerunt ſub noctem ad noſtram Societatis domum quatuor Mandarini primariæ Nobilitatis, miſſi ab Imperatore Sinarum, ut nobis oſtenderent Kalendarium, quod paulò pòſt publicari debebat, ad illud examiminandum, annon aliquos errores haberet, eo perlecto, varios craſſioréſque oſtendit. *P. Ferdinandus Verbieſt* Belga (olim mihi notus) verbi gratia numerari tredecim lunas, cùm deberent eſſe duodecim: duo æquinoctia Verna, &c. Iſtis auditis quamprimum cucurrere ad Palatium endash monituri Imperatorem. Sequenti manè redeunt, aiunt, Patres vocari à Principe. Sine mora obediunt noſtri. Vivebant iſti tres ferè occulti: *P. Bulli* Italus, & Superior: *P. Ferdinandus Verbieſt* Flandrobelga, & *P. Magalaus* Luſitanus: alij viginti & unus adhuc retinentur in Vrbe Cantone. Vbi venere, juſſi ſunt primùm ante Imperatorem flectere, & ſtatim ſurgere quærit ipſe, an callerent Matheſin. P. Bulli oſtendens Patrem Verbieſt, ait illum poſſe in omnibus ſuæ Majeſtati ſatisfacere. Quomodo, inquit Imperator, poterimus ſcire, quis teneat veram & certam regulam Mathematicæ? Tunc P. Ferdinandus, accepto in manus quodam ſtylo primùm obvio, eóque poſito in plano; Quiſquis, inquit, ducere valet umbram, quã proijciet ſtylus iſte quacunque horá diei, quam Princeps determinabit, ipſe eſt, qui habet veram ſcientiam. Tunc Imperator converſus ad ſuos Mathematicos; Vos, ait, quid tale poteſtis? Reſpondent, nihil ſibi cum umbra, ſolidiora ſe venari. Sed proſequitur Imperator: Eſtne ſine errore Kalendarium, quòd mihi obtuliſtis. Tunc eorum Præfectus, acerrimus noſter hoſtis, machinatórque malorum, quæ Patres paſſi ſunt, fatetur aliquos errores habere: nec aliter fieri poſſe, cùm interjiſſet vera regula Mathematicæ à duobus millibus annorum; nec ab eo tempore potuiſſe reperiri. Interim Imperator Patres honorat, blandè alloquitur, eóſque rogat, ut præteritas injurias illis factas velint ſibi remittere, eáſque penitùs delere ex animo, hortatúrq; Patrem Ferdinandum, ut artis ſuæ faciat experimentum. Deſignat ipſe ſtylum, locum, horam.

Mandarini.

Kalendarium.

Imperator.

Stylus fuit cubitalis, hora duodecima, locus quædam turris pulcherrima in iſtum finem pridie extructa. Spectatores fuere omnes Magnates, tota curia ſucceſſus tantus, ut umbram forcipe ſcidiſſe videretur, ita bellè & aptè illam cretâ in plano deſignaverat. Lætantur noſtri, frendent Sinæ Mathematici, juſſi eſſe præſentes: noſtris mille applauſus, illis mille ludibria. Imperator redeuntibus gratulatur, quærítque ex Præſide Mathematicorum ſuorum (quod officium eſſet inter prima in aulà) quare nõ ſignificâſſent antè, tam inſignes homines degere in Curia. Reſpondent, ſe ignorâſſe. Mentitus

Vmbra.

titus eſt licèt crimen ſit capitale, mentiri Principi. Cùm ecce promulgatur edictum Regium, de genibus ab omnibus auditum, velle Imperatorem impoſterum Regulam Europæam eſſe Magiſtram Mathematicæ Sinicæ, patríque Ferdinando datum officiũ conficiendi Kalendarij, ipsíque ſignificatum, ut præſens emendaret, & ipſemet Imperatori offerret, adhæc iſte præſes Mathematicæ, noſter hoſtis vociferatur, Patres rebelles eſſe, tot arces habere, quot Eccleſias, omnes meditari Imperij exitium & ruinam. Imperator verò licèt annorum tantùm quindecim prudenter dixit, non eſſe poſſibile, viginti quatuor homines hinc inde per imperium diſperſos quid ſimile attentare, in ſiſtit Præſes, Patres malefactorem præponere adorandum ut Deum, profiteri Mathematicas ſcientias, ut ſuum Crucifixum prædicent.

Accuſatio.

Hæc verba inſolentia tantâ irã commoverunt Principem, ut mutato colore, jamjam juſſurus eſſet ſenem iſtum in ipſomet loco morte affici, ut fit aliquando, niſi aulici eum amoviſſent à conſpectu Principis. Hæc ex litteris Malaco datis anno 1669. 5. Martij. Ut ſciat lector, quid ad B. Virginem & ejus Imagines faciant hæc, quæ neceſſariò præmittere debui, legent nunc, quæ in eadem Epiſtola ſequuntur ad verbum. Poſt hæc omnia primus Regulus, id eſt, ſecundus à Rege Patri Ferdinando pulcherrimam tabellam Dei matris tradidit, quam ut ſervaret apud ſe, indignum ſe profitebatur: rogavítque Patrem, ut omnem cultũ ei deferri curaret luminibus: torũ ſumptum velle eſſe ſuum, ſe interim ſperare, fore ut illam ipſe, & alij brevi publicè venerentur.

Imago.

Ille favor Principis promittit, Patrem Ferdinandum obtenturũ poſt abſolutum Kalendarium omnem gratiam, ſcilicet reſtitutionem noſtrorum in ſuas Eccleſias, libertatem prædicandi fidem Catholicam, auctoritate regiâ confirmatam & ipſius Imperatoris fortè converſionem. Eſt enim Princeps optimæ indolis, & docilis admodum, jam habet filium ſucceſſorem, licèt ſit tantùm quindecim annorum, quod ſi accidit, totius Orientis converſonem ſperare nos jubet. Iſti ſpei reſpondet felix Principium, nempe converſio cujuſdam Principis Tartari, ſupremi Præſidis Tribunalis rituum, ipſe primus catenas collo Patris *Adami Schall* ex impio fervore injecerat: tandem divino lumine illuſtratus, veram fidem eſt amplexus. Ecce lector mutationem dexteræ excelſi, in cujus manu corda Regum ſunt, ecce Imaginem miraculoſã Deiparæ, credibile non eſt, ab Imperatore nunquam viſam, quam tamdiu habuit in aula ſecum ſecundus à Rege, & quotidianus in tractatione negotiorum ſocius, credibile non eſt, aliunde venire tantam támque repentinam mutationem Regis.

Spes.

Quantùm verò apud Regulum, ſeu primum miniſtrum, Imago ſancta ſit operata, ex ejus verbis conſtat, quibus ſe profitetur indignum, qui tantum theſaurum habeat domi ſuæ: utique vel pœnas vel gratias domeſticis obtigiſſe

bonis maliſque, expertus eſt, unde enim tanta reverentia? voto Chriſtianum jam eſſe exinde credibile eſt, quod aſſerat, ſperare ſe, quòd & ipſe & alij publicè paulò pòſt ſint veneraturi hanc S. Imaginem, Imago. porrò unde iſta Imago ſit, nemo eſt, qui neſciat. Cum pictura Sinenſis vel ipſis Sinenſibus, præ noſtra diſpliceat, ex ijs unam eſſe oportet, quas Patres noſtri ex Europa tulere, quam *P. Riccius* fortè, vel alius converſo cuipiam Magnati ad fidem dono dedit, quæque vel hæreditate, vel donatione ad hunc Regulum venit.

DCCCVI.

Imago B. V. Miraculoſa MAGELLONA.
Lecinenæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *O vera ſane alma conterit jugum Adami.*

1. Fugit S. Statua tepidos.

2. Vitium tegitur virtutis nomine.

3. Derelictio periculoſa.

ERgóne Virginem Deiparam illi amant, quos illa odit, illi negligant, quos ipſa etiam per miracula amat & ſequitur? villæ duæ ſunt non adeo, multùm à ſe diſtantes: uni nomen *Lecinena*, alteri *Magellona*, in hac ab antiquo Statua Deiparæ colebatur, cui nomen *de Horto*, quòd fortaſſe olim in horto aliquo inventa ſit. Exoſa Virgo tepidum incolarum cultum, abijt. Statua. Certè S. Statua ad *Lecinena* ingreſſum in colliculo conſedit die 15. Martij anno 1383. quin etiam paſtori locuta, petijt hic ſibi templum extrui. Paſtori officium facienti, verba data ab incolis, multùm quòd non etiam verbera: quis enim à ruſtica proſapia aliam comitatem expectet? Paſtor, quem reverentia S. Statuæ jam prudentiorem fecerat, honorem ei exhibuit, quam potuit maximum, pecúſque quàm longiſſimè abegit; ne quid inhonorum in Statua pateretur Deipara, factum tamen, ut, quocúnque pecus ageret, ſemper tamen in eodem propè S. Statuam loco inveniret. Statua.

Interea Virgo iterum apparet, cùm paſtor agreſti reverentia manu genam fricat, & manus genæ adhæſit. Timenti, & territo, Deipara; ne time, inquit: ſic tibi credent, ſi iterum, quæ tibi præcepi, dixeris. Et verò etiam fidem invenit Marienus (hoc enim puero cognomen.) Et erectum à Lecinenis Sacellum in colle, & puero reſtituta ad uſum manus. Magellonij interea repetiere ſuam Statuam, quam *Lecinenſes* non difficulter petentibus conceſſerunt, pacis amantes, ita Virgo Pax. auxilium apud eos non invenit, ad quos velut ad aſylum confugerat. *Magellonij* cum ſua Statua eo die venere *Moſalbarbam*, & eam in templo *B. V. de Sacrata* pernoctare juſſerunt, alterâ die proſecuturi in patriam iter, ſed mane facto, cùm Statua abeſſet, rati id quod

erat, eam Lecinenæ quæſitam invenere in ſuo Sacello. Rara mihi & inconſulta hæc Lecinenſium virtus eſt, quæ ſolo virtutis nomine vitium tegit. Pro jure trium obolorum moviſſent litem: pro Statua Deiparæ, quæ jam bis apud eos miraculosè diverterat, nec verbum dicunt, canibus mutiores. Nempe ut pax inter honores conſervetur, Superi ſunt negligendi, ne dicam ſpernendi. Ita iterum repetentibus Magellanis Statuam ſuam, nemine pro Deipara pugnante, Statuam Magellanis dedere, digni quos Virgo relinqueret; quia jam bis Magellanis minùs pij. Illi S. Statuam per ambages in patriam ducturi, ad ſedem Virgini cariorem, Cæſaraugustam caram Virgini urbem, venere, & in templo de *Portello* depoſuerunt illâ nocte, ſpe freti hinc non abituram, & noctem non ampliùs unam facilè permanſuram, dum inter ſupplicantium preces & pompam deferretur Magellonam ad majores honores, Lecinenſibus præſertim non tantùm contentis, ſed ſuam felicitatem vel negligentibus vel etiã ignorantibus, Statua tamen alterâ die iterum loco ſuo ante Lecinenam in Sacello ſtetit, Magellani quoque eam huc rediiſſe augurati, nec vanè rati, Lecinenſes poſt tot miracula fore duriores, à Vicario Cæſaraugustano litteras petunt, obtinéntque, quibus jubebantur Lecinenſes, reddere Magellanis Statuam, nihil ampliùs moturis, ſi quartùm Statua ad eos rediiſſet, non ingrata erant imperia hæc Lecinenſibus, quibus & avaritia, & exigua in Virginem pietas nõ parùm tegebatur: quanquam jam nonnulli ex ijs fuere, qui repetito toties miraculo concuſſi, pro Virgine decertandum judicarent, facilem habituri Vicarium, ſi vel verbulum pro ſe, & Virgine dixiſſent.

Sed his non obſtantibus cæteri Lecinenſes Statuam Magellanis dedere: quam illi ne quartum rediret Cæſaraugustam, iterum avexere, & in templo *B. V. de Pilaro* omnium ſacratiſſimo depoſuere: precati quoque Virginem ſunt, dignaretur honorare reditu ſuo Magellanos, poſthac in omne obſequium promptiores. Surda Virgo ad preces Lecinenam rediit, nocte illâ. Ita quieſcere Magellani, & Lecinenſes habere Statuam juſſi ſunt. O rerum vices! Sed ne lector ignoret, cur Virgo Magellanam villam tantopere exoſa ſit; paucorum culpâ, non omnium, id contigiſſe ſciat. *Antonius & Martinus del frago* fratres, *Ioannem de Albir* virum, ut invenio, innocentem trucidarunt. Hæc cauſa fuit, cur Virgo totum Magellanum ſit averſata, neque hîc argutijs opus veritatem probat locus & tempus, 14. Martij infanda cædes non longè à templo facta eſt: ſequenti nocte S. Statua fugit, & 15. Martij in colle Lecinenæ reperta eſt, fortè hæc cædes ad plures pertinuit, eos præſertim, qui vel impedire, vel punire debebant. Magno documento à paucis multorum damno fugari Virginem poſſe. Hæc Blaſcus t. 1. l. 2. c. 35. & 36.

DCCCVII.

Imago B. V. Miraculoſa. CANTONENSIS. *Cantonæ in Sinæ Regno.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Nivea & pura gerat Iſaac immolandum.*

1. Propter honoratam Imaginem beneficium.
2. Pecunijs non emuntur miracula.
3. Ingratus Sinenſis Dynaſta.

DIxi ſupra Societatis noſtræ labores pro Eccleſia per Imagines Deiparæ inter Sinas propagatos. Nec Virgo preces ſprevit ad Imaginem ſuam fuſas. Conſtanter in ſuburbio Cantonenſi animarum ſaluti operam dabat *P. Matthæus Riccius*, parvi pendens; grati ex ijs animi præmium an ingrati referret, latámque jam verbi Dei ſementem fecerat, quin etiam reſpondebat operæ fructus in frequentatione Templi noſtri, divinorum uſu, & concionibus Riccij, in quibus Maieſtas. rerum inaudita Majeſtas & momentum etiam infideles vehementer movebat. Quo tempore mirificè acuta eſt Religionis veræ exiſtimatio, beneficio deſperatæ prolis, Lincitano Urbis cum ſumma poteſtate Præfecto, cœlitus indultæ, rogabat is noſtros ſibi ut filium à Deo impetrarent. Suadebant noſtri viciſſim, à Matre Regina ut illum peteret; cujus illi ad hoc effigiem dederant. Ratas utrinque eo anno preces Deus fecit. Prole maſculâ donatus, nec ipſe, nec, ſtatim vulgatâ rei tantæ famâ, dubitavit quiſquam, quin Deiparæ Virginis donum eſſet.

Quare ad ſenem quendam Miraculum. Chriſtianum, liberorū quatuor parentem Ethnici plurimi adire, orbitatem dolere, rogare ſenem, ut ſibi liberos à matre Domini Cœli exoraret; cujus etiam ipſe acceptam à Patribus penes ſe Imaginem haberet: pecunias etiam addere poſtulatis, ut ſenē ad ea inflecterent, quibus ille rejectis, negavit Chriſtianos Dei beneficia vendere: irent ſanè ad Patres, & ab ijs diſcerent, unum illum verum eſſe cœli & omniū dominum, cujus dum beneficia poſcebant, averſabantur cultum & religionem. In quo etiam Lincitanus ingratum animum prodidit, dum totam ſuam in Patres benevolentiam ad caducas ſuas & abjectas attemperavit rationes. Ita virgo per Imaginis ſuæ miraculum Ethnicos invitavit ad fidem: nec dubium, quin apud Chriſtianos hæc Imago cultum majorem acceperit; licèt id. *P. Daniel Bartoli* in ſua Aſiatica hiſtoria unde hæc accepi, hoc loco non memoret.

DCCCVIII.

Imago B. V. Miraculoſa. S. LUCÆ. *Brunæ in Germania Sup.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Peralma munda evaſit contagium irâ,*

1. S. Lucæ opus.
2. Honorata Imago à Regibus.
3. Mirum Imaginis iter.

BRünenſis in Moravia Virginis Imago, per Principum, Regúmque, & Imperatorũ manus, ad RR. PP. Auguſtinianos venit. Etenim *Euſtorgius* Archiepiſcopus Mediolanenſis ab *Anaſtaſio Imp.* ex Cæſarum Græcorum Sacrario, dono ſibi datam unà cum trium Magorum ſanctis Corporibus anno 513. Mediolanum tulit: quo direpto, Imago. *Fridericus Imp.* Imaginem B. V. abſtulit, & *Ladislao* Boëmiæ Regi dedit: qui eam in regio theſauro aliquamdiu aſſervavit, uſque dum eam *Carolus IV. Imper.* idémque Rex Boëmiæ, Marchionis Moraviæ fratri *Ioanni*, dono dedit. Hic publici reverentior majoribus; RR. PP. Auguſtianis Eremitis, ut in templo coleretur, conceſſit anno Chriſti 1356. Ita ad me *Andreas Schambögen* Provincialis Boëmiæ, S. Lucæ opus eſſe credunt, ſuntque qui putent illam eſſe, quam *S. Chryſoſtomus* ſæpius in ſuis homilijs ad Populum tenerrimè allocutus eſt, quámque *Comnenus Imp.* in triumpho duxit apud Nicetam Choniatem. Non habeo dicere, quià neſcio; an extent hujus rei ſufficientes probationes. De hac S. & miraculoſâ Imagine eruditum Poëma edidit Bohuſlaus Aloyſius Balbinus Soc. IESU, Anno 1646.

DCCCIX.

Imago B. V. Miraculoſa. DE XIXENA. *Xixenæ in Hiſpania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Iò genuit clarè pura Dei amatum amans.*

1. Bos per ſtagnum natans.
2. Frequens reditus ad locum.
3. Stagnum exſiccatum.

VIde, lector, & hominum Virginem Deiparam colentium pietatem, & Virginis in electione ſedis novæ conſtantiam. Non longè à *Xixena* Stagnum eſt, & juxta ſtagnum paſcua amæniſſima. Porrò in ſtagni medio exigua Inſula exurgit; & aquis decus conciliat. Circa noctis medium cùm ſilentium omnia tenerent; taurus relicto grege ad ſtagni crepidinem venit, ſéque aquis commiſit, & ad Inſulam natando pervenit: ſed & iterum paulò pòſt natando ad gregem redijt. Fecit Taurus. hoc

hoc iter Taurus frequentiùs, nequidquam clamantibus, & ſaxa è funda jacientibus, qui gregem curabant, paſtoribus; donec eorum unus ſagacior, natatu taurum ſecutus, atque Inſulam ingreſſus, reſectis ſtirpibus ad eum locum pervenit, quem taurus firmo obtutu deſignabat, ecce Virginis venuſtiſſimam Iconem! quam ille veneratus primùm, deinde advocatis cum navi ſocijs, Xixenam reverenter detulit: ubi à Parocho in altari collocata eſt. Alterâ die cùm à pio populo Statua non inveniretur in templo, & prima ſuſpicio in fures caderet, prudentiores tamen eam in Inſula quærendam aſſerebant. Itum à populo ad crepidinem lacus, præmiſſis, qui eam in navi reportarent. Ita ſoleñi ſupplicatione Xixenam reportata, adhuc decentiùs in Altari à Parocho collocata. Fuere in populo aliqui è circumjacentibus pagis oriundi, qui heſternâ famâ acciti, huic proceſſioni interfuere quorum pias querelas juvat apponere, quod Xixenenſes, inquiebant, Imaginem ſacram ſuo templo intulerint, quis improbet? ipſorum unus reperit, patriæ intulit. Quòd verò nolentem Virginem iterum ad locum ſibi exoſum cogant, hæc enim verò aperta vis eſt, quæ nec Superis, nec nobis, ſi homines ſumus, placere poteſt, alius tentandus erat locus, quandoquidem hunc Virgo fugâ ſuâ reſpuit. Sopitæ ſunt hæ querelæ, cùm ad templum ventum eſt, & Statua ſuâ in ſede ſecundùm ſtetit. At verò ubi altero die & abfuit Statua, & iterum in Inſula reperta eſt, vicinorum pagorum primores rem prudentiùs tractandam judicârunt, ita ubi in conſultationem irum eſt, ante omnia inhibuere, ne iterum *Xixenam* deporraretur, ſed ad templum S. Annæ vicinum, quod ſi & illud reſpueret, ſuadebant templum S. Blaſij in villa *Sena*, quod ſi nec iſte locus Virgini arrideret, urgelletani templum ſuum, quod Deiparæ dicatum habuere, offerebant, mirum dictu! in omnia hæc templa ſupplicatione numeroſâ deportata, ſemper iterum ad ſuam Inſulam redijt, Ira omnes conjunctis animis & operis Sacellum in Inſula ſtruxerunt, atque ut acceſſus eſſet liberior populis, ne ſumptus in pontem facerent inutiles, ſtagnum in campos derivârunt, per foſſas undique apertas.

Statua. Querela. Supplicatio.

Hinc primus S. Sratuæ honor anno 1180. quo iſta contigerunr. Honores populi vehemenrer auxit *Alfonſus II.* Rex Aragoniæ & *Sanctia* ejus ſancta conjux, quando anno 1196. Sacello adjunxerunt Cænobium Monialiũ Ordinis S. Ioannis Hieroſolymitani, in quod ſolæ Procerum & Magnatum filiæ ſuſceptæ ſunt. Cæterum Statua tirulum à primo loco, in quem delara eſt, ex hac Inſula, retinuit, ne memoria repetitæ & miraculoſæ translationis periret, ut quæ neceſſariò narranda eſſet quærentibus, cur de *Xixena* diceretur. Ita Ioannes Andreas de Uztarroza in Alfonſo II.

DCCCX.

DCCCX.

Imago B. V. Miraculoſa. DIESTHEMIENSIS.

Dieſthemij in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Ita eſt, en pura amica Virgo almè munda.*

1. *Proceſſio annua.*
2. *Nomen à miraculis.*
3. *Antiquitas incuria.*

ORiginem hujus Sacelli celeberrimi auctor invenire non potuit. Pluribus ſæculis in cultu fuiſſe, arguit Confraternitas, quæ anno 130. erecta, annuatim inſtitutâ ſupplicatione Sacellum B. Virginis ad vineas (jam unà cum nomine ſuo deſtructum) viſitavit. Inſuper antiquâ traditione habetur, hanc S. Imaginem propter frequentiſſima miracula à miraculis olim nomen habuiſſe, & *Noſtram Dominam de miraculis* dictam, totumque hoc novum templum è donarijs peregrinorum fuiſſe ædificatum. Adeſt adhuc eadem ipſa olim miraculoſa Imago in anteriore parte templi, quæ ſuum nomen, quòd à miraculis olim accepit adhuc retinet. Wickmans l. 2. c. 57.

Traditio.

DCCCXI.

Imago B. V. Miraculoſa. DE HERRERA.

Darocæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Reginam & puram luti Adæ, iò canamus.*

1. *Sors ruſticorum felix.*
2. *Anima pura in Corpore ſordido.*
3. *Pientiſſimi ruſtici.*

FElix ſors ruſticorum eſſet, ſi felicitatem ſuàm agnoſcerent. *Herrera* vicus eſt ad montis pedem Darocæ oppido vicinus. Hic candidiſſimæ ſimplicitatis Carbonarius apud Superos & homines fidem habuit, quam nec arguti nec divites habere ſolent. Huic inter ſordidos labores, cæleſtibus intento cogitationibus Deipara ſe ſpectandam dedit, ille in genua prolapſus, ruſticâ, ſed nimiùm quantùm gratâ ſalutatione excepit, tum quid ipſe vellet effatus, quid ipſa quoque vellet, demum interrogavit. Deiparæ hominis denigrati candor perplacuit, itaque ab eo templum petijt, & quidem hoc in loco: inſuper fore ſe propitiam promiſit. Carbonarius templum liberaliſſimè ſuo & incolarũ nomine ſpopondit, nec plus Virgo locuta, videri deſijt. Supereſt, inquit, Carbonarius, ut hæc *Herreræ* & *Darocæ* incolis denunciẽ; ut omnes ære ſuo Virgini ſedem parent, ivit itaque *Herreram* & *Darocam*, & jubenti ſimilior, quàm ſuadenti, Virginis voluntatem denun-

Ruſticus.

rūnciavit, &, qui tam Carbonarij quàm iſ colarum honor eſt, apud omnes fidem invenit, & ad pecuniam erogandam promptam voluntatem, duplicato miraculo, apud eos facilè probando, qui diuturnâ, & frequenti ſimilium hiſtoriarum lectione didicerunt, quàm rarò fidem inveniant, qui de Virginis voluntate, ſine teſtibus, ſine miraculis loquuntur, quámque pauci etiam ex credulis inveniantur, qui fidem ſuam numeratâ pecuniâ probent. Hi omnes in Carbonarij ſententiam ve'ut jurarijuerunt, & templum, ubi Virgo apparuit, ædificârunt. Fidem porrò etiam ipſa Virgo liberavit, & quidem liberaliter, frequentibus miraculis, neque etiam datæ fidei eos pænituit, qui aliquid de ſuo in tam pium opus contulere. Promptum noſtris temporibus documentum, quando à plurimis omne id perditum creditur, quod Deo datum, & in templo quid faciat aurum, etiam à Chriſtianis & Catholicis quæritur. Blaſcus tom. 1. l. 1. c. 31.

Miraculum.

Impietas

D C C C X I I.

Imago B. V. Miraculoſa.

D E L I T T E R A,

Conſtantinopoli in Græcia.

Progr. AVE MARIA, gratià plena, Dominus tecum.

Anagr. *Pura Immaculata inde Mater agno IESU.*

1. Blaſphemus in B. V. non timendus.
2. Litteræ Imagini B. V. appenſæ.
3. Columna ingratis ſignum.

QUæcúnque illa Deiparæ Imago fuerit, quæ urbem Conſtantinopolitanam ſtare loco ſuo fecit, digna eſt, quæ hîc memoratur, tanquam ſingulariter miraculoſa, & utique publico cultui propoſita, neque enim omnia miracu'a, quæ Conſtantinopoli ab imaginibus Deiparæ contigerunt, ad unam aut alteram Imaginem referenda ſunt: plures fuerunt, quæ cùm nomine ſuo ab auctoribus non appel'entur, aliæ ab illis fuere, quorum nomina tam celebria ſunt. Huic ego nomen do, à *Litteris* ob hanc cauſam. Scripſit *Tarſenſis Princeps* Saracenus ad *Andream* Imperatoris *Baſilij* Ducem belli ſupremum litteras, quas expedit hîc ponere: ſic ſonant, nunc videbo, an Mariæ filius, ejúſque parens tibi proderit; cùm contra te cum meo exercitu progrediar. *Andreas* blaſphemam chartam collo Imaginis B. V. quam ſecum habebat, appendit, & hoſtem intrepidus expectavit, quin etiam fudit, fugavitque, magna dein Columna erecta veluttrophæum in loco pugnæ ſtetit, poſterorum memoriam ad Virginis cultum excitatura, & hoſtes Marianos doctura, ſcribere litteras poſthac non blaſphemas. Curopalata anno 867.

Litteræ.

CCCCXIII.

D C C C X I I I.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE CUPRESSU.

Conſtantinopoli in Græcia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Unde nativa iris tam pura gemma? Cælo.*

1. Cura morborum nondum viſa Imagine.
2. Imago in arbore.
3. Honores dati Imagini.

QUàm ſæpe felicitatem noſtram etiam è propinquo ignoramus, & quia ignoti nulla cupido, etiam non ambimus. Steterat Conſtantinopoli Cupreſſus annoſa ingens, & in ea Imago B. Virginis, ſed ramis implexa. Arbor repentè lumine cæleſti coruſcare cæpit, & populus ad lumen ritu muſcarum advolare. Fulgor. Cæleſte aliquod & divinum eſſe arguebat flammæ clariſſimus fulgor, nullo fumo obſcurus, itaque populus, quidquid id eſſet, veneratus, retulit, quæ petijt, quæ optavit, ſanitatem præcipuè, & liberam à morbis vitam, nemine uno ſcientè, unde hæc virtus exiret, & ſanaret omnes, dum demum arborem quiſpiam conſcendens, inter ramos diſquireret tantorum bonorum originem, invenit is Deiparæ Imaginem, decorè olim arbori impoſitam, ſed miris modis implexam ramis, non ſine omnium admiratione; quomodo illæſa ætatem hic ferre potuerit. Templo illata, & populorum pietati expoſita, beneficia diu miraculoſa contulit petentibus. Hæc Nicephorus lib. 4. c. 46.

D C C C X I V.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE PLANCTU.

In Caſtro Rudolfi in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Magna cæli vitis unde tam pura? amore.*

1. Sanguis è lapide.
2. Pœna terribilis.
3. Veſtes lapideæ ſciſſa.

NEſciunt homines dolere, aut Chriſto condolere, niſi exemplo Deiparæ diſcant. Juxta Caſtrum Rudolfini eſt Abbatia quædam, quæ *Dolis* vocatur. Stetit ibi in columna B. Virginis Statua lapidea cum puero JESU inter brachia. Hanc S. Statuam ita blaſphemi duo (utique luſores) lapidibus infeſtârunt, ut vero JESU rumperent brachium. Hinc Vulnus mira: nam poſtquam ut ex vero vulnere effluxit ſanguis, alter repentè concidit mortuus, alter viſus à dæmone abreptus eſt, quódque vix alibi viſum, ipſa B. Virginis Statua veſtes lapideas, & mo-

nile lapideum ſcidit, ut apparerent ubera. Hoc nempè eſt dolere, & condolere; vidiſſe ſe Statuam aſſerit *Vincentius Beluacenſis* Epiſcopus lib. 7. ſpec. Hiſt. cap. 5. pallidam & exanguem, cùm tamen, qui antè miraculum eam viderat, populus aſſerat fuiſſe rubicundam, & bene coloratam.

D C C C X V.

Imago B. V. Miraculoſa.

CATACENSIS.

Catacij in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Ite læti: agnum unicè puram adoramus.*

1. Captivorum liberatio.
2. Miræ inventiones.
3. Angeli pararunt occaſiones.

GEns miſera, quæ Turcis ſemper ſub ungue eſt, ut accipitri columba, littora legunt piratæ Mahometani, & nunquam non incautos ſecum in ſervitutem abducunt, ferro graves ſub ictibus quotidiè gemunt vel in tranſtris, vel in carcere. Ita non vivunt, ſed vitam miſerè trahunt. Eâ conditione vivitur in pomerijs urbis Catacenſis, hinc civibus Deipara ſingulari beneficio ſuccurrit. Imago ibi colitura populo miraculoſa, quæ à captivis & compeditis ubi invocatur, liberantur eò majore miraculo, quòd plerúmque ſine miraculo liberi, ſani & ſalvi domum redeant. Angelos à Deipara ſubmitti credendum eſt, qui occaſiones præparent ad fugam, quam captivi non obſervati cordatè arripiunt. Mirum eſſe aiunt, quàm diverſæ inventiones captivis incidant, quámque felici ſucceſſu fugam ineant, ac certa pericula ſuperent, nullo plerúmque miraculo, quanquam prudentes hoc inter miracula computent, quòd, qui Deiparam in hac Icone invocant, feliciore invento & rariore fugam capeſſant, miras & inexpectatas redeundi occaſiones, modóſque evadendi Virgo divinitus offert: ait, qui hæc ad me perſcripſit, R. P. Andreas Sarazoli Soc. JESU, Rector Collegij Catacenſis.

Miraculum. Captivi.

D C C C X V I.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE SALAS.

Oſcæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Genitura Deum, iò, pura ſit, ac alma, Amen.*

1. Tranſlatio S. Statuæ.
2. Duæ Statuæ ſe honorant.
3. Tectum in aëre harens.

SUperat omnem inveſtigationem antiquitas Statuæ, quæ hodie colitur in civitate Oſcenſi, in tem-

templo B. Virginis, quod *de Horto* nomen habet. Glorioſum fuit civitati Oſcenſi, Virginis Statuam ab Angelis huc transferri, ſed minùs honorificum Pago *Salas* dicto, & ejus incolis, quos præter omnem morem exoſa Virgo deſeruit, Statuâ uſque in urbem translatâ ex eorum templo, in quo fortè pluribus ſæculis ſtetit. Adverterunt incolæ Statuam abeſſe, atque etiam famâ viam monſtrante, eam in urbe Oſcenſi invenerunt: quin etiam repetiverunt, ſed timidè, ne recepta, iterum cum duplicata infamia abiret, & meliores quæreret hoſpites, non ignari cauſarum, ob quas hanc Virgo fugam inſtitueraт.

Statua.

Itaque quia timidè petierunt, audacter negârunt Oſcenſes. Nempe qui timidè petit, docet negare, nec alium judicem quæſierunt, quem nunquã & nuſpiam eſſent inventuri, mira hæc ſunt, fateor; ſed magis mirum, quòd ſequitur. Steterat jam ab antiquo, in templo *de Horto*, in urbe Oſcâ, alia Deiparæ Statua, ſummis culta honoribus. Hæc, alterâ illâ ex pago *Salas* adveniente ad ſiniſtrum ſe latus in altari tranſtulit, & hoſpiti locum fecit in dextera: quod etiam feciſſe legimus S. Lipſana D. Laurentij, cùm in ejus ſepulchrum deponerentur S. Stephani ſanctæ Reliquiæ.

Statua.

Tabula ſimilis eſt utriuſque Statuæ translatio, inquiet hæreticus, furto ablatam quàm facile fuit huc transferre, & fingere translationem miraculoſam. Et ſanè dolendum eſt ruſticos pagi *Salas* hoc argumento non uſos, ut Statuam ſuam, ſuámque ſimul famam rehaberent: ſed, niſi me fallat opinio, ruſticos non fugit vilium hominum vile argumentum. Statua utraque eſt juſtæ magnitudinis ad virialtitudinem è ſolido & querno ligno, ut credamus furto ablatam, doceant nos modum, qui hoc argumentum opponunt, quo modo auferri omnibus in ſuis potuerit Statua tanti ponderis. Interea propter tam extraordinarium miraculum, ipſius loci nomen mutarunt majores, & relicto titulo, quem templum habuit, *de Horto*, utique quia Statua illa in horto quopiam etiam miraculosè inventa eſt, titulum dedere *de Salas*; ne tanti portenti memoria periret. Cæterùm contigerunt hæc circa annum 1100. quia anno 1234. jam in veneratione fuit S. Maria *de Salas*: quo *Iacobus* Rex ſalvum conductum ſingulis peregrinis eò ſe voti cauſa conferentibus, eſt impertitus.

Furtum.

Privilegium.

Adſunt quoque dona *Petri IV*, Regis Arragoniæ ab anno 1354. nempe tabellæ argenteæ, in quibus Deiparæ ſeptem myſteria inſignis illorum temporum artifex cælato opere exhibet: quódque ad exemplum noſtri temporis omittendum non eſt, Rex in inſtrumento donationis illarum tabellarum ait, offerri à ſe has tabellas B. Virgini *de Salas* in ſatisfactionem aliquot lychnorum argenteorum, quos ipſi ea Eccleſia commodaverat, cùm bello adverſus Caſtellæ Regem premeretur. Tanta erat Regi debitæ reſtitutionis cura. E miraculis, quæ

numero multa, & raritate admiranda ſunt, apud *Didacum Ainſa l. 4. magnitudinum Oſcenſium c. 18.* Illud memorabile eſt præ cæteris, quòd ad omnium ſtuporem innixum ſedecim columnis tectum toto triduo planè ab iiſdem columnis & fulcris avulſum, pendulum in aëre hæſerit. Cætera, quæ memoravi, habet. Blaſcus tom. 1. libro 3. c. 19.

D C C C X V I I.

Imago B. V. Miraculoſa.

D E V A L L E S A X E A.

Fabriani in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Agna manſueta mirè pura imò & lucida.*

1. B. V. ſuos paſcit tempore famis.
2. Oratio ante Imaginē miraculoſā.
3. Vox è cælo delapſa.

AD quartum à ſ dem ab oppido *Fabriano* ad Apennini radices, RR. PP. Franciſcani Cænobium habent, & Imaginem B. Virginis jam ab antiquo miraculoſam, quæ *de Valle Saxea* nomen habet, à Saxorum multitudine, pietas tamen incrementum accepit à miraculo, quod appono. Dum ſemel Fratres nivibus obſeſſi fame premerentur, orationique vacarent, *Fabriani* hæc vox ab aëre delapſa, audita eſt: Et quid ſtertitis *Fabrianenſes*; fame interim Fratribus Eremitorij pereuntibus ſtatimque pia Fabrianenſis communitas, aperta per operarios via, cibos Conventui intulit, quos tamen non oſcitantes, neque ad ignem otio torpentes, ſed ante venerebile Sacramentum, quod in altari B. Virginis ſtabat, devotè orantes invenere. Fabrianenſes non dubitavere, vocem hanc à Virgine Deipara veniſſe, quæ ſuos perire non ſinit fame. Hinc major apud Fabrianenſes in hanc S. Imaginem cultus. Gonzaga.

D C C C X V I I I.

Imago B. V. Miraculoſa.

D E S P I N O.

Alcalæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Dulcis agua intemerata imò pura Eva.*

1. Pijs ſatis eſt unum miraculum.
2. Ruſtici ſæpe civibus civiliores.
3. Paſtorum felicitas.

ALcala de ſilva Comitum de Fuentes villa ideo de *Silva* nomen habet, quia ſilva propinqua eſt, villæ. Hujus paſtores Deiparæ Statuam invenere, Spino arbori inſidentem. Illi S. Statuam tangere non auſi (tanta in agreſtibus reverentia) unum è ſuis Alcalam miſere, qui repertum theſaurum

nunciaret Parocho, orantibus interea cæteris, & Deiparæ ſe & ſua commendantibus: dum Parochus, coactis in ſupplicantium ordinem incolis, ad locum venit, & S. Statuam ad ædem Parochialem deducente populo deportavit. At verò cum alterâ die S. Statua ad ſilvam rediiſſet, non ruſticis tanta hebetudo fuit, quanta paſſim alijs; qui faſtidioſo examine Virginem cogunt per repetita miracula voluntatem ſuam aperire; ſed quamprimum illi Sacellum in loco collectis operis extruxerunt: quod Virgini perplacuiſſe, miracula declarârunt, de quibus fusè. Blaſcus t. 2. l. 4. c. 14.

Statua.

D C C C X I X.

Imago B. V. Miraculoſa.

A S. R O M A N O,

Montopoli in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Ergo pura ac alma munda è vitijs manet.*

1. *Nominis ratio.*
2. *Paſtoritia puellæ.*
3. *Apparitio.*

A S. Valiano, cui ab antiquo dedicatum fuit templum, nomen meliùs haberet, quàm à caſtro hujus nominis, quod *Romanum* vocabant. Imago Deiparæ eſt per antiqua. Puella paſcendis ovibus intenta, ſæpe hanc S. Imaginem accedere ſolita, digna fuit, ut refert ſeniorum fida traditio, quam ipſa Virgo alloqueretur. Hinc populi pietas, nec vanam fuiſſe famam, declarant miracula. Curam habent RR. PP. Franciſc. Gonzaga.

D C C C X X.

Imago B. V. Miraculoſa.

D E P I N E T A.

Bielſæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Virgo ac Diva pura è malis manet? Manet.*

1. *Hilarem datorem diligit B. V.*
2. *Vita mala pellit B. V.*
3. *Habet ſuos B. V.*

AD fluvium *Gincam Bielſa* villa eſt ſita: prope hanc Deiparæ Virginis parva ædicula, in qua hæc miraculoſa Statua colitur. Porrò hujus ædiculæ origo mirabilis eſt, non adeò multùm inde vallis diſtat, quæ *de Barecha* vocatur, hic ab antiquo hæc S. Statua ſtetit in templo, quo cultu, auctor non memorat majorem certè optavit Virgo, ſuſpicio eſt non vana, vixiſſe incolas vitam, quæ nec Virgini, nec Virginis filio placere poteſt, nullis vel ille fulminibus, vel iſta plagis perſequi Barechanos voluit, daturos pœnas criminũ abundè, & alijs odio futuros ſi nulla ſui memoria in loco relinqueretur, diſcederetq; S. Statua, & ad meliores migraret. Impious

Fa-

Factum S. Statua inſolito miraculo è Templo, in quo tot annis ſteterat, abijt; & *Bielſam* migravit, atque in ceſpite conſedit. *Bielſani* Virginem excepere cum gaudio, eique quamprimùm ſtruxere ſacellum. Moverunt ſanè litem *Barechani*, & reddi ſibi ſuam Statuam poſtulârunt: ſed *Bielſani*, ſuam eſſe Statuam repoſuerunt, ad quas Virgo Deipara tanto miraculo ſponte veniſſet. Tacerent proinde, niſi repetito portento percelli vellent, & per omnem Hiſpaniam infamari: corrigerent priùs vitia, quæ Virgo fugit: & ſiquid ab ipſa vellent, huc venirent, nec cogerent Superos, eſſe apud eos, quos oderunt. Non libuit Barechanis, litem protrahere, recordantibus conſcijſq; non falſa dixiſſe Bielſanos, & (ſi meis votis eventus ineſt) ſe Virgini per meliorem vitam purgârunt, egregio documento Deiparam eos deſerere, à quibus non eum, quem ipſa deſiderat, honorem accipit. Emendatio.

Blaſcus t. 1. l. 1. c. 39.

D C C C X X I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE GRATIIS.
Arimini in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Ergo manet pura ſicuti Almâ Diva Amen.*

1. *Pictor Angelo familiaris.*
2. *Angelus picturam docet.*
3. *Concurſus.*

Templum hoc ab Ariminenſibus Anno 1591. in collis vicini jugo ædificatum eſt: unde Imago valdè miraculoſa illata ſit, non invenio. Virginis *Annuntiata* figuram refert, & ſummâ veneratione colitur. Intrepidè aſſerunt Ariminenſes, à pictore quodam, aſtante Angelo, atque docente, quomodo penicillum duceret, quos colores miſceret, depictam.

Gonzaga.

D C C C X X I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE OLEASTRO.
Cæſarauguſtæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Agnam Divam vera Cœli puritas manet.*

1. *Artifex fallax & infidus.*
2. *Vetula patiens injuriæ.*
3. *Emptio ſine lucro.*

Exoſam ſibi Artificum mechanicorum avaram perfidiam Deipara inſigni & repetito miraculo demonſtravit. Rem inſolitam, & mihi nec lectam, ante nec auditam refero. Mulier Cæſarauguſtana Deiparæ addictiſſi-

ctiſſima, ut non tantùm in templis, ſed domi quoque ſuæ Virginem colere pro libitu poſſet, Statuam artifici locavit, ex Alabaſtro formandam, quàm poſſet venuſtiſſimam. Conventum quoque de pretio eſt, quod mulier ſanctè ſpopondit, opere finito, ſe daturam. Interea illa domi & altare, & Statuæ decoram ſedem laborioſè paravit. Succeſſit artifici opus, exijtque è lapide Statua tantæ venuſtatis, ut vix ipſe ſibi artifex crederet à ſe factam.

Calcas.

Supervenere nonnulli cives *Soriani*, qui poſt confecta *Cæſarauguſtæ* negotia, quædam in uſus domeſticos coëmpturi, in hanc Statuam inciderunt. Licitantibus artifex longè altiore pretio eam indicavit, quàm cum fæmina pepigerat. Expectet ſanè vetula, inquiebat illis, dum aliam faciam, pacto pretio parem. Illi pretio ſine cunctatione ſoluto, Statuam ſecum deferunt *Soriam*. Mulier interea artificem accedit, quærítque, quando ultimam Statuæ manum eſſet impoſiturus: horam quamcúnque videri ſibi menſem, & diem annum. Ille inter cachinnos, jam venditam, & quidem tanto, reponit. Cæterùm ſe aliam facturum: expectaret modò, habituram parem pactæ pecuniæ & deſiderio ſuo. Veneror virtutem vetulæ, quæ patienter hanc injuriam tulit: execror hominis peſſimi flagitium æſtimatione flagitioſorum majus, non hæc, inquam, ſatis erant mulieri ad conceptam mœſtitiam pellendam, ne omnino nullam haberet Statuam, nihil contra perfidum locuta, dolens impediri ac differri deſideria ſua tacuit, licèt damnum accepiſſet, quòd Mechanicus homo reparare nec vellet, nec poſſet, magno ævi noſtri ſolatio, quòd jam olim tales fuerint, quales hodie ſunt nonnulli, qui perfidâ & avarâ dilatione operis damnorum cauſa ſunt, quorum reparationem in cenſu ſuo non habent.

Pretium.

Tristitia.

Dum mœſta mulier domum redit, Statuam jurgiorum materiam in Oleaſtro conſpicit decorè conſiſtentem, miraculo attonita, rem tamen non ſuam tangere non auſa, Vicinæ oſtendit Statuã, omnémque rei ſeriem denarrat. Dum hæc iſti, illi iſta, & hæc alteri, magna pars urbis ampliſſimæ reſcivit hiſtoriam, utique multis circumſtantijs deformatam; & ad arborem confluxit. Supervenerunt interea cives Soriani Statuæ emptores, quæſituri Statuam ſuam, quam è Sarcinis avolâſſe adverterant, junxerunt ſe multitudini, & Statuam ſuam agnoſcentes, de arbore depoſuerunt, & meliùs quàm antè cuſtoditam *Soriam* verſus reportârunt. Sed iterum conſedit in Oleaſtro. Auſi ſunt *Soriani* iterum redire, iterum Statuam accepturi: Quod tamen vetuere *Cæſarauguſtani* cives, ſuam eſſe, cum poteſtate jactantes, quòd Virgo apud eos ſedem bis miraculo quæſiviſſet. Adhæc nec pecuniam quidem repeterent, quam tanto mulieris damno expoſuiſſent, ita hi in pœnam iniquæ emptionis amiſère pecuniam, ſatis puniti, & ab ulteriore

Arbor.

Pœna pœna ſecuri. Quod artificem inultum tranſiiſſe hiſtoricus videatur inſinuare, argumento eſt, graviùs offenſam ab eo Deiparam, quàm ab emptoribus, & graviorum pœnarum reum ad vindictam majorem reſervatum fuiſſe. *Cæſaraugustani* quamprimùm comportatâ pecuniâ in loco ſtruxerunt templum, & Deiparæ princeps altare collocârunt eo loco, ubi ſteterat arbor. Nomen quoque loco dedere *de Oleaſtro. Hæc ex Franciſco Diago l. 1. c. 32.*

DCCCXXIII.

Imago B. V. Miraculoſa DE GRATIIS.

Immolæ in Jtalia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Amatam à Rege puram à lue Dis non vicit.*

1. *Fames peſtis bellum ſimul.*
2. *Proceſſio valde proficua.*
3. *Remedium peſtis certum.*

QVamquam ab Anno 1476. hæc miraculoſa Imago in manibus RR. PP. Franciſcanorum fuerit, ac ſemper à populo Immolano ſummis honoribus culta: antiquior tamen adhuc eſt, quanquam ignoretur origo. Quàm plurimùm pietas populi aucta eſt, cùm civitas Immolenſis an. 1468. fame, bello, peſte graviter preſſa, liberationem omnimodam accepit, ſupplicatione ad hanc S. Imaginem inſtitutâ. Recentius & majus eſt, quòd cùm anno 1529. peſtis iterum ſæviret, atque ordine ſupplicantium iterum per urbis compita dicta S. Imago circumferretur 10. Maij, quotquot eo morbo tenebantur, ad ejus intuitum perfectam conſecuti ſint ſanitatem, quod Magiſtratus Civitatis Nomine appensâ tabellâ teſtatum reliquit. Curatores loci ſacri ſunt RR. PP. Franciſcani. Supplicatio

DCCCXXIV.

Imago B. V. Miraculoſa. DE OLEASTRO.

Eſterquilij in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *En amica pura geſtat mira Deum in Alvo.*

1. *Cantus Angelorum*
2. *Reverentia divinorum in paſtore.*
3. *Frequens ſtatuæ reditus*

ESterquellum Villa fuit nobilis, *Ægidij de Aſtronſillo*. Contigit, ut paſtores ejus nocte concubiâ in campo vigilarent, viderentque lumine inſolito illuſtrari oleaſtrum. Eorum ſenior, vir ſimplex & rectus, *Petrus de Nobes*, viſionem hâc magnam viſurus acceſſit, alter jam Moyſes, viditque inſiſtere arbori fœminam ſpecie humana auguſtiorem, ſimulque concentum audivit

Meſſa. divit ſuaviſſimum, qualem nec in templis audire ſe meminiſſet. Reverſus ad ſuos, jàmque narraturus, quæ vidiſſet, tacuit, & iterum ad arborem redijt, fidem inventurus majorem, ſi bis viſa audita que narraret, ſed pio horrore concluſus iterum abijt, non rediturus tertiúm ob divinorum, quæ ſuſpectabat, Reverentiam. Cùm vocari ſe clara voce audijt. Il'e nil adverſi veritus, concdata dimiſſione ad arborem accedit, & facile Deiparam Cœli Reginam agnoſcit. Quæ ſuaviter hominem allocuta; vade, inquit, Eſterquillanis refer, quæ vidiſti.

Paſtorem imperata referentem Eſterquillani cum fabulis ad vetulas remiſêre: illis referret, apud illas inventurum fidem, quam apud viros prudentes fruſtra quæreret. Iterum à Virgine vocatus, iterum ad villam miſſus, nec ſine miraculo. Nā cùm Petrus manu fricaret genam, genæ manus adhæſit, nullâ vi amovenda. Redijt ad villam; ſed fidem etiam jactato hoc miraculo apud paucos invenit: qui hominem comitati, & concentum cœleſtem audiverunt, & Deiparæ loco ſtatuam invenerunt ex alabaſtro venuſtiſſimam; quin quód manus Petri à gena quamprimū libera officium ſuum ut antè fecit. Statua ſanè ad virorum teſtimonium pro Miraculoſa eſt habita, & ordinatâ ſupplicatione in templū delata, ſed Virgini hoc levi cultu factum non eſt ſatis: templum illa ad Oleaſtrū voluit, eàmque ob cauſam ad Oleaſtrum redijt, iterùmq; à Villanis ad templum reportata, iterum iterùmque ad eundem locum redijt; poſtquam ſæpius ad templum reportata eſt: dum *Ægidius de Atraſillo* loci dominus de Virginis voluntate certus, ædem ſacram Virgini in loco Oleaſtri extruxit unàcum Cœnobio, quam *Gulielmo Decas* ſecundo Generali ordinis de mercede tradidit. Iuſtæ magnitudinis ſtatua eſt. Vnde venerit, hactenus ignoratur, neque huc portari ullâ fraude potuit, miraculis ſemper clara. ita *Guimaranus Epiſc. Iacenſis in hiſt. ſui ordinis.*

D C C X X V.

Imago B. V. Miraculoſa DE GRATIIS. *Antignati in Jtalia.*

Progr. AVE MARIA gratiâ plenâ Dominus tecum.

Anarg. *Gemma amica it nivea pura nardus olet.*

1. Prandium mirabile

2. Mulier ſilentium credit piaculum

3. Fœmina habita fides

NOtum eſt, B. *Amadeum* Ord. S. Franciſci Deiparæ fuiſſe addictiſſimum. Is electo ſibi in proxima ſilva vrbis Antignatenſis pauperculo quodam tuguriolo, crebris ad Inſubres concionibus populo multùm profuit, eremiticâ vitâ jam clariſſimus, & cultu Deiparæ, ut dixi, celebris, cujus Imaginem in tugurio apud ſe habebat,

Prandiū. cui omnia quæ agere inſtituerat, impenſè commendabat. Bergomum verſus eunti mulier obvia prandium ei offert è ſporta, quam ad meſſores in campum portabat. Amadeus actis gratijs nil tetigit ex edulio; ut qui alium cibum haberet, nempe facere voluntatē Dei: quin etiam per Conciones efficere, ut & Auditores facerent. Socio tamen, quem inſigniter torquebat fames, permiſit, ut oblatum edulium guſtaret. Ille uſus licentiâ, tantum de oblata polenta guſtavit, quantum ad longè pellendam famem plùs quàm neceſſe erat.

Amadeus datâ benedictione fœminam dimiſit, precatus Deiparā, ne quid minùs fæmina meſſoribus afferret, quàm domo aſportaverat. Et verò etiam ita fæmina invenit intactam polentam, & meſſoribus ſufficientem. Mulier omne ſilentium eſſe piaculum rata, Antignatenſibus omnem rei ſucceſſum toties & tantâ eloquentia expoſuit; ut perſuaderet, etiam utilem fore loco Fratrum Cœnobium, ſi quod hic ædificarent. Factum templóque niſi multum fallor, illa ipſa imago illata, quæ in tugurio miracula patravit, quæque hodie dum nomen *de gratijs*, quod habet, miraculis, tuetur. *Ponzaga. p. 2.* Polenta.

DCCCXXVI.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE REGULA.

S. Lucar in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. ***Ea ſine macula gerit, parit novum Adam.***

1. Statua Beatæ Virginis à *S. Auguſtino*

2. Omnes partes vrbis uno intuitu.

3. Concurſus omnium nationum.

HÆc Deiparæ ſtatua ideo celebris eſt, quia olim S. Auguſtini juſſu facta, & revelante Deiparâ, longa poſt ſæcula iterum inventa eſt. Templum eſt ad littus oceani inter *S. Lucar* (olim portum Luciferi) & *Rotam* Civitatem maritimam ſitu tali, ut ſit in conſpectu totius orbis terrarum. Nam ſi fides Auctori eſt, videri poteſt ex omnibus quatuor orbis partibus pars quædam. De cæteris dubium non eſt, de America mirum: quæ ſi videri ex Hiſpania Orbis. poſſet, nota nobis fuiſſet, antequam eam Veſputiùs per tot ambages quæreret. Sed quia ad rem meam non eſt hæc diſputatio, eam Auctori relinquo. Locus eſt etiam apud Turcas in veneratione, quando etiam illi beneficia ſanitatis miraculoſa accipiunt. Incurſant Templum nonnunquam Mauri, & ſæpe factâ excenſione jam Templo imminent; nunquam tamen portas vel Templi, vel exigui paucorum Monachorum Monaſterij repeṙiunt.

Hac unâ B. Virginis ope Cœnobium hoc quatuor ad minimū milliaribus ab utraq; urbe diſſitū defen-

defenditur. Claſſes Hiſpanæ omnes, præcipuè ex India adventantes, cùm primùm domum ſanctam è carcheſio proſpiciunt à quindecim milliaribus & ampliùs, omnibus tormentis diſploſis B. Virginem *de Regula* ſalutant. Nec ulla eſt, quæ non aliquod peculiare beneficium inter maris pericula referat acceptum, & appenſo donario teſtetur, videntur hic omnium nationum homines. Curam habent RR. PP. Franciſcani. Ita ad me R.P. Alfonſus Rodriquez ex Ludovico Torello Centur. 2. Mare.

DCCCXXVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE AVILIANO.
Campaniæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Virga & palma Eva, virens munda micat.*

1. *Faſtidium B.V. ubi non honoratur.*
2. *Fugit ad probos.*
3. *Promptitudo B.V. placet.*

AVilianum *Lucaniæ* oppidum hodie *Baſilicata* dicitur. Stetit hîc à ſæculis Deiparæ Imago, quæ quia ab incolis nullâ pietate, & fiduciâ ſingulari fuit provocata ad ſingulares & miraculoſos favores, migrare Statuam fecit Virgo eum in locum, in quo majores honores ſperare potuit. Tetigit feliciſſima fors *Campaniam* Vrbem perantiquam, hîc conſedit, hîc reperta eſt, nemine miraculum non admirante. Campani Cives rerum divinarum peritiores, certè amantiores, ne iterum Statua fugeret, quamprimum in loco, ubi conſtitit, ſtruxerunt Templum mille paſſibus ab Vrbe. Templũ.

Placuit Deiparæ promptiſſima Civium voluntas, quæ ſine humanæ, & nonnunquam nimiæ prudentiæ remoris, & novorum miraculorum faſtidioſo ambitu, quamprimùm S. Statuæ ſedem dedit, quapropter & ipſa quamprimùm in ſupplices liberalis fuit, & ritè petentibus beneficia contulit miraculoſa. Néve aliquando liberalis eſſe deſinetet, Cœnobium Reverendis Patribus Franciſcanis ædificârunt, qui S. Statuam curent, & honorem Deiparæ diligentiâ ſuâ promoveant.

Gonzaga. p. 2.

DCCCXXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE CONSOLATIONE.
Madriti in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Enitet Virga pura omnis macula Adam.*

1. Altare in loco baptiſmi.
2. Cœnobium in domo nativitatis.
3. Reliquiæ pretioſæ.

HÆc Deiparæ S. Imago nomen ſuum *de Conſolatione* accepit, à conſolatione, quam habuit in eadem honoranda Sereniſſima *Joanna Auſtriaca Caroli V.* filia, *Philippi. II.* Regis Hiſpaniæ uterina ſoror. Hæc inſolito exemplo propriæ Nativitatis domum Anno 1559. 15. Aug. perſoluto juſto pretio emit; tum eam Cœnobium. Sanctimonialibus B. Claræ è conventu Gandienſi tradidit: demum Regiam Baſilicam cum Cœnobio exſtruxit, & reliquijs Sanctorum pretioſiſſimis ditavit. Id obſervandum maximè, quod ſummum altare, in quo hæc Imago eſt, eum locum obtineat, in quo ejus Fundatrix ſacro regenerationis lavacro fuit mūdata. Hic conſolationem ſuam habuit Auguſta, & ipſi S. Imagini titulum *de conſolatione* dedit. Hoc verè eſt agere Deo & Virgini gratias pro primo beneficio. Sic meremur accipere ſecundum. Nec Imago titulum *de Conſolatione* fruſtra tenet, quando afflicti inde etiam nunc conſolati diſcedunt.

Gonzaga.

DCCCXXIX.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE GRATIIS.
Scandriliæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Anima munda eſt, Virgo aperias Cœlum.*

1. Bellum S. Statuis inimicum.
2. B.V. vult inveniri à Sancto.
3. Populi pietas.

SCandrilienſis miraculoſa Imago, jam olim ubique miraculoſa, bellorum injuriâ in locum abjecta eſt, ibíque latuit, ubi nullos habere honores potuit. Placuit Deiparæ, ut ſervo ſuo *B. Amadæo* Ord. S. Franciſci revelaretur, ubi quærenda eſſet. Quæſita ab eo, & inventa anno 1480. & Altare. quamprimùm altari inſerta eſt. Populus ad aſpectum piæ Imaginis piè affectus vota fecit, & beneficia expectavit. Deipara votis annuit, ut miraculoſæ nomen Imago quamprimùm acciperet. Feſtum Imaginis celebratur fer. 2. Pentec. Gonzaga. p. 2.

DCCCXXX.

Imago B. V. Miraculoſa.
COSENSIS.
Coſæ in Luſitania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Ametur alma Virago, at in ſpecie munda.*

1. Vetu-

1. Vetula clavem domus amittit.
2. B. V. Labor mirabilis.
3. Puteus miraculoſus.

COs oppidum Luſitaniæ eſt, in quo Deipara ſacellum habet, multùm à peregrinis propter miracula frequentatum. Anus fuit, quæ Catharinæ nomen in ſacro fonte accepit, hæc dum ſarmenta colligit in ſilva, clavem domûs ſuæ amiſit, jam bis miſera. Cùm ei Deipara apparens; vis, inquit, ut te juvem in colligendis ſarmentis! vis à me tibi clavem amiſſam reſtitui? Catharina Virginem venerata utrumque optavit, neutrum petere auſa. Tum Virgo fatigatæ anus auxilium operámque poſtulavit, ita unà ſimul Deipara cum S. Martha (nam & hanc Catharina agnoverat) ad proximum puteum progrediuntur, ſequente anu. *Puteus.* Hunc Deipara puteum ſuis ſanctiſſimis manibus purgavit à ſordibus juvante S. Marthâ, & quam dixi vetulâ. Cubiti altitudinem poſtquam trium labor exhauſit, ſcaturire cœpit aqua limpidiſſima. *Proviſio.* Demum Deipara; hâc, inquit, aquâ quicunque ſe laverit, omni ægritudine, quæcunque illa fuerit, ſe liberum inveniet. Simul hæc ut alijs quoque palàm dici juſſit, videri deſijt. Tacuiſſet Catharina, niſi Deiparæ imperata urſiſſent; fidem nempe verità, quam non eſſet inventura. Dixit tamen Virginem Deiparam ſe vidiſſe, quæ & familiariter ſibi locuta eſſet, & clavem reſtituiſſet amiſſam, (nam & hanc Virgo illi reſtituit) inſuper & ſecum collaboràſſet, ſed fidem non invenit. Quis enim fœminæ præſertim vetulæ credat de ſe loquenti? illa; ſi mihi, inquit, non creditis, puteo recenti credite: ite, quotquot ægritudine quapiam laboratis, lavate vos, *Puteus.* & toti credetis vera eſſe & utilia, quæ imperante Deiparâ vobis ſuadeo. Iterum non miror, ſuadentem fœminam divina non perſuaſiſſe, hoc juſtam admirationem movet, neminem ex omnibus fuiſſe tam curioſum, qui puteum non longè diſſitum accederet, nempe nunquam minùs curioſi ſumus, quàm ubi divina ſunt indaganda.

Ita fœmina, quid quid ſuaderet, nemini perſuaſit, cum ſua, ut credebatur, anili fabulà ab omnibus ſpreta & repulſa, jamque ab Epiſcopo aderant, qui Catharinam in carceres ducerent, nova miracula prædicantem. *Carcer.* Et ſanè officium feciſſent apparitores, niſi credulum mendicum inveniſſet, eique caput laviſſet, & ſanum ſalvúmque à ſe dimiſiſſet: ſtetère apparitores miraculo ſtupefacti: fuêre quoque, & alij, qui lavari optàrunt, & unà cum ſordibus morbos quiſque ſuos abluerunt. Hinc fœminæ auctoritas, & alimenta nullo labore quæſita: quin & reperti, qui laceras ejus veſtes pro reliquijs haberent. Templum illico ex allatis pecunijs Deiparæ extructum, in quo ad Aram Deiparæ paulo poſt mortem Catharina ſepulchrum accepit duobus poſt annis piè defuncta.

Vaſconcellus l. 5. c. 91.

DCCCXXXI.

DCCCXXXI.

Imago B. V. Miraculoſa. DE IESU.

Panormi in Sicilia.

Progr: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Legem alteri pomi una cara munda evaſit.*

1. Aſinus litem dirimit.
2. Ex humili initio altũ faſtigium.
3. Honor S.Antonij de Padua.

PRimus RR. PP. Franciſcanorum Conventus in urbe Panormitana mirabile habuit initium, quia mirabilia ibi Regina Cœli operata eſt. Jam cives Religioſos S. Franciſci receperant, jam pecunias Cœnobio ſtruendo præparatas habebant, de loco reſtabat dubium: cives enim ſacrorum hominum præſentiam optaverunt in urbe, B.P. *Matthæus* de Agrigento Campos deſideravit, contemplationi aptiores urbibus. Litem diremit Lis. Altiſſimus: ſiquidem dictum B.*Matthæum* inſtantiùs orantem præmonuit, ut ubicunque aſellus Fratrum obſequio mancipatus, ſequenti luce ſub onere pedem ſponte ſiſteret, promiſſum Monaſterium ædificarent, cúmque tum ipſe, tum Panormitanorum plurimi, quos revelationis acceptæ conſcios eſſe voluit, aſellum juxta divinum oraculum tempore conſtituto ſequerentur, & ille ad ſecundum ab urbe lapidem prope quoddam vetuſtum ſacellum B.*Antonio* Paduano dicatum ſubſtitiſſet, liti datus eſt finis, & Monaſterio initium, ſub titulo *S Maria de JESV*, ut jam antè decretum erat. Huic Cœnobium. Cœnobio ne titulum gratis haberet benedictionem ſuam B.V. contulit, ſed longè à primo initio diverſam: etenim Conventus hic, qui ab aſino initium ſuum habuit, plures Patres doctrinâ inſignes, Religione conſpicuos, atque miraculis tum in vita, tum poſt mortem illuſtres favore Virginis Chriſto peperit, & alia quoque beneficia miraculoſa ſupplicibus conſtituit. Gonzaga p.2.

DCCCXXXII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE CODES.

Codæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Ea merè agna data immunis à truci lupo.*

1. Furia

1. *Furia Iconoclaſtica.*
2. *Felix ſomnus.*
3. *Translatio Captivi.*

LEovigildi Arriani Regis antiqua tempora relego. Is cùm *Cantabriam* urbem regionis illius Metropolim depopularetur, hęc Deiparæ Statua à pijs in Montana *Toralva* translata, furias Iconoclaſtæ evaſit. Illic in parvo Sacello inter aſperas rupes collocata, lapſu temporum ob inacceſſas ſemitas memoriam hominum penè omnino fugit, uſque Iconoclaſtæ. ad Annum circiter 1358. quo tempore iterum cum ſuo ſacello inventa, iterum coli cępta eſt, adhortante ipſo ſummo Pontifice, ſpeciali diplomate ad id expedito ex urbe Avenionenſi, ſed & iterum ob inacceſſas vias à peregrinis viſitari deſijt, dum anno 1500. rarum miraculum novo cultui occaſionem dedit. Latrones fuere, ideo omnibus tremendi, quod omnibus unà cum fortunis vitam quoque eriperent. Hi quempiam Deiparæ *de Codes* addictum aggreſſi, Captivus Captivum in vincula conjecerunt, nam quod vitæ pepercerint, ſpes, ut puto, pecuniæ fecit.

Is ferro gravis Deiparam *de Codes* ritè invocavit, & obdormivit, manè altero ſeſe ita catenis vinctum, ſanum & ſalvum invenit ante portam Sacelli hujus: in quo & vincula ſua anathematis loco, in miraculi teſtimonium, ſuſpendit. Hinc concurſus peregrinorum ingens. Inventus Eremita Sacerdos eſt, qui ſtrophiola, aliáque linteamina in hoc Sacello ad honorem Deiparæ conſuetis orationibus benediceret, quibus tecti, vel etiam tacti quicunque ægri ſanitatem recepêre. Hinc magna per omnem latè provinciam horum linteaminum fama, magno Medicorum & Chirurgorum detrimento, nullo lucro. Chirurgi. Fuere ex his nonnulli, qui conati ſunt Eremitam morti dare veneno: ſed ſuum ſervum Deipara ſemper miris modis defendit. Itaque juſtiore modo ſibi ad lucrum viā parare inſtituerunt. Apud Inquiſitores de magia Eremitam accuſant, non dubij verum eſſe, quod ille olim dixit: calumniare audacter, ſemper aliquid hæret.

Non habuit locum apud prudentes ſuſpicio tanti criminis in homine, cujus innocentia publico plùs quàm ſatis teſtata erat, quia tamen nulla calumnia omni effectu caret, id obtinuere, ut Vicarius Epiſcopi Calaguritani, Eremitæ hanc linteorum benedictionem, & ægrorum curationem vetaret. Paruit vir pius, ſed cum populorū ſenſu plùs quàm mediocri. Quapropter ne populo malè eſſet propter eos, quibus nunquam bene eſt, niſi alijs ſit malè; Beatiſſima Virgo poſt paucos dies inhibitorium Vicarij decretum revocari fecit. Etenim Pœna. dolores capitis Vicario immiſit tantos, ut mortem præſentem portendere viderentur, nullis medicorum artibus mitigandi. Facile fuit viro cætera pio intelligere, quid Virgo vellet, Eremitam vocavit, linteum benedictum ſibi circumvolvi poſtulavit, & omnem facilè dolorem ab-

abſterſit: iterúmque, revocato mandato ſuo, Eremitæ permiſit, quod ante inhibuerat. Scribunt de his miraculis Braulius Cæſarauguſtanus, Lucius Siculus, Joannes Amiax, alij.

DCCCXXXIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE ROSIS.
Bergomi in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Velut Roſa micat pia Regina mea munda.*

1. *Latrones plus feris timendi.*
2. *Via cum luce miraculoſa.*
3. *Dæmon in vitro.*

FLoridiſſimum habuit initium Imago miraculoſa Deiparæ, quam RR. PP. Franciſcani colunt in Templo ſuo *Bergomi* extra mœnia. *Normanni* è Gallia duo Mercatores *Bergomum* petiere. Nocte oppreſſi viam omnem in denſa ſilva amiſere, cúmque feras, aut feris ferociores timerent latrones, voto ſe obſtrinxêre Templi ædificandi, in quo Deipara honores acciperet: ſi quidem ſalvi & ſani ad muros *Bergomi* pervenirent. Exauditas fuiſſe preces, ſemita docuit, quæ mox in his tenebris apparuit albeſcens primò, deinde etiam luce quadam irradiata, ut dubitare non poſſent, huic ſi inſiſterent, *Bergomum* perveniri poſſe, & verò etiam opinione ſuâ citiùs pervenere: ſed portis jam clauſis arcebantur ab urbis ingreſſu, cogebantúrque noctem ſub turris proximæ ruinis tranſigere, tranſegêre quoq; negotium de votivo Templo: nam ſomnum arcebat hoſpitij incommoditas, jámque de communi ſententia & fundamenta, & muros, & tectum, & quid non, deſiderijs ſuis menſurabant. Placuit Deiparæ prompta gratitudo, &, ut placere ſe Virgini ſcirent quoque ipſi, ſpectandam ſe ijs cum JESULO in brachijs dedit, roſis undiq; cinctam, & inter ſinceras & cœleſtes delitias paulò pòſt evaneſcens eos reliquit. Conſolatio.

Hoc meruêre Mercatores, quos fraus nulla contaminaverat. Illi Epiſcopo Brixienſi viſa retulêre; hic *Martino V.* ſummo Pontifici: qui eo in loco Templum extrui juſſit, ubi Virgo apparuerat, & titulum Templo *de Roſis* dedit: Virginémque pingi, ut apparuerat inter roſas, quod & ab ipſis acuratiſſimè præſtitum eſt. Ita Imago Deiparæ ſacra in honoribus eſſe apud cives cœpit, ſed mirum in modum aucta pietas populi fuit poſt ingens miraculum, & majorem miraculo effectum. Cùm enim poſt aliquot annos vir atq; uxor Bergomates, genere clari, atque opibus affluentes, plùs æquo carni & ſanguini indulgerent, & mulier præſertim, ad ſpeculum ſe frequentiſſimè examinaret, an crines ad pectinis leges ſtarent, jacerent, volarent; ſemel quatuor

Dæmon. tuor dæmones crinibus ſuis, humeriſque inſidentes in oppoſito, quod conſulebat, ſpeculo conſpexit.

Territa mulier in terram concidit, & inter ejulatus accurrenti marito, quæ vidiſſet, enarravit, & illum quoque terrore implevit. Vtriuſque ſalutaris terror utrique, & pluribus alijs ſaluti fuit: ſiquidem inſigni exemplo duas ſibi cellulas ad Templum Deiparæ *de Roſis* ædificârunt, & opibus in pauperes diſtributis, vitam omnem in paupertate, & oratione his in cellulis emendatam uſque ad mortem traduxere, & tandem pientiſſimè mortui ſunt. Illud ſingulare, quòd pariter junctis, erectíſque in cœlum manibus, flexíſque genibus, orantium ſitu mortui ſint reperti. Sepulchrum honorificum accepêre in eodem Templo *de Roſis*; ut, ubi laborârunt, ibi quieſcerent. Exemplum hoc habuit imitatores, plures mulieres ibidem hoc ipſum vitæ genus imitatæ, vivere cœperunt non diſparem illis vitam, quos imitari conſtituerant, fuit illis hæc vita velut tirocinium futuræ. Nam ſuperveniens *B. Bernardinus Senenſis* eas ita volentes habitu Clariſſarum veſtivit, & poſt emiſſum ſolenne votum ſub prima Regula S. Claræ vivere juſſit. Gonzaga p. 2. Sepulchrum.

DCCCXXXIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE IERUSALEM.
In Monte Corvi in Luſitania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Ea non guſtavit acre malum primi Adæ.*

1. Templum diruto ſimile ædificatur.

2. Fœmina muta.

3. B. V. ad malos non fugit.

De fæminâ mutâ magni cujuſdam domini ancillâ dixi ſuprà: nunc de fæmina muta ruſtica loquor, quæ paſcendis ovibus intenta Deiparam vidit, & audivit. Templum aliquod Deiparæ, quodcunque illud ſit, à Turcis in urbe Jeroſolymitana dejectum eſt. Doluit Virgo, & ut damnum Jeroſolymis ſibi illatum reſarciret, in Luſitania fœminam quæſivit, paſtoritiam & mutam. Huic apparens ad Montem Corvi; hic, inquit, Templum volo: Parochum huc ociùs advoca qui murorum ſpacia dictante me deſignet: nec populus invitus cumulabit pecunias, & ipſe etiam Sacerdos tibi fidem habebit, quando hoc nuncio videbit te diſertam, & audiet te loquentem. Omnia, ut promiſerat Virgo, facta ſunt, Sacerdos metis & terminis è gracili ſarmento inſtructus adeſt unà cum fæmina, Deipara præcedens, greſſu ſuo omnem murorum ambitum, omnéſq; angulos deſignat: hanc fæmina ſolicito greſſu ponè ſecuta eſt, & iſtam Parochus, figens ad angulos murorum, quas dixi, me- Fœmina.

metas, & terminos ligneos. Ceterùm fœmina ſola Deiparam vidit, non Parochus: & vidiſſe creditum fœminæ eſt aſſerenti, nemine alio teſte requiſito, quādo nunquam fœminæ loquenti prudentiùs creditum eſt, quàm illi, quam Deipara Virgo ex muta fecit eſſe diſertam & eloquentem. Porrò Sacellum eſt non Templum, atque illi, ſi figuram ſpectes, ſimile, quod tunc ſub Barbarorum manibus corruit Jeroſolymis. Atq; ut ijs quoque res probaretur, quibus fides eſt lentior, ædituus Deiparæ à torrente (hoc nomen loco eſt) Jeroſolymam cum alijs profectus, omnia, ut fœmina edixerat, invenit. Felices Coloni, quos Virgo ad hoc opus ſtruendum, elegit! bonos fuiſſe credi debet: cur enim à malis ad malos fugeret Virgo? Vaſconcellus.

DCCCXXXV.

Imago B. V. Miraculoſa. AD TILIAM. *Oſtervvici in Germania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Agnita juſta, mirè pura menda maculæ.*
1. Tilia mirabilis.
2. Incendium modeſtum.
3. Devotio rediviva.

OStervvici Tilia eſt in foro per totam Brabantiam famoſa ob trinam, ut ſic loquar, concamerationem in altum, in ambitum verò ad virgas geometricas quatuordecim lata. Quod plus creſcendo non profecerit, bellum Geldricū fecit, quod ante 300. annos totum *Oſtervvicum* flammis exuſſit Miraculum fuit, Tiliam, in medio foro, adeóq; in medio quoq; flammarum ſtetiſſe illæſam. Nempe dedicatâ Virgini Deiparæ flammas vicit. Hæc Sacello Deiparæ miraculoſo nomen dedit, in peregrinorum ſolatium, qui magno numero ob inſignia miracula accurrebant, & ſub hac Tilia pernoctabant. Sacellum unà cum ſcripturis ſub Geuſiorum furore concidit, & cum eo omnis pietas antiqua, dū ann. 1644 iterum è cineribus ſuis ſurrexit, & novâ pietate floret, Deiparámq; ad antiqua miracula invitat: quæ etiam Virgo liberaliter præſtat. Feſtum maximo concurſu celebratur Sabb. poſt Aſcenſ. Chriſti. VVikm.

DCCCXXXVI.

Imago B. V. Miraculoſa. DE LILIIS. *Naxeræ in Hiſpania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Canite gentes Divam ut puram à malo ira.*

1. Rex

1. Rex Statua inventor.
2. Felix aucupium.
3. Ordo Equeſtris.

VRbem Naxeram ab Hercule ædificatam mille ducentis triginta annis ante Chriſtum, & Senonam appellatam, ajunt Hiſpani: poſtea quoque ab Erythræo Rege Erithræam dictam. Hic temporibus *Garziæ* Navarræ Regis non longè ab urbe nemus denſum fuit, & aucupij cauſâ à Garzia Rege frequentatum, quod hodie ſuburbium eſt domibus refertum. In hoc nemore cùm Rex aliquando perdicem Perdix. vidiſſet, Falconem brachio inſidentem ſolvit, avéſq; hinc inde volantes eſt ſecutus; donec ambo in foramen admirabilis ſaxi concederent. Rex ſpretis periculis equo deſcendit, & antrũ cum paucis ingreſſus eſt non obſcurũ, ſed luce illuminatum inſolitâ, adeò ut, quò profundiùs antro ſe committeret, eò plus lucis adverterit: deniq; ad lucis fontẽ devenit Statuam B.V. & vas lilijs plenum, quod Virgini odores præbebat.

Rex in genua proſtratus S. Statuam veneratus, in aulam deportavit, & ejus honori primum Templum ædificavit: deinde Templi Curatores admovit nobiles Equites, quorum Ordinẽ in honorem Deiparæ inſtituit, qui in feſtis Deiparæ lilium geſtarent in pectore. Primi, qui ea geſtaverunt inſignia, fuerunt Garziæ Regis filij, ejúſq; conſanguinei. Porrò Templum ad illam ipſam cryptam extruxit, & Cœnobium pro Monachis S. Benedicti adjunxit. Joannes Amiax in Faſciculo florum D. Virginis de Coeles.

DCCCXXXVII.
Imago B. V. Miraculoſa. TRIUM REGUM Grabadonæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. Iſta nivea purè ignoret maculam Adam.

1. Colores luce cœleſti novi.
2. Ceſſat miraculum ut ſit miraculum
3. Pictura antiqua non abolenda.

GRabadona vicus eſt agri *Comenſis*: vici hujus Templum parochiale *S. Joannis Baptiſtæ* dicatum eſt. In hoc Deiparæ miraculoſa Imago à temporibus *Paſchalis II.* ſummi Pontificis in ſumma veneratione eſt. Refert hæc Imago trium Regum magnifica dona, & Virginem ſedentem cum filiolo inter brachia, regia majeſtate admittentẽ ad pedes mundi legatos Reges, porrò hanc picturam artifex in muro deſignavit, Pictura. qui fornicem ſuſtinet Chori, jam dudum vetuſtatis cauſâ abolendam ſi fuiſſet, qui cruſtã muri renovatã voluiſſet ære ſuo ponere aliam. Cum Deipara hanc ſibi placere, non aliam, ingenti miraculo declaravit.

Tantâ ſiquidem claritate, & cœleſti fulgore irradiata eſt; ut omnem ſplendorem cujuſcunq;

 no-

novæ picturæ ſuperaret; Magorum tamen imagines minimè claritas illa irradiavit; ſi munera excipias, quæ eâdem miraculosâ luce fulgebant; ut ſcirentur fuiſſe grata. Ne autem pictoris alicuius fraude doloue factum crederetur, & tam incredulis, quàm ijs, qui omnia caſui adſcribunt, miraculum hoc ſatis ſupérque probaretur, duos omnino integerrimos dies hic Cæleſtis fulgor duravit: Fulgur. poſt quos pictura ad vetuſtatem ſuam rediit. Hoc miraculorum initium fuit Grabadonenſis Imaginis, quòd *Aimoinus* de geſtis Francorum l. 4. c. 111. ad verbum ex Chronico Caſſinenſi deſcripſit.

DCCCXXXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE HOZ.
Sepulvedæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *En tuto ager ſine impura Adami maculâ.*

1. *Obedientiæ fructus.*
2. *B. V. ſuos defendit.*
3. *Ruina Monaſterij.*

SExto lapide ab urbe ſepulveda diſtat hæc miraculoſa Deiparæ imago. *De la Hoz*, ſeu *de falce* titulum habet, incognitæ originis, quam ad annum 1231. referunt, quo diverſorum eleemoſynæ templum extruxerunt S. Imagini. Quę longè magis increbuit, quando Regiâ magnificentiâ adjunctum Monaſterium. eſt Monaſterium RR. PP. Franciſcanis, è miraculis unum habet auctor. Reverſus fuerat domum poſtiter octo milliarium cum emendicato pane Frater Antonius, laſſus omnino, & ſive imbribus, ſive ſudore madidus, in pervigilio Nativitatis Deiparæ glorioſiſſimæ. Is cùm mediâ nocte in Choro non compareret, adeſſe per nuncium juſſus, ſe excuſavit nimiam laſſitudinem obtendens, demiſsè veniam precatus. Guardianus contra morem ſuum ſeverus, rejectâ excuſatione, imperavit, ut ſine mora ſurgeret, & Chorum quantocyus adiret. Fecit ille imperata inſigni obedientiæ exemplo: quod illi B. Virgo miraculoſo beneficio rependit, nam vix limen chori attigit, cùm totum ſimul Cænobium choro & templo ſtantibus corruit. Tanti eſt apud religioſos, in honoribus Deiparæ prędandis eſſe obedientem. Hinc aucta pietas populorum B. Virginem ad alia quoque beneficia miraculoſa incitavit. Gonzaga.

DCCCXXXIX.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE VRSULEO.
Carboniani in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Emanuel à Dei Agna miti, à pura ortus.*

Nul-

1. Statua fugiens.
2. Nominum imperita mutatio.
3. Converſio ædificantium.

NUllum hic beſtia locum habet, licèt ad arborem, cui S. Imago inſiſtit, Leo pingatur & rurſus. Hominum ſunt, & Sanctorum Eremitarum Nomina à quibus Deipara Nomen accipere non eſt dedignata. Cùm in oppido *Carbonio*, *Fraticellorum* hæreſis dominantcæpiſſet, ipſum quoque oppidum Virgini Deiparæ exoſum eſſe cæpit: quapropter Imaginem ſuam, quæ in Parochia plurimis annis in honoribus fuerat, *Carbonio* oppido in pænam hæreſeos relicto, per duodecim millia paſſuum, ad confinia oppidorum *S. Archangeli* atque Arcis novæ, angelorum operâ tranſtulit. *Carboniani* (quoad vultuum Imaginum Catholici) tanto territi miraculo, amiſſum theſaurum inquiſiverunt, & monſtrante viam famâ, Imaginem invenêre, & inter preces Virgini tamen propter hæreſin non acceptas, Carbonianum retulerunt, ac in antiqua ſede repoſuerunt. Imago tamen alterâ die iterum inventa eſt eo loco, quo illam Angeli pridie collocârunt.

Non auſi ſunt Carboniani tangere S. Iconem, ne tamen Virginem haberent inimicam, & ut ſua ſemper eſſet ſtatua ſacra, ære ſuo ædiculā exſtruxerunt, & duobus virtutis probatæ Eremitis, *Vrſo* & *Leoni*, S. Imaginis & ſacelli curam demandavêre, à quibus hoc cognomen ædicula traxit: quæ hodie de *Vrſuleo* appellatur. Concurſu piorum ſalutata Virgo, miracula repoſuit magno numero, operam ſuam inſigniter præſtantibus Eremitis: qui poſtquam piè vitam in hoc officio finivêrunt, in ipſo Sacello coram altari Deiparæ ſepulti ſunt.

His in cura Sacelli ſucceſsêre RR. PP. Franciſcani, quibus è congeſtis Eleemoſynis conſtructum eſt Cænobium. Ita etiam peregrinis conſultum fuit, & aucta pietas. Gonzaga p. 2.

D C C C X X L.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE CONSOLATIONE.
Alicubi in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Agna mira, prout immaculata, Eden, IESV.*

1. B. V. habitu Monialis
2. Fugat B. V. milites.
3. Caſtitas à B. V. defenſa

HAbuere in conventu ſuo Moniales Carmelitanæ Imaginē Deiparæ, velut unicum theſaurū pauperis Cænobij, & in periculis refugium. Fiduciam faciebant nonnullæ miraculoſæ gratiæ ad preces ſupplicum obtentæ. Fiduciam hanc auxerunt pericula ab inimicis, & quidem hæreticis, quarum impia deſideria non parùm affligebant caſtiſſimas Virgines, nullo militari: aut potentum præſidio defenſas.

Fuit

Fuit cùm ſeptē hæretici commilitones audaciâ militari, admotis ſcalis; murum Cænobij tranſirent, ignari domum eſſe ſub Deiparæ tutela. His obviam proceſſit ipſa Deipara Monacham induta: & quia ſtricto gladio progreſſuris mortem intentavit, ita terruit ſceleratos, ut quàm primùm per eaſdem Scalas fugâ elaberentur. Interea ex altera quoque parte alij ejusdem farinæ commilitones, ſuperato muro, jámque ipſum dormitorium ingreſſi, etiam à Deipara, ut antè Monialium veſte, ſtricto enſe fugati ſunt. Quæ omnia ab ipſis militibus reſcita ſunt, putantibus ex Amazonibus unam in hoc Cænobio ſupereſſe, quæ viris congredi aſſueta, tantos animos timidæ multitudini intuliſſet: cùm tamen nec arma, nec armorum tractandorum perita adfuerit. *Lezana in Maria Patrona. c. 10. n. 12.*

Dormitorium

D C C C X L I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE VILLA ESCVSA.
Madriti in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Ergo uti pura ſine macula Adami manet.*

1. Via divino lumine monſtrata.
2. Imago B. V. inter rudera
3. Imago hæres divitis.

NOvum non eſt Virginis Deiparæ Imaginibus, per nocturnos ſplendores indicari: novum tamen eſt, vel certè rarum, viam erranti monſtrari, & ad rectam ſemitam reduci. Eques per montes *Bætica* in tenebris nocturnis aberravit à via non admodum longè ab oppido, cui *Villa Eſcuſa* nomen, & quia Virgini addictiſſimus erat, ad preces & vota confugit. Cùm repentè viſo lumine recreatus, fulgorémque ſecutus eſt, diverſoriū quæſiturus; quæcunque tandem illa domus eſſet, quæ illum porrecto è feneſtra lumine tam officiosè invitâret. Et ſanè domum invenit, ſiquidem domus eſt, quæ jam dudum ſub ſuis ruderibus ſepulta jacuit. Vnde tamen hoc lumen alluceret, cùm inveſtigâret curioſus indagator, Deiparæ Imaginem invenit; & ut rem derelictam, ſuam fecit. Majus adhuc eſt, quòd hoc fulgore in viam, quam amiſerat reductus, in urbem vicinam facilè devenerit. Tanta porrò hominem erga Deiparam pietas prehendit; ut hanc jam ſibi ſacram Imaginem ſuarum opum hæredem ſcribere promiſerit Madritum delatam, ne honore publico careret, Monialibus Carmelitis dono dedit, & in templo S. Antonij, eo in Altari collocavit, quòd ipſe ſuo ære pulcherrimum fecit. Hæc prima & feſtiva S. Imaginis introductio populum ad ſimilia à Virgine ſperanda animavit: Vnde & Virgo in ſupplices quamprimùm benefica eſſe cœpit. Quintana l. 3. c. 111.

Fulgor

DCCCXLII.

DCCCXLII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE IESU. *Camari in Sicilia.*

***Progr*: AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.**

Anagr. ***Virgo ac Diva eſt, pura mali manet Amen.***

1. Dæmon bovis ſpecie.

2. Orans vulneratus.

3. B.V. Chirurgiam exercet.

CAmarum Siciliæ oppidum Imaginem habet Deiparæ miraculoſam in Templo RR.PP. Franciſcanorum ab anno 1428. Quod primum hîc loci miraculũ contigerit, unde miraculoſę titulum acquiſiverit, non habeo dicere, unum eſt, quod vel initium pietati dedit, vel ingens augmẽtum. Fuit hoc in loco Laicus Frater, *Jo: Camarinus* dictus, quia hoc in oppido natus is orationi nunquam non intentus, bilem movit dęmoni adeò, ut fęnum in cornu videretur habere: quod apud antiquos ſummi furoris ſymbolũ erat, ſi bovem pinxiſſent, qui fænum haberet intra cornua.

Vt omittam loqui de fæno, cornua certè ſibi fecit dæmon: nam Dæmon. bovem indutus ferocem oranti ante imaginẽ fratri, cornu ita in ventrem infixit, ut effluerent inteſtina. Et hæc ante Virginis Deiparæ Imaginem, Joannes in terrã collapſus, ſuum Deiparæ ſpiritũ cõmendavit, eo ſolo felix, quòd eum ante Virginis Imaginem eſſet daturus Virgini. Noluit Deipara, quem ille licèt cœlo maturus offerebat, ſpiritum; ſed jam jam exiturum inhibuit novo miraculo. Siquidem ex altari deſcendens officium Chirurgi & Medici fecit, & repoſitis inteſtinis etiam vulnus curavit. Hinc tanta populi in Virginem fiducia, & Virginis in populum beneficentia. Gonzaga p.2.

DCCCXLIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE MONTE SANCTO. *Villalonga in Hiſpania.*

***Progr.* AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.**

Anagr. ***Regis janua pura è malo, & munda, micat.***

1. Sculptum è ſaxo altare.

2. Suſpendendus prophetizat.

3. Oves genuflexæ.

COllis eſt, qui *mons Sanctus* dicitur propter Templum B.V. inuſitatâ prophetiâ prædictus. Ducebatur ad furcam homo nõ reus, ſed furcâ dignus *Jo: Herrero.* Furcâ dignus, quia ipſe, ſpectanti & circumfuſo populo faſſus eſt, ſe ob diverſa ſcelera furcam meruiſſe; reum tamen criminis non eſſe, propter quod nunc ad furcam damnatus eſſet. Vera in-

inquit, *me loqui eventus docebit eorum, quæ vobis nunc prædico.* Ita præparatis auribus: *videtis*, inquit, *hunc collem vicinum? in hoc poſt ſexennium videbitis Cœnobium Monialium, & Templum, in honorem Imaginis Deiparæ ædificatum, quæ hîc in colle reperietur.* Hæc fient, & vos videbitis, & innocentiæ meæ teſtes eritis. Nihil his motus judex eſt; ſed dato Carnifici ſigno, juſſus eſt pendere *Joannes Herrero.* Nec in omni populo fuit, qui ſententiæ inijceret remoram. Ita infelix laqueus animam eliſit, ſexennio ferè elapſo, paſtor felici caſu, cùm feſto *Aſſumptæ Virginis* oves domum ageret, duæ ex ijs deſerto grege in collem evaſere, & balatu paſtorem advocârunt. Ille cùm oves etiam in genua procumbentes videret, collem aſcẽdit, viditq; Statuam B. Virginis marmoream ſtaturę breviſſimæ: in hanc nempe oves intuebantur. Ille ante omnia in genua procidit; quod ipſum exemplo ſuo oves monuerant: dein etiam verbis Virginem ſalutat & veneratur; quod ipſum quoque ex ovium balatu didicit.

Propheтia.

Tum denique, quod oves non poterant, S. Statuam domum portat, & aliquamdiu cum uxore ſua in domeſtica eccleſia colit, erectâ ipſi arulâ, quantum in paupere domo potuit, pretioſâ. Rem omnem ubi intellexere illi, qui cum poteſtate ſacris præſunt, Statuam majore honore dignam, etiam repugnanti eripuerunt, fuere nimirum, quibus *Joannis Herrero* verba nondum è memoria abierant. Tempus ſexennij elapſum, Statua reperta: quid, ajebant, ſupereſt, niſi Templum, & templo junctum Cœnobium? ea fuit cauſa, ut dixi, cur etiam repugnanti Villico S. Statuam eripuerint, & decenter in altari principe Templi Parochialis collocaverint. Sed S Statua, quæ immota ſtetit in mapali paſtoris, eâ nocte Templum deſeruit, non ſine omnium horrore: ut qui vel Deiparâ loquente intelligerent, Superis chariora eſſe mapalia, quorum ſub tectis Deus eſſet inoffenſus, quàm Templa ſacrilegijs contaminata. Nemo fuit, qui Statuam quæreret. Vbi enim eſſet quærenda, ab ignaris morum, quas hæ SS. Statuæ habent, redeundi nempe ad locum inventionis? itaque poſtquam S. Statua ex oculis ablata eſt, etiam Deiparæ memoria è mentibus hominum evanuit; cùm idem paſtor aliquando gregem egit in collem illum, gregem inſolita lux terrens iterum abegit: & paſtor fulgorem inſolitum ſecutus ovibus cordatior, Statuam ſuam conſpexit, & totus gaudio perfuſus, in terram abjectus adoravit.

Statua.

Mores.

Sed veritus, ne iterum ei per vim eriperetur, eam infra veſtem & cutem ita abſcondit; ut ne per ſuſpicionem quidem adverti ab ullo poſſet. Ita ſub veſperum cum grege pagum ingreſſus, miratus eſt, domum ſuam velut obſidione cingi à multitudine, quam Parochus adduxerat, cui in mentem venit

nit S. Statuam fortè, ut ſolet, ad collem rediiſſe. Paſtor ſe quæri, & propter Statuam quæri, non vanè auguratus, interrogatur, num quidpiam novi ab illo tempore intellexiſſet de S. Statua. Ille contrà vim ſe armaturus, cùm manu in ſinum miſſà S. Statuam apprehenderet, ſuſpicionem quærentibus movit inventæ Statuæ, quapropter juſſus eſt reddere vel invitus, niſi vellet vim ſibi inferri. Eam igitur incolæ ſupplicatione ſolenni, & majore quàm antè ſenſu ab ædibus paſtoris ad Templum detulêre, & Parochus in S. Euchariſtiæ reconditorio repoſuit, ratus ob id ipſum antea receſſiſſe, quòd nullo honore fuiſſet excepta. Néve iterum fugeret, ſtatim decretum eſt ab incolis, Templum in colle ædificandum, cujus altare ſculperetur ex eo ſaxo, in quo S. Statua bis fuerat reperta. Colli poſtea nomen mutatum, ut qui antè *mons S. Chriſtophori* vocabatur, poſt hoc *mons Sanctus* appellaretur, quin etiam Monialium S. Franciſci Cœnobium additum. Ita eventus docuit *Joannem Herrero*, antequam fatales in furcam ſcalas aſcenderet, vera & futura dixiſſe: quódque notatu dignum, paſtor S. Statuæ inventor ejuſdem hominis & cognominis fuit, etiam *Joannes Herrero* vocatus: nec improbabile eſt, fuiſſe ſanguine invicem junctos. Nomen.

Blaſcus t.1.l.4.c.9.

DCCCXLIV.

Imago B. V. Miraculoſa. DE PLUMBO. *Bononiæ in Italia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *En mater ſed Virgo una pia immaculata.*

1. Ludus puerorum.
2. Imago è plumbo.
3. Pius emptor.

Reperitur B. V. etiam à non quærentibus. Cui enim ſimilem dicam generationem iſtam, niſi pueris ludentibus in foro? ludebant namque pueri eo in loco, è quo terra ad ſtruenda urbis mænia convehebatur. Reperit puerorum unus felici caſu triſtiſſimam *B. Virginis doloroſæ* Statuam è plumbo opere relevato fuſam, non imperiti opus magiſtri, lite orta inter ludentes pueros, quis eorum jure ſuam diceret, intervenit, qui ſoluto & diviſo inter pueros pretio eam redemit, & ibidem alto in loco & publico affixit. Unde quamprimùm & accurſus hominum, & vota, & miracula; & cum Confraternitate piè inſtituta, etiam Templum, ubi hodieque miraculis claret.

R.P.Franc.Adornus.S.J.

DCCCXLV.

Imago B. V. Miraculoſa. DE MONTE FILERMO. *Melitæ, in Inſula* Malta.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Caſum originalem evaſit, maneat pura.*

1. Pro atravento ſanguis.
2. Pro calamo gladius.
3. Dæmon vicus.

MElita urbs, Inſulæ Melitenſis Metropolis, unde ipſa inſula nomen accepit, S. Apoſtoli Pauli habitatione memorabilis, præter alia etiam illâ Deiparæ ſtatuâ S. gloriatur, quæ de *Monte Filermo* nomen habet. Et erat ſanè olim in Monte Filermo, quæ in inſula Rhodo eſt, culta; ſed cum reliquijs Heroum Rhodiorum migravit in inſulam Melitam, & nomen ſuum retinet de Monte Filermo, Rhodiorum Heroum vnicum monumentum, quos fuiſſe paulò pòſt non ampliùs credemus; quia natura ampliùs tam potens non eſt, ut eiuſmodi milites procreare queat, quemadmodum fabuloſi creduntur gigantes, qui olim in Sicilia vixere, ex quo terra malos homines nunc educat atque puſillos. (M. Filermo.)

Miraculoſa ſemper fuit, dum adhuc eſſet in Inſula Rhodo, ſed quis ibi deſideret ſcriptores, ubi pro atramento ſanguis, pro calamo gladius occupabat etiam doctas manus, ita volentibus & jubentibus Turcis? ſed nec ex Inſula Melita, ubi hodiéque in ſummo honore eſt, affero niſi unum, ſed grande miraculum. (Atramentum.)

Fuit anno 1515. Sacerdotis Græci uxor: hæc à Dæmonibus obſeſſa huic ſe, S. Statuæ devovit. Coram hac conſueti Eccleſiæ Exorciſmi ritè adhibiti coëgerunt quàm plurimos orci incolas per vomitum exire. Variæ, ut ſolet, fuerunt Dæmonum figuræ: nunc vitri ramenta, nunc aciculas, nunc clavos, fila in glomerem revoluta majorem, quàm guttur capere poſſet, aliáque: maximè tamen, & magno numero erant ranæ, & quidem vivæ: quæ tamen paulò pòſt vivere deſierunt. Tandem animal per vomitum ejecit vivum, & incognitæ ſpeciei, nulli, quod mundus viderit, ſimile, quódque in cavea cuſtoditum ultra annum ſine omni cibo potúq; vixit. Vivum dæmonem vidêre tunc Melitenſes, monſtrum ingens, immane (ſi dæmonem, non figuram animalis conſideres) cui lumen ademptum, quo viam ad Cælum videre poſſit. Hunc virgo ſpectandum hominibus dedit electuris, an ſibi, vel illi ſervire malint. Rem creditu difficilem per Notarium publicum ex Archivo extractam, & magni Magiſtri nomine deſcriptam, eiúſque ſigillo majore munitam, ad me miſit R. P. Franciſcus Manthus Soc. Ieſu Rector Collegij Melitenſis. (Energumena.) (Vomitus.)

DCCCXLVI.

DCCCXLVI.

Imago B. V. Miraculoſa.
INCARNATO.
Damaſci in Oriente.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Sola in adventu micat Gemma pura irâ.*

1. Lignum incarnatum.
2. Miracula etiam in Turcis.
3. Miracula & in Judæis.

PRæterire non poſſum illam Deiparæ prorſus miraculoſam Imaginem in tabula lignea pictam, quam olim Chriſtiani Damaſceni venerabantur propter ingentia miracula: quæ demum tot piorum oſculis attrita ſic eſt, ut evaneſcerent colores: his tamen nunquam viſo miraculo ſucceſſit caro; ita ut Imago carnea ſimul eſſet & lignea, vel certè incarnatum lignum.

Et quia Deipara nulla nobis præſtat miracula, quæ non ſimul ſint beneficia miraculis ûtiliora; ſic etiam eandem miraculoſam carnē utilem eſſe voluit non Catholicis modò, ſed & Hæreticis, imò Turcis, Judæis, Mauris & Saracenis: ut omnibus omnia fieret, & ubique Chriſtum filium ſuum, ſiquidem ſibi ipſis non obeſſent homines, lucrifaceret. Oleum, inquam, ex hoc miraculoſo & incarnato ligno effluxit tantæ virtutis, ut præ cæteris, quæ unquam mundus vidit, univerſale antidotum diceretur & eſſet; tantâ porrò copiâ, ut & in varias Mundi Regiones divideretur. Plura Cardin. Baron. ad annum 870.

DCCCXLVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE IESU.
Valentiæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Sit munda malo Eva, at puri mater Agni.*

1. Prudentes ſicut ſerpentes.
2. Furta multa felicitate carent.
3. Miraculum venerab. Sacramenti.

PRogreſſus hujus celeberrimi Monaſterij Ordinis S. Franciſci à furibus pendet, à quibus ordiendum eſt. Anno 1478. Conventus hic olim à Rege ædificatus jam titulum ſuum habebat, & Imaginem Deiparæ utique jam miraculoſam. Sed eo anno hæc Deiparæ Imago longè magis inclaruit propter Sacellum in vicinia exædificatum. Fuere fures duo, eò ſceleratiores, quòd inter ſacra & profana neſcirent diſtinguere: aurum modò eſſet, aut argentum, quem dominum haberet, inſuper habuerunt. Ita hoc ingreſſi, aperto per inſtrumenta S. Recondiiorio, Thecam argenteam unà cum SS. hoſtijs abſtulerunt, & paucis paſſibus Ven. Sa-cr.

à Monaſterio illibatam infra terram defoderunt, nullâ è S. Hoſtijs exemptâ, prudenti conſilio: expectandum eſt, dumdeferveat primus judicum ardor; curandum, ne fures, aut furtum innoteſcat. Furtum ſecurè latet, latebimus & nos, ſi in partes diſtrahamur longinquas; dum tempus veniat, quo inter nos prædam hanc argenteam dividamus, vendamus, abliguriamus. Tanta prudentia ſine longa exercitatione acquiri non potuit. Abiere in diverſa, alter eorum Barcinonæ ob furta minùs feliciter perpetrata in vincula conjectus, cùm ad furcam pararetur, inter vota, quæ reis conceduntur, fuit, quòd ſummis precibus R. P. Guardianum Franciſcanum expoſceret, habere ſe res maximi momenti cum ipſo conferendas. Venit ille: Cùm devotum furiæ caput aperit, quomodo ante aliquot menſes Valentiæ S. Hoſtiarum thecam furto ablatam defodiſſet, & ubi; Guardianus vivo ipſorem tenuit occultam. Tum Valentiam ſcripſit, & locum indicavit, in quo theſaurus eſſet quærendus.

Furca

Confeſſionis.

Quamprimùm R. P. Quardianus cum toto conventu ſupplicantium ritu ad locum proceſſit, & poſt brevem foſſionem invenit S. Thecam, eam aperuit, & S. Hoſtias omnes integerrimas, nihil à terræ humiditate tot menſibus paſſas ſuſtulit. Actæ ſunt ante omnia Virgini gratiæ, quæ ità filium ſuum cuſtodierat. Cæterùm in loco Sacellum exſtructum eſt. Coram hac S. Imagine quidam S. Ordinis Sacerdos diem mortis ſuæ intellexit, & audientibus prædixit; poſt mortem quoque anno 1540. ante Altare Feſto *purificatæ Virginis* Socio ſuo apparuit, & ſe unam ſolam horam in purgatorio fuiſſe nuntiavit, ſed horam pro omni Ævo longiorem Gonzaga p. 3.

Sacellum

Purgatorium.

D CCC XLVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE ARCU.
Madriti in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Unica ſumma Agni Mater ideo alte pura.*
1. Nemo bonus Dæmoni ſervit.
2. Horror peccati.
3. Luſores audaces in Scelera.

Dicta Virginis Deiparæ Imago alicubi in Italia fuit, quæ quia dæmoni inviſa, integra diu (ſic permittente Deo) eſſe non potuit. Jam ſcit Alaſtor infernalis, neminem è bonis hoc ſibi facturum lædendæ Imaginis obſequium: ſed nec è diſcolis, etſi magnis & primæ claſſis peccatoribus, quenquam adoriri audet. Horrent capilli ne dum animus etiam projectiſſimi & ſceleratiſſimi ad tā grandis peccati mentionem. Luſores, ſi exercitati ſunt, ad hoc ſcelus valent; eorum unum, quid enim alios in ſuſpicionem adducam, quibus hoc ſcelus jure nullo, nec per umbrā imputari poteſt; eorum unum, inquam, infelici aleâ ad ſcelus invitavit lædendæ

S. Ima-

S. Imaginis proximo ſilice, quod ita feliciter ſucceſſit, ut felici fugâ elapſus ſit, & nemo S. Imagini multùm condoluerit, dando honores, quibus tam atrox contemptus penſaretur: uſque dum quiſpiam Hiſpanus S. Tabulam gravi ictu non parùm devenuſtatam ſecum in Patriam Madritum attulit, & ſanctimonialibus diſcalceatis Carmelitanis dono dedit: quæ illam in templo expoſuerunt, & dignis honoribus colere cœperunt: unde & populus ſua vota cōtulit, & ea beneficia abſtulit ut meritò inter miraculoſas numeretur. Quintana.

Tentatio

Imago.

DCCC XLIX.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE PLANCTU.
Alicubi in Jtalia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Iò una integerrima cavet lapſum Adam.*

1. *Planctus ſanctorum.*
2. *Oculi camporum.*
3. *Imago ingemiſcens.*

NEc ipſi Superi in terra locum inveniunt, ubi ſoli, & inobſervati, mala noſtra plangere queant. Imago Deiparæ, ſive relicta, ſive derelicta in obſcuriſſima ſilva jacuit. Hæc in lacrimas effuſa, ſacrilegi impium facinus deflevit, quin lacrimis ejulatus addidit tam altos, ut per omnem ſilvam facilè audirentur. Nam ut campi oculos, ita & ſilvæ aures habent. Otioſus paſtor in omnia nova intentus, auditis ejulatibus fœmineis, nihil jucundum mente volvens, timidè ſecutus eſt vociferantem, ne fortaſſis & ipſe in latronum quodpiam facinus incideret, periculo plùs ſuo, quàm alieno. Cautè itaque progreſſus, Imaginem Deiparæ in terrâ jacentem invenit.

Gemitus

Hæc lacrimas fundebat: hæc gemitus edebat & ejulatus. Ille non auſus tangere tanto portento ſacratam tabulam, orare tamen flexis genibus inſtitit, ut gregem interea non deſereret: & orationem brevi abſolvit, moniturus vicinos pagi incolas, priùſquam lacrimis & ejulatibus Virgo finem faceret; ne ſibi ſoli aſſerenti fides non eſſet. Venerunt, viderunt, audierunt, & quamprimum collatis operis & pecunijs in loco ſacellum ſtruxerunt: quod deinde miraculis clarere cœpit, atque etiam in templum excrevit, quia locum apud Auctorem non inveni, nec apponere potui. Io. Bapt. Alberti.

Teſtes.

DCCCL.

DCCCL.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE MISERICORDIA.
Madriti in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Eva ſtat munda prima origine macula;*

1. Innocentia punita.
2. Petitur ab innocente miraculum.
3. Statua Ambulans.

SAnctiMonialium Monaſterium Madriti eſt, quod *Conceptionis Bernardæ* vocatur: vulgò tamen *de Pinto* Nomen habet. In hoc ſtatua eſt S. Annæ, quæ filiolam triennem brachio tenet. Accidit, ut Monialis quæpiam accuſata, pœnas daret criminis, quod nũquam cogitaverat. Atque ut innocentia oppreſſa nemini non dolores creat, ita hæc miris modis diſcruciabatur, & Deiparæ coram hac S. ſtatua ſupplex facta id etiam poſtulare auſa eſt, ut miraculo ſua innocentia innoteſceret, & verò etiam obtinuit: ſiquidem omnibus inſpectantibus Maria ex ulnis Annæ Matris in altare deſcendit, & progreſſa ad cornu altaris ſupplicanti vicinam ſe ſtitit. Miraculum hoc ſtantis & avulſæ è manibus Annæ ſtatuæ Marianæ in teſtimonium innocentiæ acceptum eſt utique, poſtquam rea hoc ſe à Deipara poſtulâſſe, palàm edixit. Ita redditus Monali ſuus honor., & Virgini actæ gratiæ, datúſque titulus *de Miſericordia:* qui populum accivit ſimilia, vel etiam alia petiturum, & quia quamplurimi, ac in rebus magnis, opem miraculoſam invenere, inter miraculoſas numerari merito cæpit.

Innocentia.

Quintana l. 3. c. 98.

DCCCLI.

Imago B. V. Miraculoſa.
CHAVANA.
Chavæ in Luſitania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Eâ grandi macula aperte immunis ovat.*

1. Fames eſt hoſpes infamis.
2. Miraculoſa Natatio.
3. Sepulchrum Regium.

CHaves oppidum Luſitaniæ, non incelebre, miraculoſam habet Deiparæ Imaginem in templo RR. PP. Franciſcanorum, tanti nominis, ut coram ea *Alfonſus 1.* Brigantinorum Dux, & *Ioannis 1.* Portugalliæ Regis filius, erecto ſibi ſumptuoſo Mauſolæo, tumulari voluerit. Vnum è miraculis, quod pietatem antiquam vehementer auxit, hîc adnumero: unde dicamus, nullo nos obſequio honorare Virginem, quin mercede præſenti, & vel noſtro judicio, meritis noſtris majore operam no-

noſtram ſolvat. Anno à Chriſto nato 1550. Cùm Iamacus fluvius, qui oppidum inter & RR. PP. Franciſcanorum Cœnobium labitur, ita eluvione repentinâ exundâſſet, ut pontem licèt altiſſimum operiret; plurimùm de vita periclitati ſunt RR. PP. Franciſcani, ut qui aquis vndique obſeſſi eſſent. Nam *undique pontus erat, deerant quoq; littora ponto:* & omnia præſentem mortem viris etiam cordatiſſimis intentabant. Atque ut Neptunus quiſpiam fluctus componat, eóſque ab aquis tutos reddat, quis famem domabit; infamem hoſpitem, & aquis ferociorem? Miſit virum Deipara *Jacobum Feixetrium* exigui cenſûs hominem, is oſtiatim panem mendicare inſtituit: & verò etiam citiùs multorum opinione equum fortiſſimum pane oneravit, quem & ipſe quoque conſcendit, & aquis ſe commiſit, ſolâ Deiparæ invocatione tutus; quis enim crederet, equum bis oneratum, fluentem hunc lacum tranaturum? quem vires ſuffecturum, ſi jumentum in medijs fluctibus deficiat? atque ut hæc ſint, quis ipſi Iacobo vires dabit, quibus equum inter natandum animet; cùm ipſe, prò dolor! duplici herniâ bis miſer, nulli minùs operi aptus, quàm equitationi, morti propior ſit, quàm ipſi, quos à morte revocaturus eſt, religioſi patres? His tamen ille inſuper habitis, ſpretiſque periculis, invocatâ Virgine, cum equo ſe aquis commiſit: quem voce, moríſque interdum habenis revocavit ad virium memoriam. Ita natatu per plurima vitæ pericula pervenit ad Monaſterium, ubi à Fratribus, qui à Virgine annonam & panem quotidianum poſtulabant, exceptus eſt & ipſe, accenſo foco & pane refectus, inter lætos amplexus laudantium Virginem, quæ ſuos non deſerit.

Eleemo-ſyna.

Nec moram paſſa eſt hæç amicorum per jucunda familiaritas: etenim auctum aquis flumen feſſo equo majora in reditu minabatur pericula. Redeundum Iacobo fuit, ut ſupereſſet, qui ſecundam, ſi opus eſſet, annonam ferret.

Itaque Virgini ſe breviter commendans, equum conſcendit, & Fratres quoque rogavit, ne ab oratione ſurgerent, priuſquam eum in altera ripa viderent: tũ: equum admotis calcaribus egit in aquas, & iterum per eadem & majora pericula ripam tenuit. Iacobus quanquã Virgini mercedem differenti in alteram vitam non difficulter aſſenſit; præſentem tamen mox altero manè invenit, & quidem duplicem pro duplici periculo exantlato: nam expergefactus ab utraque hernia liberum ſe & immunem reperit. Inde Virgini gratiæ, inde Concurſus, & Virginis quoque beneficia aucta. Gonzaga 3. p.

Charitas.

Miraculum.

DCCCLII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE MONTE.

Villavæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Agni devota mater ſine impurâ maculâ.*

1. S. ſtatua grave onus pro mulo.
2. S. Statua vult portari humeris.
3. Pietas in B.V.

QUam RR.PP. Franciſcani Deiparæ ſtatuam miraculoſam habent, prope villavam ſeſqui milliari, eam pro miraculoſâ jam dudum antè coluerunt non tantùm Villavæ, ſed & Saffræ cives. Inventa hæc Statua eſt in pomœrio penè Villavæ, ideſt, ſeſqui milliari ab urbe, nec longe à flumine *Quadaxira.* Inventam Saffrani cives mulo impoſuere & Saffram deduxere, congruis honoribus in templo ſuo culturi. Sed mulus vix dimidium itineris emenſus, oppreſſus ſacro pondere in terram cecidit, & in gramine ſe explicuit: auctor etiam medium crepuiſſe aſſerit.

Cives Saffrani, non ignari, quid Virgo vellet, confeſtim S. Statuam humeris ſuis ad eum locum depcrtavere, in quo eam invenerant, & ære ſuo quamprimùm Deiparæ templum ſtruxerunt, digni qui prima beneficia acciperent: quod & factum. Hinc occurſus populorum, & pro miraculoſis beneficijs munera. Hinc congeſtæ in gazophylacium pecuniæ: quæ, quia cuſtodibus opus erat, in Cænobium inſumptæ ſunt, quod RR. PP. Franciſcanis traditum eſt, qui inchoatam olim pietatem conſeruant, & in dies augent. Gonzaga. Templum. Cænobium.

DCCCLIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE VIRTUTIBUS.

Azambuciæ in Luſitania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Virgo munda macula mater ſapientia.*

1. Pax perpetua.
2. Bos inventor S. ſtatuæ.
3. Simplicium pietas provocat miracula.

PRiùs inter Caſtorem & Pollucem, inter Pyladem & Oreſtem inimicitias feceris, quàm inter Deiparam & paſtores: adeò hæc in æternum duratura pax in mapali Bethlemitico coaluit, non alium, ob finem, ut opinor, quàm ut ſciremus, eos qui primos illi honores deferunt, nunquam oblivioni tradendos. Bubulcus in pratis Azambuzianis armentum paſcebat, cùm taurus ab armento diſcedens coëgit paſtorem curioſum, ut ſequeretur; tum ne taurus avia & devia

devia perefrans perderetur, tum ut intelligeret, quis magnes, quæ Cynoſura traheret animal, & ad quid attraheret.

Itaque gradu lento ſecutus, invenit beſtiam in genua provolutam, oculis in arborem proximam ſurſum erectis, orare beſtiam ruſticus credidiſſet, niſi docente fide ſciviſſet, eas orare creaturas non poſſe, quæ ratione carent. Arborem tamen, ejúſque ramos oculis perluſtrans, ſtatuam Deiparæ conſpexit eburneam ſeſquipedalem. Ille quamprimùm exemplum ſecutus, quod paulò antè miratus erat in tauro, prolapſus in genua, S. Iconem veneratus eſt: tum ne Virgini deeſſet tectum è camportatis Arborum ramis mapale conſtruxit: quod quia ille ad ſuæ architecturæ leges figuravit appellare libuit ſacellum: & Azambucianos ſuos invitavit in cultûs Mariani ſocietatem. Provocavit Virginem ſimplicium hæc pietas ad miracula, quæ intra paucas hebdomadas tantum auri attul.t, ut brevi ſacellum ſtaret Virgini in eodem loco decore exædificatū. Atque hęc contigerunt anno 1403. Ex hoc ſacello anno 1438. Princeps *Eduardus de Feria* templum fecit, eique Cænobium adjunxit, & RR. PP. Franciſcanis tradidit, qui S. ſtatuam curant, Peregrinis SS. Sacramenta adminiſtrant, locúmq; miraculis celebrem in dies celebriorem faciunt. Gonzaga.

D C C C L I V.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE VIRTUTIBUS.

Dinanni in Gallia.

Progr. AVE MARIA; gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Regia pura Sion munda & immaculata.*

1. *Bellum ſacrum S. Ludovici.*
2. *Miles votum Religionis facit.*
3. *Ex milite Religioſus.*

NObilis & illuſtris origo eſt hujus templi; quia Nobilem & Illuſtrem fundatorem habet, *Dominum de Davalgour*, qui iturus in terram ſanctam, cum S. Ludovico votum Deiparæ fecit, ſe *Dinanni* è palatio ſuo templum cum Cænobio facturum, & RR. PP. Franciſcanis traditurum; ſi cum Rege ſanus & ſalvus rediret; inſuper & ordinem S. Franciſci ingreſſurum. Ratum habuit votum S. Franciſcus; quin etiam ei apparens, Regis reditum ei prædixit: ipſe modò curaret, ne promiſſis deſit. Nec defuit: etenim redux in urbem uſque Pariſienſem cum Rege, antè omnia à Rege licentiam petijt, majori domino ſerviendi & quidem ſub Regula S. Franciſci, ſtupente Ludovico ad tantam viri virtutem, & omnia proſpera apprecante.

Imago B. V. miraculoſa, quæ in eo templo ſummis honoribus colitur, à *S. Bonaventura* tunc Ordinis ſupremo Miniſtro miſſa eſt, S. Bonaventura.
& novo templo donata: quæ ubi ſedi ſuæ illata eſt, quamprimùm

miraculis coruſcare cœpit. Quibus Fundator Cænobij vehementer in propoſito ſuo confirmatus eſt. Vixit ille in eodem Conventu, & vitam felici fine clauſit; qui domum ſuam reliquit, & eâ tamen nunquam egreſſus eſt: cùm tamen Abraham domum ſuam relinquere non potuerit, quin eâ egrederetur Gonzaga.

DCCCLV.

Imago B. V. Miraculoſa
DE MONDARA.
Mondare, in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA gratiâ plenâ Dominus tecum.
Anarg. *Angela amiſſa nitore, diva ſummè pura.*

1. Maritus avarus Vxoris piæ.
2. Cordata pietas fæmina.
3. Converſio mirabilis.

HÆc Deiparæ miraculoſa Imago jam dudum ante *Alexandri VI.* Summi Pontificis tempora in perantiquo Sacello ſtetit, ſine illis tamen honoribus, quos olim acceperat; atque etiam ſine miraculoſis gratijs, quæ rarò gratis dantur à Virgine. Quanquam enim divitias noſtras regina cœli parvi faciat; honores tamen & laudes, quas ei damus, magni facit, & magnis beneficijs compenſat. Rediêre huic S. Imagini honores, cùm à dicto Pontifice ceſſit Sacellum hoc RR. PP. Franciſcanis: rediere quoque miraculoſi favores Virginis, & tum potiſſimùm auctus eſt ſupplicum & miſerorum concurſus, cùm Maritus quidam vxorem durè haberet, quòd Fratribus, plùs quàm ipſe vellet, beneficam & liberalem ſe præberet: ſi tamē abſuit ſuſpicio ſceleris ſecretioris. Liberalitas.

Semel cùm domū fæmina rediret, poſt erogatam liberalem eleemoſynā, Caniſtro bene magno panibus evacuato; maritus in iras exarſit, & exequi mortem meditatam pugione conatus eſt: ſiquidē in tetram vxorem dejecit, & ictus repeuit certo certiùs quamvis clamantem interfecturus; niſi identidem vel pugio manibus elapſus fuiſſet, vel vires eū defeciſſent, nullo alio repetitos ictus fruſtrante, quàm quòd identidem Deiparam *de Mondara* inclamârit. Feſſus tandem labore irrito, cum ad ſe redijt, & vxoris innocentiam ſat ſuperq; miraculis probatam agnovit, approbavit & confirmavit: inſuper & ipsā Deiparam eo honore affecit, ut alterā die malū factum RR. PP. Franciſcanis aperuerit, & debitam Virgini gloriā dederit. Gonzaga. Converſio.

DCCCLVI.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE PARIETE.
Nolæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Revera, pactum Adami non ligaſti Evam.*

Ima-

1. Imago inter vepres.
2. B. V. revelatio.
3. Sacellum & Templum.

VRbs Nolana Regni Neapolitani decus, plura habet & in urbe, & intra pomæria, Deiparæ ſacra loca. Vnum habet præ cæteris Templum, quod *de pariete* nomen habet, non ſuo, ſed alieno; illo nempe, in quo picta eſt Imago Deiparæ, quam in Templo hoc veneratur, & colit urbs Nolana: Paries iſte cum ſua Imagine infra terram fuit, ſive ſuperingeſtâ mole depreſſus, ſive olim à majoribus infra terram ſtructus, ita ab omnium oculis ſemotus, ut ne per ſuſpicionem quidem adeſſe murus etiam à curioſis crederetur: ita fuit ſentibus quoque & denſiſſimo vepreto tectus, & abſconſus. Imago.

Voluit Deipara in hac Imagine honorari, & per hanc ſe ſupplicibus clementem exhibere, ſed quis tempora expectet, quæ ſepultam eruant? Fæminam Virgo elegit, cui per viſum apparens juſſit, ſub ſenticeto infra terram murum quærere, & in muro ſuam Iconem publicis honoribus exponi.

Fæmina quæſitam inventamque Imaginem ubi vicinis oſtendit, facile illos ad ejus cultum accendit, maximè poſtquam aliqui eorum miraculoſas experti gratias, famam ulteriùs propagârunt; dum ipsâ Virgine per plurima miracula palam loquente, murariorum operâ S. Imago muro exempta, Sacello primùm è collatis eleemoſynis honorata eſt; deinde etiam Templo. Fæmina.

Néve periret fæminæ memoria, Architectus ſupra portam marmori hæc inſcripſit. Templū.
D. O. M. & Deip. Virgini, cujus hæc olim Imago ſubterranea, ſepta vepribus, æmiliâ ſcalâ divino monitu indicante, erecta, miraculis latè claruit, & à pariete, in quo picta eſt, nomen habuit, Anno 1514. 12. April.
Spinell. in thr. Deip.

D C C C L V I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE OLIVA.
Nominchiaræ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Ea JESVM lactat nam Dei Virgo, nam pura.*

1. Venatio regia.
2. Fidelis Conſiliarius.
3. Gratitudo erga B. V.

ANtiqua & receptiſſima, ſed nullo firmata Scriptore traditio eſt, Statuam hanc Deiparæ in Olivâ à quodam inventam: quis tamen ille fuerit, vel quo tempore id acciderit, ignoratur. Rei igitur novitate & primis miraculis convocatos accolas Eremitorium S. Statuæ ædificâſſe, ac cuidam devoto Eremitæ inhabitandum tradidiſſe. Hæc, inquam, antiqua & fidelis traditio eſt, cui meritò fidem adſtruimus. Conſiliarius.

Joannes II. Caſtellæ Rex intempeſtâ nocte à ſuis in vena-

tione avulſus, huc divertit, & ab Eremita comiter acceptus eſt. Felix Conſiliarius fuit aulicus ille, qui ſolus Domini ſui latus non deſeruit: is enim Regi ſuaſit, & perſuaſit, ut Virgini Deiparæ gratus eſſet, quæ ei & hoſpitium, & hoſpitem ea nocte dediſſet. Rex ex Eremitorio Templum fecit, & RR. PP. Franciſcanis tradidit. Hinc major adhuc concurſus, & plura Deiparæ miraculoſa beneficia.

Unum ex omnibus maximè obſervo, Aulici hujus nomen: Eum auctor vocat *Alvarum de Luna* Cometabilem Caſtellæ: & ſi quidem is infamis illa fortunæ pila fuit & tot theatrorum materia, ſperari poteſt, condignâ eum pœnitentiâ vitam finiviſſe. Gonzaga.

D C C C L V I I I.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE MONTE BRUNO.

Genuæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Agna cara. manè eludit verſutiam pomi.*

1. Felix paſtoris otium.

2. Aliqui cæci fiunt ut videant.

3. Certamen pium.

SCulptoris opus eſt hæc Deiparæ Imago, quam appellare Statuam non audeo: ſex palmos tabula habet in altitudine, quis eam arbori appenderit in hujus montis denſiſſima ſilva, & longè à ſemita trita ignoratur.

Paſtor felici otio ſilvam perrerrans eam invenit, tanto ſtatim gaudio delibutus, ut nihil niſi cœleſte in animum admitteret. Primi occupantis eſt, ait, bonum hoc derelictum, nec publico prodeſt: quis enim huc venire vel poſſit, vel velit? nihil erravero, ſi meam eſſe dixero, & domum portavero majore honore colendam.

Jámque altiora deſideria paſtoris piam mentem ſubiere: jam enim deſtinaverat, quo ritu uxor & liberi, & ipſe quoque domi ſuæ Virginem vellet excipere, ubi & quam decorè in paupere mapali collocare vellet, quibus denique honoribus & quoties affici deberet, quis flores carpere, quis corollam texere è domeſticis aptior. Inter hæc hanc non ſatis ſub gauſape abſconſam dum domum defert, effugere oculos Toriglianorum accolarum non potuit, qui fortè per ſilvam illam iter fecere. Hi operis venuſtate rapti, cui ipſa Deipara, decoris quiddam ſupra naturam & artem addidit. Hæc, inquiunt, tabula Templo digna eſt, ſimul repugnanti pro viribus, & pro domo ſua multum dicenti, eripiunt, portaturi *Toriglium*. Vtraque ſedes Deiparæ diſplicuit, & paſtoris mapale, & oppidi Torigliani Templum, quapropter pios prædones vix paucis paſſibus progreſſos Deipara cæcos fecit, non alium in finem, quam ut vide-

viderent, ubi ipſa ſedem vellet. Illi quamprimum de ambitu, ac deinde de vi ruſtico illata indoluerunt, & Templum hoc in loco voverunt ære ſuo induſtriáque exædificandum. Voto vix emiſſo recepere viſum, jam ſolliciti de voti executione; ut qui majora cenſu ſuo voverant, ſed cives Torrigliani in partem ſumptuum non difficulter & promptiſſimè concurrerunt, atq; hæc eſt origo Templi in hodiernum uſq; diem miraculoſi. Jo. Bapt. Alberti.

DCCCLIX.

Imago B. V. Miraculoſa. DE SALICETO.

Pennalverij in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. ***En denuo gemma mira ac puritatis aula.***

1. Error viæ felix.

2. Omnis vere Nobilis ingenuus eſt.

3. Gratitudo erga B.V.

ORdo militum S. Sepulchri, multa, ut alibi dico, ſcriptu digna fecit, quæ magno Reipublicæ damno ignorantur. Duo ex ijs, per hæc aſpera & montoſa Pennalverij loca fecerunt iter, cujus incommoda auxit non parùm frigus hibernum, & denſiſſimus imber: nox quoque ſuperveniens viatoribus iſtis tantùm non mentem eripuit, ignaris ubi vitam tuerentur: nedum ubi commodè pernoctarent.

Equites. Itaque ad preces & vota converſi, Deiparam Patronam ſuam in terram proſtrati invocant, Templúmq; ſpondent, pro vita. Cùm eis Deipara ſe videndam dedit in Salice, & multâ luce conſpicuam. Quin etiam eos alloqui dignata eſt, quietámque precari noctem, & itineris felicem exitum. Sed & illi quoque, quia Nobiles adeòque ingenui, exædificato Templo quamprimum & gratitudini & voto ſatisfecêre. Salicem abſcidêre, ad altitudinem altaris relicto trunco: cui lapidem impoſuêre, qui altaris officium faceret, ne præſtiti beneficij memoria periret. Salix. Templum hoc anno 1376. ceſſit RR. PP. Franciſcanis, primum omnium, quod Obſervantibus cederet? quod quia pro ſingulari beneficio à Deipara acceperunt, eam ob cauſam eorum ſingulari cura factum eſt, ut & B. Virgo hìc loci ſingulariter benefica & liberalis eſſet.

Gonzaga. p.3.

DCCCLX.

Imago B. V. Miraculoſa.

Alicubi in Germania Inf.

DE SIGILLO.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *En Evam, Dei cor, Agnam puritatis aulam.*

1. Tentatio Novitij.
2. Imago data ab ipſa B.V.
3. Tentatio probat non evertit.

HAbet Novitius cujuſcunque Religionis tentationes ſuas, quibus cum pugnet, nec inimicis caret, quamdiu Dei amicus eſt. Aſperitas novæ vitæ, ſeu rigor Religionis negotium faceſſit magnum: adhuc majus & duplicatum habet, cui dæmon dubia objicit fidei, ſitne Romana Catholica Fides, an cujuſpiam impij & novi hæreſiarchæ ſecta, Tentatio verior. Hanc pugnam dæmon Novitio cuidam è Franciſcana Familia dedit, & ſuſpicione Fidei Catholicæ afflixit.

Ille jam non par inimico, deſerere Ordinem ſtatuit. Ne tamen inſalutato hoſpite diſcederet, Templum adijt, & coram Imagine Deiparæ in genua ſe abjecit, queſtus inter gemitus & lachrimas, ſe ab illa deſertum, cui per omnem vitam ſervire in hoc Ordine Religioſo decreviſſet. Illa miſero conſpicuam ſe dedit, & tenebris diſpulſis; *ſum tua*, inquit, *& tu meus es.* Tentatio te probavit, non evertit. Perge, neve de hac ipſa viſione dubites, cape, quod porrigo: ſimul Imago ſigillum dedit, in quo Virginis Imago ſummo artificio erat ſculpta, i nunc, & nega utramque Imaginem eſſe miraculoſam: neque enim dubitare licet, utramq; re intellectâ, alios quoque ad preces ritè conceptas Virginem ſibi habuiſſe propitiam. Chron. FF. Minorum p.2. l.4. c.14.

DCCCLXI.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE IMMAC. CONCEPT.

Genuæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Gravamen pomi Adam rutila neſcit Eva.*

1. Feſtum Immac. Concept. B.V.
2. Proceſſio imperata.
3. Peſtis urbe pulſa.

DUo Templa ex una origine produco, Anno 1579. Genuenſis Vrbs gemebat ſub luc peſtifera nulla ſunt inventa remedia, quæ malum ſiſterent; nedum, quæ abigerent: RR. Patrum Capucinorum Provincialis unà cum duobus notæ virtutis noctē integram in oratione conſumpſit, tantæ calamitati finem impoſiturus. Exauditæ ſunt preces.

Sin-

Singulis revelatum, fore finem malo, ſi Senatus ſupplicationem inſtitueret ad honorem Immaculatæ Conceptionis, votóque facto ſponderet hunc diem feſtum perpetuum. Stetit Senatus verbo trium teſtium, ſupplicationem indixit, voto feſtum diem promiſit: & omnem ſubitò calamitatem urbe totâ pepulit. Hinc originem accepit Sacellum Immaculatæ Conceptionis in Templo S. Petri in Banchi, & Templum RR. PP. Cappucinorum in ejuſdem Virginis Immaculatæ Conceptionis honorem, quibus in locis deinde concurſus populi Deiparam etiam ad alia miraculoſa beneficia lacrimis & precibus coëgit. Annal. Capucc. Anno 1556. 1606.

DCCCLXII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE SUCCURSU. *Aldeæ in Luſitania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *O repugnant maculæ Adami Matri JESV.*

1. Titulus miracula probat.
2. Concurſus miracula probat.
3. Curatorum diligentia.

ALdea Galega pagus eſt Luſitaniæ in Archiepiſcopatu Oliſipponenſi, non longè abhinc ædes Deiparæ ab antiquo ſtetit. Origo hujus Sacelli vel ipſorum agricolarum memoriam fugit. Ad hæc non adſunt litteræ, quæ deſideratam originem prodant, quis enim litteras quærat inter illiteratos? Duo tamen ſunt, quæ miraculoſam hìc fuiſſe Statuam convincunt, primum eſt titulus *de Succurſu*, qui ſatis ſupérque indicat, ſperata auxilia in rebus perditis hìc fuiſſe inventa. Secundum concurſus undique magnus, qui & ipſe non cietur, niſi à ſperatis vel obtentis beneficijs, hæc tamen omnia ſenium ſuum habuêre; ſi tamen non omnino evanuerunt.

Anno 1572. incolis cùræ fuit, Deiparam ad antiquam in ſupplices pietatem excitare: & nulla fuit melior ratio reperta, quàm quòd Sacello communibus operis adjunxerint, Cœnobium, & RR. PP. Franciſcanis tradiderint: qui utprimùm Virginem acceperunt in ſua, atque Sacelli aliquam curam habuêre; iterum & miraculoſa beneficia, & populorum accurſus rediêre, quæ loci celebritatem auxerunt, quin quamprimùm durante etiamnum fabrica, miracula aliqua recenſet patrata, auctor, quę tamen, quia communia ſunt omitto. Gonzaga.

DCCCLXIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE RABIDA. *Palæ in Hiſpania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Ea tumpia Roſa munda, tum cœli Regina.*

1. Statua in mare projecta.
2. Eremita Arabs.
3. S. Statua retibus capitur.

PRopè oppidum Palos lapidea Virginis Statua in veneratione eſt. Hæc ſolum ſalúmque experta, utrobique ita miraculis claruit; ut titulum de miraculis acquiſiverit. Mauris Hiſpaniam domantibus, credibile eſt, ab impio quodam Saraceno hanc S. Statuam in Oceanum projectam eſſe: non enim aſſentior eorum opinioni, qui hoc feciſſe Chriſtianum putant, & qui dem ob S. Statuæ ſecuritatem: quaſi verò non Statuæ meliùs feciſſet, & Deiparæ glorioſius, ſi eam in terram defodiſſet, ut ut Oceanus. ſit, S. Statua in Oceano circa annum 1261. è fundo emerſit, & quæ piſcatorum felicitas fuit, in eorum retia unà cum piſcibus intravit, ac cum eis in litus extracta eſt, nullo retium damno. Aderat commodum Deiparæ Sacellum, cui nomen *de Rabida*, titulo à Mauris retento: (nam *Rabida* Eremitam linguâ Eremita. Arabicâ ſonat) in quo olim etiam Idola culta eſſe, non improbabilis habet traditio. In hoc, inquam, à Piſcatoribus illata magnâ pietate à RR. Patribus Franciſcanis, quorum id erat, excepta eſt, & quia condignis culta honoribus eſt, quamprimum miraculis clarere cœpit, hinc undique accurſus & munera: deniq; etiam titulum *de miraculis* accepit, è quibus tamen auctor nullum adducit. Gonz. p. 3.

DCCCLXIV.

Imago B. V. Miraculoſa. DE IESSE. *Groningæ in Germania Sup*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Vna decora gemma nitet, Avi pura malis.*

1. Candela miraculoſa.
2. Viſio mirabilis.
3. Simplicitas fide digna.

IN urbe Groninga, quæ ad Friſiam ſpectat, habent Sanctimoniales Ciſtercienſes Imaginem Deiparæ relevati operis, quæ JESULUM ſuſtinet tanti artificij, ut ſculptam ab Angelis multi credant. Eam ſemper in honoribus habuêre Virgines: ſiquidem candelâ per diem ardente eam coluere. Hanc ſub veſperum diligentiſſima Sacri-

ſtana

ſtana extinxit. Semel ſero Veſpe- re Templum ingreſſi viri duo, cùm candelam viderent adhuc accenſam, nec extinguere ipſi poſſent, ferreis cancellis excluſi; Candela. quamprimùm vocatam Prioriſſam monuêre, ut poſthac cautiùs candela haberetur: ardere enim etiamnum non ſine periculo incendij, quo peritura facilè eſſet totius Templi lignea machina. Monita quamprimùm Sacriſtana, candelam extinxit: quamquam ſciret, ſe paulò antè officium ſuum quàm diligentiſſimè præſtitiſſe.

Iterum viri ad Templum regreſſi, iterum candelam invenêre ardentem: iterùmque ad Cœnobij portam. Noluit Prioriſſa tertium extinguere flammam è Cœlo datam. Expectandum nempe quid Virgo velit, cúmque alijs præſidijs contra incen- Miraculū dij pericula locum munivisset, ſecuram duxit noctem. Manè ab omnibus candela obſervari cœpit, noctem totam unà cum ſequente integerrima die vix tranſverſo digito factam eſſe breviorem. Hinc concurſus & miraculorum origo: ſi quidem non alia olim fuit. Augmentum tamen concurſus licet magni inde fuit, quòd homo quiſpiam juſtus & rectus, quia ſimplex, dum miſſæ Sacrificio intereſſet, vidit Miſſa. ſurgentem in pedes JESULUM ad initium Evangelij, & coronam de Matris capite acceptam, vertici ſuo imponere. Stetiſſe JESULUM ajebat, ita coronatum, dum Sacerdos Symbolum Nicænum diceret: cùm ſub ijs verbis, *Et homo factus eſt*, Coronam iterum Matri impoſuit. Hęc viſio fuit viri ſimplicis & pij. Libuit hoc in loco homini intereſſe Sacrificio quotidie poſt tam cœleſtes has delitias. Sexto itaq; die cùm eadem vidiſſet, Prioriſſam monuit, & quæ viderat recenſuit. Viri ſimplicis fida relatio fidem meruit, quapropter etiam aucta in S. Imaginem pietas miraculoſa beneficia à Virgine impetravit poſthoc uberiùs. *Cæſarius Haſterbac. l. 7. c. 47.* qui longam viſionis explicationem adjungit.

D C C C L X V.

Imago B. V. Miraculoſa.
SUBTERRANEA.
Abulæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Mater Virgo indemnis palam vacat vae.*

1. Monialis cæca.
2. Prudens Epiſcopi conceſſio.
3. Proceſſio ſolennis.

SUb altari Principe in Templo S. Vincentij Sacellum eſt ſubterraneum; in quo ab antiquo in ſummo cultu eſt miraculoſa Deiparæ Imago, & tam ab externis peregrinis, quàm à civibus frequentata. Fuit in Monaſterio S. Bernardi Monialis multis gravata morbis, quos ad-

Monialis. adhuc magis gravabat cæcitas. Hæc ut cæteros morbos patienter ferebat, oculorum tamen uſu ægrè caruit. Eam ob cauſam Imaginem iſtam ſubterraneam in votis habuit, certa de valetudine ſuâ, ſi ad illam deferretur; ſed quia votum clauſuræ obſtabat, voto huic ſatisfieri non potuit. Factum tamen per amicos eſt, ut Epiſcopus tam inſolens deſiderium æſtimaret, crederétque cœlitus immiſſum; atq;eam ob cauſam diſpenſaret in voto clauſuræ. Illa itaque cum decenti comitatu deportata ad locum hunc ſacrum, factâ rite confeſſione, SS. Euchariſtiam accepit. Cùm ſudor & anguſtiæ Virginem corripuêre, ut jam jam moritura crederetur: paulò tamen pòſt ſibi reddita, ſenſit quoque ſibi & oculos & perfectiſſimam ſanitatem redditam. Hinc præſentium ingens plauſus & lætitia, Epiſcopus Deiparæ quamprimum ære campano honores indixit, & S. Imaginem pompâ, quâ potuit, inter applauſus publicos per compita vrbis præcipua longiſſimâ ſupplicatione circumtulit, ſic populo auctus in S. Imaginem affectus, & Deiparæ in populum Abulenſem. Proceſſio.

Felix Aſtolfi.
l.13.

D C C C L X V I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE ROSARIO.
Dieſthemij in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. Gravitas macula non premat viam Dei.

1. Vulnus Statuæ incurabile.
2. Populus ſemper mira deſiderat.
3. Prudentia Curatorum.

IN Templo S. Sulpitij præter Imaginem Deiparæ antiquam *de miraculis* nuncupatam, alia adeſt in Sacello Roſarij, ad quam ſingulis menſibus ingens communicantium multitudo videri poteſt. Miraculoſam etiam olim fuiſſe, arguit vulnus, quod à tergo impiorum quiſpiam inflixit: quod licèt ſæpe tentatum ſit, nunquam tamen obduci poſſe perhibetur, quam traditionem Auctor, ut ſufficientibus Scripturis deſtitutam relinquit in medio. Sed aliud adhuc argumentum priore fortius, ſine dubio miraculoſam eſſe decernit. Statua. Quid enim Congregatio Roſarij hac inductâ, Imaginem antiquam Deiparæ, & titulo de miraculis jam ab antiquo glorioſam præterijt, & novam nullo (ſi miraculoſa non eſt) miracula inſignem, tantæ populorum pietati præpoſuit? itaque dubium non eſt, quin eo conſilio factum ſit, quòd illa antiqua aliquamdiu patratione miracu-

raculorum, minus clara & celebris præteriretur; & hæc recentibus miraculis glorioſa eſſe incœperit: quæ omnia & vera eſſe poſſunt ſine Scripturis, & vera eſſe prudenter credimus; ni velimus ijs, qui S. Roſarij Congregationem inſtituerunt, grandem grandis imprudentiæ notam impingere: quod ni fallor ipſe prudens lector non facturus eſt. Wikmans l. 2. c. 57.

DCCCLXVII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE GRATIIS. *Caſciæ in Italia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Ea pia mater ſimul ac Virgo ante munda.*

1. B. Joannes Capiſtranus.
2. S. Bonaventura.
3. Dona Sanctorum miraculoſa.

BEatus Joannes Capiſtranus RR. Patrum Franciſcanorum gemma fuit & Turcarum terror, quæ in Vngaria contra Turcas egerit homo ſenex, & octoginta annos tranſgreſſus, velut unum unicúmque miraculum, inveniet lector in ejus vita. Hic cùm Generalis Ordinis eſſet, hoc Cœnobium inſtituit anno 1450. & Imaginem Deiparæ pro ſummo altari ex urbe miſit, eíque titulum dedit *De gratijs*: ſive quòd jam antè miraculis inclaruerit; cujus tamen memoria nulla extat: ſive quòd ipſe prophetico ſpiritu afflatus, futura beneficia prævi- Imago. derit. Utrumlibet ſit; miraculoſa Imago eſſe cœpit, & juvantibus RR. Patribus Franciſcanis populi pietas in dies augeri, quia tamen Auctor nullum miraculum affert, nec ego ulteriùs quid ſcribere poſſum, quod in quàm plurimis contingit: quæ licet miraculoſiſſimæ ſint, quia tamen Scriptorem nactæ non ſunt, non tamen à me omitti debent. Gonzaga.

DCCCLXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE MIRABILIBUS. *Madriti in Hiſpania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Lupum enecat iſta amanda mira Virago.*

1. Auriga pignus Statuâ.
2. Statua empta & redempta.
3. Sortibus agitur.

HÆc S. Deiparæ Statua Salmanticâ Madritum delata, remanſit apud Aurigam pignoris loco, dum ei quadraginta Regales vecturæ pretium ſolveretur. Caſus non infrequens, quando, qui rem

mittit, vecturæ pretium rejjcit in illum, qui rem miſſam accipit; & ille in hunc, qui miſit. Ita auriga pretium vecturæ, quod ab utroque petit, à neutro accipit. Hic, de quo loquor, auriga imaginem pignoris loco retinuit: cúmque & auriga & cū eo S. ſtatua ab utroque negligeretur, neutro S. Pignus redimente; ipſe quoque auriga pignus ſuum neglexit, neglectúmque in antri cujuſpiam angulum rejecit. Vidit hanc S. ſtatuam pia fæmina, & licitata eſt, & pretio quadraginta Regalium indicato emit.

Dici non poteſt, quas fæmina gratias in domo ſua obtinuerit à Deipara. Idem ferè erat petere, & obtinere. Nec res alios latuit, quibus & eadem quamprimum Virgo beneficia præſtitit. Deníque ex Ordinarij decreto in templum aliquod deferenda fuit, & publicis honoribus exponenda. Sortibus res acta eſt: & novies ſors cecidit ſuper Monaſterium Sanctimonialium Carmelitarum: quod, quia ingentibus modis crevit numerus Miraculorū, abolito antiquo titulo, vocatū eſt Monaſteriū de mirabilibus. Quintana l. 5. c. 32. Oratio.

DCCCLXIX.

Imago B. V. Miraculoſa REGINA CÆLI, *Neapoli in Italia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Gaudeat iò mira ſine macula parentum.*

1. Tempeſtas mirabilis.
2. Rogamus nobis noxia.
3. Tempeſtas utilis.

Monaſterium Sanctimonialium, quod Neapoli eſt, & de Regina Cæli nomen habet, ampliorem alibi materiam ſcribendi præbet. Titulus Monaſterio obtigit ab Imagine Virginis miraculoſa, quam ſub hoc titulo Reginæ Cæli Vrbs Neapolitana colit. E miraculis unum adjungo, quod languentem populi pietatem mirè reſtituit.

Tempeſtas. Tempeſtas nubibus & imbribus ingrata, fulminibus etiam tremenda, urbi terrorem incuſſit. Sanctimoniales quadraginta (nam Abbatiſſa. tot omnino erant) ad Abbatiſſæ cellam convenere, velut ſub galinæ alis ſecuritatem inventuræ, & terrorem communi & mutuo ſolatio mitigaturæ, tempeſtatémque abacturæ junctis precum viribus. Itaque Reginam Cæli unâ voce rogant, Cælo imperet, ne feriat, ne tonet, ne terreat. Ita nempe rogamus, ut avertant Superi etiam ea, quæ noſtro bono deſtinârunt. Tota hæc támque terribilis tempeſtas harum quadraginta Moniamlium bono, & Deiparæ juſſu concitata eſt.

Cænobium perantiquum ruinam jam diu minabatur, nequidquam credentibus ijs, quorum vel maximè intererat. Eâ nocte Ruina. ruiturum prævidit Deipara: nec ruinam impedire voluit, ne differret novæ & magnificæ ejus fabricæ,

bricæ, in locum veteris ſucceſſuræ. Ne autem ſorores ſibi tam charæ ullum vel vitæ vel ſanitatis caperent detrimentum, immiſſa tempeſtas eſt, ſic cæli Reginâ jubente; cuius terrore relictis cellis ad Abbatiſſam confugerent: ubi dum omnes quadraginta Reginam Cæli placare precibus conantur, beneficam expertæ ſunt: quādo omne Cænobium in unam molem inter fragores concidit, nemine una ex omnibus læſa, omnes utique præter Abbatiſſam oppreſſurum; niſi eas tempeſtatis horror ad Cellam Abbatiſſæ coëgiſſet. Hinc populi in Reginam Cæli aucta pietas; hinc remiſſus fervor in Virginē iterum apud multos incaluit. Spinell. in throno Deiparæ.

D C C C L X X.

Imago B. V. Miraculoſa. DE LA SAGRADA, *Moſalbarbæ in Hiſpania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *En vera vitis gemmat lac pura in Adamo.*

1. Eluvio aquarum.

2. Templum illibatum.

3. Aucta pietas.

VIx dimidiæ horæ ſpacio ab urbe Cæſarauguſtana diſtat Moſalbarba, locus à paucis habitatus, & vix pagi nomine dignus. Hic Sacellum Virginis eſt cum ſua ſtatua, quæ etiam Regum Gotthorum tempore in honoribus fuit ſub titulo B. V. *de antiqua*, ſub annum tamen 1168. ab Epiſcopo mutatus titulus eſt, & appellata eſt B. Virgo *de la Sagrada.* Ædiculam Pontifices plures indulgentijs decorârunt: earum antiquiſſimæ ex ijs quæ habentur illæ ſunt, quas *Benedictus XII.* anno 1346. dedit. Vnde colligere lectori licet, quantis in honoribus jam tum fuerit. Pluvio.

Cæterùm auctæ inſigniter pietatis occaſionem dedit miraculum, quod anno 1397. contigit. Guelba & Iberus flumina, in tantam excrevêre eluvionem; ut Vrbis Cæſarauguſtanæ mænia turréſque dejecerint. Cùm ad hoc Deiparæ Sacellum, quod ad ipſam Iberi ripam ſtat, aquæ furioſi fluminis veniſſent, ne quidem per patentes portas ingredi auſæ, ſteterunt, Ibero flumine Virginis reverentiâ frementes undas ſuas cohibente. Templa.

Tanti miraculi fama pietati antiquæ, & fortaſſis languidæ ingens incrementum dedit; ita ut anno 1602. Novo Templo S. Statua ſumma cum celebritate & feſtiva pompa ſit illata. Miraculum hoc fusè deſcripſit Zurila t. 1. c. 64. fol. 425. ex per antiquo M.S.

DCCCLXXI.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE VOART.
Hildevari in Germ. Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Ea ſit Regia pura & omni macula.*

1. *Remedium febris.*
2. *Pietas ab infantia.*
3. *Confeſſarius Imperatoris.*

NOmen habet, hic locus ab S. Hildevare Fundatrice eſt in hoc celebri Municipio ædicula B. V. utique olim miraculoſiſſima ſed quia nullam, ab ullo ſcriptore Commendationem habet, nec his temporibus claret miraculis, eam vel invitus omittere cogor.

Sed alia quoque eſt ædicula Deiparæ, vix medio quadrante ab Eccleſia Collegiata diſtans, quæ *de Voart* propter Confinia titulum ſuum habet. Anno 1500. Creditur à nonnullis ædificata; antiquiorem eſſe, probabilior eſt opinio: quia radicata ab antiquo eſt perſuaſio, à febribus certam eſſe liberationem, ſi æger tribus continenter ſabbatinis diebus ædiculam hanc viſitet: cùm plurimi ſe hanc opem expertos eſſe liberaliter teſtentur. Certè tantæ opinionis eſt hæc S. Statua; ut tempore graſſantis peſtiferæ luis, ordinatiſſimâ ſupplicatione Clerus Becanus cum toto populo huc venerit. Et expleto voto, viſa peſtis eſt quamprimum remittere, & paulò pòſt omnino ceſſare. Quod bis factum eſſe auctor teſtatur. Atque ut miracula ſcripta nulla ſuperſint; unum tamen ex beneficijs grandibus non omittam.

Sacellum

Peſtis.

Quis qualiſque fuerit *R. P. Martinus Becanus* noſter, ſcit Germania Hominē depingunt opera Theologica typis impreſſa, quæ præter ſummam eruditionem, etiam raram claritatis laudem ubique apud doctos tulerunt. Virtus virum denique ad majora admovit, ut Ferdinandi II. depuratæ virtutis Imperatori, à Confeſſionibus eſſet: cui Imperator peritus virtutis æſtimator nunquam non magna laudis encomia dedit, ut cætera taceam, hic, inquam, vir omnia virtutis & ſcientiæ ſuæ decora à Deipara creditur in hoc exiguo ſacello impetrâſſe. Cùm enim Virgini Deiparæ fuerit addictiſſimus, dubium non eſt, quin eam in Virginem pietatem à prima infantia cum lacte materno imbiberit.

Confeſſarius.

Quod factum eſſe vel exinde nemo prudens negabit, cùm ædicula hæc Deiparæ rectè ante ædes eius, in quibus natus & educatus eſt, ſita ſit: adeóque & matri & puerulo quotidie viſitata credi ſi non debeat, certè poſſit. Tantæ à Virgine dotes, quantas R. P. Martinus Becanus accepit, ſi non miraculum ſuperant, certè miraculo æquivalent.

DCCCLXXII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE VALCUERNA. *Locronij in Hiſpania.*

Progr. AVE MARIA, gratia plena, Dominus tecum.
Anagr. *Intaminata Cedrus, Gemmea pura oliva.*

1. B.V. humilitas.
2. Ritus jurandi.
3. Titulus ſæpius mutatus.

Etſi à Deo Sanctiſq; peccator non ſine horrore aſpiciatur; Virgo tamen etiam ab ijs faciem non avertit, qui peccatis licèt obſiti ſpem tamen aliquam veræ converſionis promittunt. Ante muros urbis Lucronienſis area declivis fuit, quam incolæ vallem appellabant, in hanc quiſquilias Creopolicas, & vervecum & boum cornua devehebant laniones urbis: unde loco nomen *Val-cuerna*, ſeu Vallis cornuum. Supra has ſordidas quiſquilias, & fœtidiſſima retrimenta, Virgo frequenter ſpectandam ſe pluribus dedit. Titulus.

Multus in urbe ſermo, quid Virgo vellet, inquirentium. Peritiores conjectabant, Virgini placiturum eo loco Sacellum: nec fundus, inquiunt, emendus eſt, quis enim loco pretium ponat, his ſordibus deſtinato, niſi avarus, cui bonus odor lucri ſit ex re qualibet? adhæc planities vix valli ſimilis urbi vicina aptabit populum pietati. Quid multa? facilè volentibus, & in Virginis cultum pronis, perſuaſum eſt. Itaq; purgatam à ſordibus planitiem quamprimum abjecto in fundamenta lapide Virgini dedicârunt, & multiplicatis operis fecêre, ut brevi Sacellum ſub tecto ſtaret elegans & venuſtum. Apparitio.

Placuit Virgini, ſe etiam ſine voce fuiſſe à civibus intellectam, tantis enim miraculis id demonſtravit; ut ex comportatis pecunijs paulò pòſt etiam Monaſterium Sacello adjunctum ſit, & RR. PP. Dominicanis traditum. Tanta denique per omnem latè viciniam in æſtimatione fuit hæc miraculoſa Deiparæ Imago, ad eam formam, quâ ipſa apparuerat, figurata; ut mos increbuerit, eos huc adducendi, qui innocentiam ſuam contra calumniatores probare vellent, & juramento defendere, & credebatur juratis propter exempla, ni fallor, eorum, quorum perjuria hìc punita ſunt. Iuramentum.

Hinc relicto titulo priore, datum Virgini nomen eſt *à juramentis*, poſtquam tamen hic mos ob graves cauſas ab Eccleſiaſtico Magiſtratu abolitus eſt, iterum reſumptus eſt titulus prior de cornibus: vocatúrque hodie Domina noſtra *de Valle cornuum*, ſeu de Val-cuerna.

Blaſcus.

DCCCLXXIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE PVCHE.
Valentiæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Jn Cælum regiſtrata munda à pomi vae.*

1. *Angeli ſculptores.*
2. *Campana antiqua.*
3. *Sepulchrum B. V.*

HÆc Deiparæ miraculoſa ſtatua poſt Cæſarauguſtanam de Pilaro omnium antiquiſſima eſſe creditur, Apoſtolis coæva habetur, & ab angelis fabricata prædicatur. Eam ob cauſam vocatur *Apoſtolica*, & *Angelica.*

Traditio etenim antiquiſſima eſt, ex lapide ſepulchri, in quo Deipara ante reſurrectionem ſuam jacuit, efformatam ab Angelis, & ab iiſdem delatam in hanc Hiſpaniæ provinciam, non multò poſt Virginis in Cælos Aſſumptionem. Id teſtantur litteræ Gotthicæ, quæ ſunt in magna Campana, ſub qua hæc imago latebat ſepulta: imo & infuſæ figuræ in ære eiuſdem Campana campanæ idipſum denotant, nam & opificium Angelorum in ſculpendo lapide effigiatum erat, atq; etiam ipſius S. Imaginis per aërem deportatio, deniq; narrationis huius ſunt plures & fidedigni Auctores. *Martinus Ximenius* de recuperatione Hiſpaniæ. *Franciſcus Boilus* Epiſc. Alguerenſis in Hiſt. Cameræ Angelicæ, *Guimeranus* in Hiſt. Podiana. Sed præ omnibus eſt teſtimonium *Ximenij* Presbyteri Darocenſis, teſtis oculari, cùm S. ſtatua inveniretur, qui Scripturam Campanæ infuſam refert in hæc verba: *S. Maria ora pro nobis, imago tua ſit nobis tutrix, quæ fuit ab Angelis in lapide ſepulchri tui dedolata, & ab eis aſportata, ac Apoſtolorum adventu decorata, Servi tui te colimus, abige fulgura, tonitrua, ſonitu Campanæ, quam fecimus, ærâ ſexcenteſimâ, ſexageſimâ.*

Adhæc in Bulla Benedicti XII. Huic templo data anno 1407. anno Pontificatus decimo tertio hæc verba habentur. *Cujus imaginem* Getſemani. *accepimus (prout præteritorum fidelium geſta commemorāt) angelicis manibus elaboratā, eorundémque miniſterio à loco ſancto Getſemani, ubi S. Corpus Mariæ jacuit, hujuſmodi feliciſſimo littori divinitus adlatam, ac ſumma populorum frequentia à primis ſæculis vndequaque confluentium indubitatā fide veneratam. Idcirco prædictam S. Imaginis Mariæ ædem debito honore decorantes, &c.* Cæterúm ſi cuipiam de huius Bullæ valore dubium eſt, legat Ill:& Rev: Epiſcopum Alguerenſem, *Franciſcum Boilum* in Hiſt. Cameræ Angelicæ c. 4. Vbi etiam plurima Miracula reperiet. Curam habent RR. PP. de mercede.

D C C C L X X V.

Imago B. V. Miraculoſa.
S. MATERNI.
Walcuriæ in Germania I.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *En immaculata petra, domus aurei agni.*

1. Juvenis ad urbem Naim.
2. Angeli ſtatuam portant.
3. Columba viam monſtrat.

WAlcurię prope Namurcũ S. Maternus S. Petri diſcipulus, &, ut alibi probo, Juvenis ille à Chriſto ad portam Naim à morte ſuſcitatus, Templũ Deiparę ędificavit Germanię noſtrę Apoſtolus, & in eo ejuſdẽ ſtatuam ſuis manibus ſculptam collocavit, miraculis celeberrimam.

Fuit cùm ignis Templũ corriperet, atque in favillas redigeret, nullo S. Statuæ damno. Etenim cunctis videntibus ab Angelis in ſublime trãſlata eſt, viam monſtrante & præeunte candidiſſimâ columbâ; & procùl in ſuburbano quodam horto ab ijs depoſita. Conati ſunt iterum in ſedem ſuam jam ſatis ſuperque ex incendio reſtauratam reducere. Sed qui movere loco S. Statuam poſſet, nemo inventus eſt: dum *Theodoricus* loci Regulus Virgini Monaſterium vovit ſe in hortulo illo ædificaturum; ſi non dedignaretur redire Walcuriam. Exinde nullo negotio Walcuriam reportata, antiqua miracula novis auxit. Tanta ad ejus adventum populi fuit frequentia; ut ex congeſtis eleemoſynis, reſtauratum paulò antè ex incendio ſacellum in Templum grande & magnificum excreverit, cùm Collegio Canonicorum, & viginti Sacellanis. *R P. Balinghen in appendice.*

Incendiũ

Eo in Monaſterio, de quo dixi, quod tam miraculoſa origine extructum eſt, nemini dubium eſſe poteſt, fuiſſe templum Virgini Deiparæ dedicatum, ſtatuámque VValcurianæ, quantùm fieri potuit, ſimillimam. Næ ille Marianarum imaginum exiguam peritiam habebit, qui negaverit & hanc quoque miraculoſam fuiſſe, & alteri propè rivalem: de qua quia nil ampliùs habeo dicere, eam huic titulo annectere placuit.

D C C C X L XXVI.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE VALLE VIRIDI.
In valle viridi in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Ea Mater inſignita pura dumo maculæ.*

1. Spina piſcis.
2. Populi liberalitas.
3. Statua repente miraculoſa.

VAllis viridis ulterioris Hiſpaniæ oppidum eſt, mille quingentis paſſibus diſtans à finibus Portugalliæ.

Hic Deiparæ templum, quod RR. PP. Franciſcani habent, anno 1540 initium ſuum accepit, communibus populi ſumptibus; ne uni ſoli fundatoris honor relinqueretur. Vix finita erat fabrica, cùm ingentis ſpeciei imago Deiparam repræ-
Spina. ſentans in altari collocaretur, nullo, quod ſciam, antea miraculo inſignis, quamprimum beneficijs miraculoſis clarere cæpit, & populũ accire ad plura & majora petenda.

Inſigne fuit illud, quod mirè accurſum auxit. Spina piſcis tranſuerſim à muliere deglutita, nullo remedio vel extrahi, vel deijci potuit. Invocata Deipara voto huc facto fæminam à morte quamprimùm liberam fecit, & ſpinam ejecit. Tres item pueri aquis hauſti, & hauſtâ nimiùm aquâ mortui poſtquam huc delati ſunt, & in pedes erecti, in omnium conſpectu vivi, ſani, & ſalvi ante S. Iconem conſtitere, & pro tanto beneficio gratias egere. Gonzaga.

DCCCLXXVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE CRYPTA.
Cuperſæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum,
Anagr. *Vinea dans gemmam caret à vitio pura.*

1. *Culter miraculosè fractus.*
2. *Sudor Imaginis ægris ſalutaris.*
3. *Meta ſudans.*

CUperia Apuliæ civitas eſt. Primo ab urbe lapide, Crypta fuit dumis obſita. Puella ter in in ſomnis à Virgine juſſa eſt Cryptam quærere, & in Crypta Imaginem, datis non obſcuris indicijs, ut quæ Cryptæ aditum proderent: inter quæ non minimum fuit, exurgens è loco flamma, ſoli puellæ conſpicua. Eloquentiâ ſuâ hæc viros fæmináſque accivit, inter quos &
Culter. Lanius quidam, qui ad puellæ imperia cùm ſarmenta cultro ſuo pecuario truncat, cultrum in partes fregit, & furore plenus domum redijt.

Vicini, qui noverant eum inter primos fuiſſe, qui ad puellæ voces foras cucurriſſet, interrogãt hominem, quid illic novi contigiſſet: nil aliud, inquit, niſi quòd, cùm puellæ nugis fidem haberem, cultrum meum fregerim. fractum eſſe cultrum pecuarium in tam levi Sarmento, novum jam erat, dignus culter viſus eſt, qui videretur. Itaque eum poſcentibus è vagina extrahit; ſed majore ſuâ, quàm aliorum admiratione, integrum, ſigna tamen fracturæ non dubiæ præferentem. Evulgatum hoc miraculum acuit induſtriam quærentium.

Denique Cryptæ aditus inventus, inventa quoque in muro depicta Virginis Imago, & in angulo in ejus Statua marmorea. Structũ in loco Templum inceptam populi pietatem mirè auxit. Porrò Imago cùm inventa eſt ſudore aqueo perfuſa fuit, neque hoc no- Sudor.

vum aut admiratione dignum: ſudant facilè marmora in loco humido, illud tamen non antiquum aut vulgare eſt, ſudorem illum ægris admotum ſalubrem fuiſſe, & ut etiam pertinacibus Virgo Miraculum probaret, ſudor iſte longo tempore etiam in novo Templo duravit, & ſudoris jam vulgata in ægros virtus, Hinc tantus ad locum & perpetuus accurſus. Scripſit fuſè hanc Hiſtoriam *Paulus Antonius de Tarſia l. 3. Hiſtoriarum Cuperſanenſium.* Hæc alia eſt Meta ſudans ab illa, quàm Romani prope Amphitheatrum poſuere.

DCCCLXXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa DE RUPE. *Securæ in Hiſpania.*

Progr. AVE MARIA gratiâ plenâ Dominus tecum.

Anarg. *Eia non agit lupus cum Ada mira matre.*

1. Statua prudenter ſepulta.
2. Statua ad locum rediens.
3. Fides prompta.

CUm Saracenis Hiſpaniam ingreſſis, omniáque ferro & igne vaſtantibus, Chriſti fideles cum domibus urbes, & cum his patriā relinquerent, & tutiora loca peterent, Securani cives Statuam Deiparæ jam dudum illis propter miracula pretioſam, ſecum in viæ ſubſidium acceperunt: ſed poſt mille quingentos itineris paſſus, prudenti conſilio ſub terram defoderunt; ne alio deportatâ Secura oppidum tanto Theſauro æternùm privaretur nemo fuit, qui poſt plura ſæcula Theſaurum hunc non ignoraret.

Ruſticus. Ruſticus dum terram aratro proſcindit, felici caſu in hanc incidit, iiſque quamprimum, quorum intererat, quid inveniſſet ſollicitâ narratione edixit. Statim coacti in ſupplicationem Securani cives, eā in oppidum intulerunt, & pompâ, quâ potuerunt, in altari principe Templi ſui collocârunt. Sed S. Statua altero die locum repetijt, non obſcuro indicio, ibi ſe cultum optare, ſi Securani beneficia vellent, non fuêre Securani vel curioſi in probatione miraculi, vel tardi in Sacello extruendo, quod brevi ad Virginis votum in agro ſtetit, ex quo tot tantique fructus expectabant, cum titulo *B. V. de Rupe*, quæ fortè vicina erat.

Facta à Virgine miracula non multò pòſt tantam argenti aurivè ſummā attulere, ut ex Sacello fieret juſtæ magnitudinis & capax Templum. Et ne deeſſent, qui S. Statuā curarent, & cultū promoverent, Cænobium adjunctum eſt, quod RR. PP. Franciſcanis tradidere anno 1531. ex quo tempore miracula etiam augmentum ſuum accepere. Gonzaga p. 3.

DCCCLXIX

DCCCLXXIX.

Imago B.V. Miraculoſa DE CONSOLATIONE. *Regij in Italia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Venit Mater pura ſigno maculæ Adami.*

1. *Angeli à B.V. miſſi.*
2. *Proceſſio ab Angelis indicta.*
3. *Silentium non ſemper bonum.*

ANno 1586. afflixit Calabriam peſtifera lues, & præcipuè *Regium* Vrbem. Fuit in RR. PP. Cappucinorum Cœnobio Frater quidam Antonius, illinc oriundus. Is cum eſſet Deiparæ addictiſſimus, coram hac S. Imagine, quæ *de Conſolatione* nomen habuit atque etiamnum habet, frequenter in preces effuſus urbi Patriæ ſuæ ſanitatem popoſcit.

Apparitio. Inter hæc Deipara precanti apparens, *pete*, inquit, *quod vis.* Ille reſumptis è primo metu animis, liberationem à peſte popoſcit pro tota urbe. Tum illa, *obtinuiſti*, inquit, *gratiam: ſed vade ad Vicarium, & ei meo nomine dicito, ut quamprimùm univerſam urbem ſupplicantium ritu & ordine ad Templum hoc deducat, & hoc medio & remedio finem faciat calamitati publicæ.* His dictis diſparuit. Frater Antonius metu gravioris

Pestis. peſtis, vanæ gloriæ, tacuit: nec ſilentium hoc Deiparæ ingratum fuit; tamen ne urbi malè eſſet, Angelos duos habitu Cappucinorum ad urbis Præfectum miſit. Rogant hi hominem, Vicarium adiret Epiſcopi, rogaretque, ut indictâ ſupplicatione populum adduceret ad Imaginem miraculoſam *de Conſolatione* extra urbem in Templo Cappucinorum: fore ſic, non aliter, finem mali. Paruit Præfectus, jámque etiam jubente Vicario inſtruebatur ſupplicatio; cùm aliqui ad Cœnobium præcurrunt, pompam indicaturi paulò pòſt huc venturam: credebántque, ſe jam Templum omni ornatu paratum inventuros, mirantur, neminem eſſe, qui hac de re quidquam ſciret. Vbinam itaque illi duo eſſent, qui ante paucas horas injectâ ſupplicationis mentione Præfectum cum Vicario, & hunc cum tota urbe ad hoc opus commoviſſent. Sed cùm Guardianus ſanctè affirmaret, à ſex menſibus nullum ſuorum eſſe urbem ingreſſum, adhuc omnia majoribus tenebris involvebat. Cùm ei Frater Antonius notæ vir virtutis in mentem venit: ab hac ſperavit intelligi poſſe rerum actarum ſeriem. Is ſub obedientiæ adjuratione juſſus dicere, omnia, ut erant, enarravit, unde Angelos illos fuiſſe, non Cappucinos, deprehenſum eſt. Inde loci aucta eſt æſtimatio, poſtquam pulsâ peſte B.V. urbi ſanitatem reſtituit. Proceſſio.

An Cappuc. 1586.

DCCCLXXX.

DCCCLXXX.

Imago B. V. Miraculoſa. DE CAPITE ALBO. *Villafrancæ in Hiſpania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *En ut alma Eva caret ſigno impuri Adam.*

1. Spontanei Eremitæ.
2. Ex Virgine Monachus.
3. Ex Monacho Monialis.

Didacus Garzias & Fernandus Perez viri prudentes & pij, in eo felices fuêre, quòd mundi fallacias ſive experti, ſive veriti, vitare deſtinârunt; antequam non evitando periculo, quid mundus ſit damnô ſuo diſcerent, in altera vita Infernum pro ſchola, dæmonem pro magiſtro habituri. Itaque anno 1423. Epiſcopum adiêre, & eo annuente, quin etiam Regulam quandam præſcribente, Eremitorium ære ſuo ſtruxêre, in quo à die 9. Novemb. ejuſdem anni, per plures annos, aſſumpto Tertiariorum habitu ſanctè vixerunt, & objerunt. Et verò etiam habuêre ejuſdem Inſtituti ſucceſſores uſq; ad annum 1441. quo anno Eremitorium hoc RR. PP. Franciſcanis ceſſit, & Cœnobium novum cum Templo ſurrexit, opulenti viri beneficentia, ſub titulo B. V. *de Capite albo.* Non erit abs re, ſi paucis attigero, quid in hac S. Æde acciderit.

Sartor. Fuit Sartori cuidam Beneventano filia nubilis, atque optimis moribus imbuta: quam cum alteri Sartori connubio jungere vellet, illáque omnino recuſaret, magis magíſque furens pater hujuſmodi nuptijs inhiabat. Quamobrem Virgo caſtitatis amantiſſima, ſumpto virili fratris ſui habitu, domum intempeſtâ nocte egreſſa, peregrinationem ſuſcipit ad S. Jacobum: cúmque ad hoc, de quo loquor, Cœnobium laſſa perveniſſet, tanti itineris pertæſa, ac vitam perfectiorem in deſiderijs habens, Franciſcanæ Religionis habitum à Guardiano petijt & impetravit. Mirum, quantum hic novus Aſceta in omni virtutum genere profecerit: maximè verò humilitate & oratione fuit eximius.

Placuêre hæc adeò Superioribus, ut de Laico ad Sacerdotium promovendo cogitârint. Nullæ hic preces, nullæ lacrimæ valuerunt, obſtinata Superioris voluntas invitiſſimum cogebat. Illa tanto ſe ſcelere imbuere verita, cúm aliter non poſſet, ingenuè confeſſa eſt ſexum ſuum. Prudens Superior unâ alteráve honeſtâ fæminâ in conſilium adhibitâ, illis fæmineo habitu veſtiendam tradidit, ac cum alijs Clariſſis Beneventum miſit ad Monaſterium Virginum, ibíque Novitiatu ritè finito, ad Religionis Profeſſionem admiſit. Monialis.

Hæc omnia Deiparæ opus fuêre verita Virgo, ne aliquando ſexûs

xûs innoteſceret, ſuo & Cœnobij totius damno, diu noctúque coram hac S. Imagine, negotium hoc commendavit: illa conſilio bono ſuggeſto rem ita dirigeret, ut vitam liceret in Religione vivere & finire: illa Superiorem imbueret præceptis, quibus ſi obtemperaret, in Mundi caſſes non incideret. Hæc deniq; Deiparæ ſunt in ſuos beneficia.

Gonzaga.

DCCCLXXXI.

Imago B. V. Miraculoſa. DE MONTE PRANDONIO.

Prandonij in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Iò munda jam eluceat germana puritas.*

1. Roma privilegijs abundat.

2. Fiducia patrat miracula.

3. Deipara fiduciæ reſpondet.

HAbet Romana vrbs magna ac rara à Deo privilegia, Orbis dominam qui dixêre, nihil ſupra verum elocuti ſunt: minus tamen eſt ex mente S. Leonis, quod illi bellicus labor ſubdidit, quàm quod pax Chriſtiana ſubjecit. Quidquid ex illis in omnes Orbis partes venit Sacrum, eſt & habetur ubique ſacroſanctum. Hi ſunt fructus Divinæ & Catholicæ Fidei, cui Vicarius Chriſti Petrus in hoc Orbis theatro Sedem dedit.

Imago. Imago Deiparæ miraculoſa, quæ in Templo RR. PP. Franciſcanorum eſt, aliam miraculorum originem non habet, quàm quòd à Beato Jacobo de Monte Prandone ex vrbe Romana ſit allata, neque enim Auctor miraculoſam priùs fuiſſe aſſerit. Romana ex urbe veniſſe, omnibus pijs jam ſuffecit ad honores plùs quàm ordinarios exhibendos, jam fiduciam Fides Fidelium Catholica ingerebat pectoribus, hinc facilè ad preces & Vota à populo itum: & adhuc facilius Virgini fuit, fiduciæ Fidelium morem gerere, & miracula patrare, quæ omnia ab hæreticorum & impiorum oculis quàm longiſſimè abſcondita ſunt, magno piorum Fidelium ſolatio.

Gonzaga.

DCCCLXXXII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE VICO.

Arnedi in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Solum Dei magna Mater it nivea ac pura.*

1. Imago aſpecta convertit.
2. Maurus in B V. liberalis.
3. Vera peccatoris converſio.

CAnis de Vico, opulentus Maurus, quid in vita ſua cœlo dignum egerit, non habeo dicere: quia unà mecum omnes ignorant. Huic Deiparæ Imago in oculos ex inſperato incurrit, ſive in terra jacens, ſive ex aliqua pendens arbore, raro eventu, nam hominem ſi ſpectes, animum è nigro fecit candidum, è Mauro Chriſtianum, tanti eſt, vel à picta Virginis Icone aſpici, vel eam aſpicere, domum ruralem quamprimùm Virgini Sacram fecit, & in Templum ſumptuosâ architecturâ vertit, ac in Altari Principe de conſilio Chriſtianorum hanc S. Iconem collocavit, atque hoc inter prima miracula hujus S. Imaginis numeratur, convertiſſe Maurum unico intuitu. Maurus.

Deerant, qui Templum curarent, & S. Imaginis jam plùs quàm ſatis eſt miraculoſæ cultum promoverent, adjunctum eſt Templo Cœnobium, & RR. Patribus Franciſcanis traditum: quorum opera factum eſt, ut Virgo in plures eſſet benefica. *De Vico* nomen habet: ſiue, quia in Vico quopiam inventa eſt; ſive quòd credita facilius, ab ejus nomine, qui eam ad hos honores extulit, & ad tot beneficia elargienda permovit.

Gonzaga.

DCCCLXXXIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
ANNUNCIATA.
Ameriæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *O ea munda germinat, ac pura JESUM alit.*

1. Sepulchrum miraculoſum.
2. Odor violarum cœleſtium.
3. Cultus Imaginis B.V. prodeſt.

AMeriam Civitatem poſui, (etſi hæc miraculoſa Deiparæ Imago plus quinque millibus paſſuum abſit,) propter Civium pietatem, à quibus ita colitur, ac ſi intra eorum mœnia conſiſteret. Primus omnium & maximus hujus S Imaginis cultor creditur fuiſſe R. Pater Franciſcus Avarius Ordinis S. Franciſci, qui & ipſe ſingulari honore affectus fuit. Obijt is non ſine nomine ſanctitatis, quod illi indefeſſa in hanc S. Iconem pietas conciliavit. Ejus ſepulchrum cum forte reſeraretur, tantam violarum fragrantiam exhalavit; ut omnes Circumſtantes mirum in modum recrearentur. Propiùs accedentes, & ſepulchrum ingreſſi, invenêre corpus integrum & incorruptum, ac ſub ejus capite violarum plantulam floridam & ſuaviſſimè olentem, hæc quia cauſam aliam non habuêre, quàm indefeſſam in hanc S. Iconem, pietatem, Sepulchrum.

po-

populus facilè in eandem inflammatus, colere cœpit impenſiùs Theſaurum hunc ſuum, Virginémque ad miraculoſa beneficia præſtanda brevi permovit. Hæc tantarum rerum origo eſt.

Gonzaga.

DCCCLXXXIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE NOVENDIO.
Madriti in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. ***Generatur ſine macula pomi aut Adami.***

1. Novendialis devotio impetrat.
2. Imago vulnerata impunè.
3. Pertinax vetulæ pietas.

A Novendio nomen habet Imago B. Virginis, JESULUM dormientem genibus ſuſtentans, & Joannem Baptiſtam digito ori admoto ſilentij admonens. Cauſa hujus tituli eſt: quia obſervatum à curioſis eſt, novem omnino dies requiri, ut quis, quod vult à Deiparâ, hîc impetret.

Picta fuit in angulo domûs Petri Veluti equeſtris ordinis. Hanc præteriens noctu Hæreticus Iconoclaſta, pluribus ictibus fœdè vulneravit, quod cùm Petrus manè advertiſſet, quamprimùm Pictoris operâ Imaginem ita reſtituit; ut nova videretur. Non latuit res vicinos, qui novæ Imagini honores dedêre, ſed & redijt paucos poſt dies Imaginis juratus hoſtis, iterúmque Imagini novæ vulnera inflixit prioribus pejora. Iterum Petrus Imaginem operâ Pictoris reparavit: ne quid unquam mali accidiſſe Imagini credi poſſet. Sed & majorem populi affluxum efficere vicini pietate ſua: nam & Virgo propitia ijs fuit, quas in Nonum uſque diem conſtantes invenit: quos inter & forte prima fuit vetula omnibus membris deſtituta, quæ integris novem diebus hîc in platea certis precibus B. Virginem coluit & ad juvencularum invidiam vires recepit, & integerrimæ ſanitatis robur. Demum quàm plurimis miraculis clara in hoc D. Sebaſtiani Templum deportata eſt, magno Madritenſium Civium plauſu.

Blaſcus.

Imago. | Diligentia.

DCCCLXXXV.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE PLANO.
Narniæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *O Amici, amata, pura Deum geret in vlnas.*

1. Gradus caloris ſpiritualis.
2. Conſtantia neceſſaria.
3. Curatores Imaginum neceſſarij.

SI dixero, in hominum poteſtate eſſe, Imaginem quampiam Deiparæ reddere miraculoſam, dicti mei encomium non habeo, quod expectem, nec apud prudentes & Virgini addictiſſimos; quamdiu ita ſiccis & præciſis verbis tantum paradoxum proponitur, meliùs explicatum, ſpero neminem fore Deiparæ vel parùm addictum, qui non id facilè concedat.

Diſpoſitio. Lignum quodcunque durum, craſſum, quin & humidum, concipere ignem poteſt, & ardere, & urere, ſiquidem per gradus ſeptem caloris ritè diſponatur: ſic enim diſpoſitum tam certum eſt, quamprimùm arſurum; ut grande miraculum eſſet, ſi non arderet. Crede lector, ferventem Imaginis cujuſpiam Marianæ cultum multum habere de calore & quidem ſupernaturali: ſed nec etiam ambige cultum illum præſertim publicum gradus ſuos habere, & augeri, quod ſi ad ultimum fiduciæ & venerationis punctum devenitur, pronisſima in noſtram opem Virgo Imaginem illam tanta piorum fiducia velut ſufficienter diſpoſitam invenit, & miraculorum gratiâ velut accendit, & ardere facit; dum hæc fiducia hujus ignis alimentum durat: qua velut alimento deficiente, etiam ignis ille miraculorum mala noſtra abſumens deficit.

Deiparæ miraculoſa Imago Narniæ prope murum urbis in Sacello plùs uno ſæculo ſtetit nullo miraculo celebris; non tamen nullis culta honoribus. Viſum eſt pluribus, poſſe celebriorem reddi, & fortè etiam beneficam; ſi Curatores darentur, quibus curæ eſſet, advenarum pietati dare augmentum. Aptiſſimi ad hoc judicati Reverendi Patres Franciſcani. Monaſterium.

Placuit conſilium *Angelo de Ceſijs* opulento Civi, & Cœnobium Sacello adjunxit Anno milleſimo quadringenteſimo octuageſimo quarto. Vix finitâ fabricâ, vix habitari cœptum à Fratribus Cœnobium, cum aucta in populo erga Deiparam fiduciâ, velut aucto ad uſque octavum gradum calore, ardere Virginis amor cœpit in obſequioſos, & quæ po-

poſtularunt, concedere; ut miraculoſæ nomen per omnē latè viciniam haberet, vide lector, quàm ſæpe noſtrâ culpâ contingat, cur petita non obtineamus quando frequenter parùm ab ſumus à gratia, quàm tot gemitibus poſtulamus, certò obtenturi, ſi certum gradū fiduciæ attingeremus Gonzaga.

DCCCLXXXVI.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE STELLA.
Maruani in Luſitania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Virgo Parens mactet Adæ malum in via.*

1. Stella indicat Statuam.
2. Paſtor Cœli non ignarus.
3. Prompta liberalitas.

Rectè veneramur felicitatem paſtorum, quibus è Cœlo plus cæteris datum eſt, Virginis vel abſconſas, vel abjectas ſtatuas reperire, non vulgari ligno, ſed Regio, Stellâ dico, & fulgore inſolito: quo olim filius regibus, eo nunc mater paſtoribus indicatur. Paſtor. Paſtor, inquam, Marvanenſis ſæpius ſupra montem, ad cujus pedem paſcebat oves, Stellam vidit. Stella, inquit, hæc in Cœlo non eſt: quid enim ceſſat ſola, & currentibus cæteris immota remanet? Hæc paſtor ſibi, cætera aſtrorum imperitus: partem tamen montis oculo deſignat, quâ quæri deberet, quod Stella monti incubans portendit.

Itaque abactis in paſcua ovibus, ipſe altero manè montem aſcendit arduum ſanè & præruptum. Nec piguit hominem itineris, quando in ipſo jugo cætera non alto pedibus penè impegit in venuſtiſſimam Virginis Statuam: quam Marvanenſibus incolis, ubi oſtendit, omnémque rei ſucceſſum narravit, omnes tanto gaudio replevit, ut quamprimum & S. Statuæ Templum, & RR. PP. Franciſcanis Monaſterium decreverint, & quod decreverunt, effectum dederint. Monaſterium. Hinc Deiparæ Statua miraculis quamprimum clare re cœpit. Gonzaga.

DCCCLXXXVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE ANGUSTIA.
Madriti in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Unica mera miro pede jugulat ſatanam.*

1. Pictoris felix oratio.
2. B. V. apparens depingitur.
3. Precibus omnia obtinentur.

Eſt hæc Deiparæ Statua miraculoſa Madriti in Noſocomio Paſſionis habetque aliquid quod de

nulla unquam Statua, vel Imagine memini me legiſſe. Poſtquam Statuario locatum opus eſt, Virginem ſculperet doloroſam ſedentem, & filium mortuum genibus tenentem, chartas ille n il el neis & punctis deformavit, ſtylos & calamos fatigavit; nec unquam exijt imago, quæ placeret artifici. plurimùm ille in vultu laboravit, quem ita triſtem volebat, ut tamen cæteras Virginis virtutes triſtitia non abſorberet. Viſum ei eſt confugere ad preces, quibus identidem popoſcit artem & artis modos.

Pictor.

Placuere preces: placuit quoque Virgini eâ figurâ ſe ſiſtere conſpicuam, quâ fuit, cùm filium mortuum genibus teneret, tam diuq; eo in ſitu hærere, dum ille bene conceptam figuram carbone deſignaret in charta ſculpturam porrò aiunt talem eſſe; ut fidem conciliet aſſerenti ſculptori. Alia miracula non addit Auctor, niſi quòd miraculoſam eſſe aſſerat, & concurſibus celebrem. Blaſcus.

Apparitio.

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

DCCCLXXXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE FULGETO.
Laudevenæ in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *En maƈavit malum Adæ Virgo pariens.*

1. Eremitæ Coſmopolitæ.
2. Ave Maria.
3. Lilium è ſepulchro.

PRope Abbatiam Laudeuenenſem in in Britannia Templum Deiparæ miraculoſum eſt, cui *de Fulgeto* nomen, Gallicè *Folgoes*, eo in loco olim vitam ſanctè vixit, & ſi ivit *S. Salaninus* cultor B. V. eximius, qui præter panem mendicatum, & aquam nihil admiſit, is juxta fontem in cava arbore velut palatio habitationem invenit, quam ad mortem uſque retinuit, magno illorum Eremitarum exemplo, quos *Coſmopolitas* vocant: ut qui ſolitariam & ſilveſtrem vitam profitentur, omnes tamen & Regionum, & Vrbium, & penè dixerim Domorum angulos meliùs nôrunt, quàm ipſi illi, qui totius mundi incolas ſe profitentur, denique qui veſte ſuâ ſecuri & peregrinationis titulo tuti, nuſpiam ſunt quia ubique ſemper ſunt, omnibus ignoti vivunt, & ſibi ignoti moriuntur.

Eremitæ.

S. Salaninus extra cavam arborem rarò viſus, niſi cùm ad proximæ Abbatiæ Templum accederet; tanti porrò vir ſilentij, ut alia verba pauci ex ipſo audierint, quàm prima duo Salutationis Angelicæ; *AVE MARIA*. Ad vitæ finem ubi ventum eſt, inter lacrimas eorum qui hominem coluerunt, obijt, & ſepultus eſt.

Lilium.

Sepulchrum Deipara honore ſingulari affecit: ſiquidem enatum miraculoſum cum radice ſua lilium eſt, quod folio cuique hæc ſacratiſſima verba habebat inſcripta; viſo tanto miraculo, & per omnem latè viciniam ſparſo, creditum

tum

tum ab omnibus eſt, Deiparam hoc in loco Templum velle: & quæ huic florem dedit, eam quoque alijs cultoribus ſuis daturam fructus, quos precibus poſtulaturi eſſent. Dictum, & quamprimùm etiam è congeſtis pecunijs factum non contemnendæ magnitudinis Templum, in quo Deipara miraculoſis beneficijs magnos latè concurſus peregrinorum accivit. Hiſtoriam ſcripſit: Gallicè Abbas *Joannes Laudenecenſis*. Porrò feſtum celebratur 1. Novembris.

DCCCLXXXIX.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE MIRACULO.
Madriti in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Mirè ac munde viva alit agna Paſtorem.*

1. S. Borgiæ Ducale ſacellum.
2. Imago B. V. oculos aperit.
3. Donum Regium.

HÆc miraculoſa Deiparæ Imago de miraculo nomen habet, non quod præter primùm aliud ibi nullum contigerit; ſed propter primi miraculi ſummam præſtantiam. Eſt in honore in Conventu Regio Carmelitarum Monialium. Cæterùm vel naturâ judice Societati JESU hic theſaurus deberetur. Hæc, inquam, Virginis Deiparę Imago peritæ manûs opus eſt, & pictoris inſigne judicium in hoc ſpectatum eſt, quòd cùm exprimere oculorum vigorem debitum ſibi diffideret palpebras; ita depreſſit, ut nihil de oculo ferè appareret. (Pictor.) Hæc Gandiæ in palatio *S. Franciſci Borgiæ* olim Ducis ſedem invenit, ſiquidem in Sacello Ducali ſtetit in ipſo altari. Accidit ut *R. P. Petrus Faber*, primus omnium *S. Ignatij* diſcipulus & ſocius, apud Ducem diverteret, & hoc in altari Sacrificium Miſſæ celebraret; Virginique impenſiſſimè negotium grave (fortè ipſius Ducis vocationem ad Societatem JESU) commendaret. (Miſſa.) Cùm ecce Imago ſignum dedit exauditæ orationis, apertiſque palpebris orantem intuita eſt, magno celebrantis gaudio, cui jucundiſſimum erat, à Deipara aſpici. Nec fuit mentis ſolius aut Imaginationis hic aſpectus, ut fortè etiam ipſe pater credebat. Ipſius picturæ hæc mutatio fuit manetque apertis oculis, quos olim à pictore acceperat clauſos.

Relicta in palatio Imago eſt, cùm Dux Societatem JESU ingrederetur, tamen ab hæredibus fortaſſe miraculi ignaris poſt plures annos his Monialibus donata. (Donum.) In ipſo Monaſterio colitur, & populo non exponitur, niſi in publica quapiam calamitate: ubi plurimis miraculis claret magno Monialiũ Solatio, Hiſpanorum Regum cultu fideliúmque veneratione. Hæc ex R. P. Joanne Cartillo, libro de fundatione Monaſterij.

D C C C X C.

Imago B. V. Miraculoſa.
D E R O S A R I O.
Villafrancæ in Inſula S. Michaëlis.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Non lugeat cum Eva mater Adami pia Iris.*

1. Interitus urbis prædicitur.
2. Terræ motus urbem opprimit.
3. Boni è ruina ſervati.

INſula hæc *S. Michaëlis* Aſturum Inſulæ propinqua civitatem *Villafrancam* habuit Maritimam: in hac cùm *R. P. Alfonſus à Toleto Ordinis S. Dominici* concionaretur, frequenter & publicè civibus interitum totius urbis prædixit, propter immania nec caſtigata flagitia. Eam ob cauſam non pauci urbis inquilini, quibus ſanior mens erat, cognitâ viri ſanctitate, ſe ad inſulæ interiora contulerunt. Nec multum de viri verbis dubitatum etiam à malignis eſt, anno 1522. 20. Octob. pro feſto S. Vrſulæ (cuius feſto hæc ipſa ſcribo) concuſſus Mons vicinus urbem univerſam cum incolis oppreſſit.

Concio. Redijt cum profugis civibus *F. Alfonſus*, jam antiquis Prophetis ſuppar, & fidem ubique inventurus, ad urbem novam eiuſdem Nominis ædificandam civium has meliores Reliquias adhortatus eſt, non vanè promittens ſtaturam, & liberam, à tam miſerando excidio futuram: ſi quidem Deiparæ ſe meliùs commendarent. Ante omnia ſtatuam, cui titulum *de Roſario*, dedit, in publico erexit, eique templum, nullo non manus admovente, condidit. Dici non poteſt, quâ pietate hanc proſecuti ſint, patres familias ſine domo, cives ſine urbe, populus ſine Magiſtratu.

Inolevit, urbe perfectâ, mos Chriſtianus & ſolennis, luſtrandi ſingulis annis ritu Eccleſiaſtico vicinam & obrutam urbem tantâ ædificatione, ut ex omni inſulâ ſpectatores accurrant. Novæ urbis novi cives, tum ex viri ſancti prædictione, tum ex multis magniſque Deiparæ miraculis, ſecuritatem à terræmotibus ſibi promittunt. Gonzaga p. 3. c. 29.

D C C C X C I.

Imago B. V. Miraculoſa
S. M A R I A S P E C I O S A.
Ratiſponæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA gratiâ plenâ Dominus tecum.
Anagr. *Ovitis à lue pura Adam in carne gemmat.*

1. Synagoga Judæorum.
2. Labor pius.
3. Fervor omnium Statuum.

SI Hebræis fides eſt, habuere hi Synagogam ſuam in vrbe Ratiſpona, quam olim Romani unicum pro-

propugnaculum habuêre ad Danubium contra Bavaros ultra Danubium, contra quos triginta bella ſic geſſerunt; ut nec ſui veſtigium ultra Danubium relinquerent: ut fuse tractant, poſt antiquos Hiſtoricos *Welſerus*, & *Brunnerus*.

Hac, inquam, in vrbe, ubi olim Sedes Ducum Bavariæ fuit, Hebræi Synagogam habuêre, ut ipſi ajebant, longè ante Chriſti tempora ædificatam. Fidem aliquam facit fabrica Synagogæ ad Romanorum antiquorum genium facta, & vivi lapides non modò bene quadrati, ſed & more antiquo benè coagmentati. Stetitque hæc Synagoga adhuc Anno 1519, ſtatura tantundem, ſi per Ducem Bavariæ licuiſſet. Is hoc anno omnes Hebræos exceſſe totâ Bavariâ juſſit, Infantum credo causâ, quos dirâ morte interfecerunt. Synagoga, quæ pulcherrimi fori medium occupabat, diruenda erat, quod ſingulari modo ab urbe Chriſtiana & Catholica perfectum eſt: nam paucis operis conductitijs Cives uſi ſunt. In opificia & tribus quàm ordinatiſſimè labor diſtributus eſt in horas cuique ſuas. Nec opificibus gratis laborantibus ceſsêre Religioſi. Supplicantium ordine quodvis Monaſterium, & diſtributis pulchrè operis, jucundiſſimâ pietate per horam laborabat. Fuit quoque devoto fœmineo ſexui copia facta, ut & Viduæ ſuam, ſuam quoq; matrimonio junctæ horam laboris haberent. Neq; pueris puelliſque ſubtracta eſt hæc pietatis occaſio.

Iudæi.

Præ cæteris Virgines, côngeſtis pecunijs ingentem cereum confecêre, hic accenſus per longos vrbis ambitus portabatur ad locum, ſequentibus bono ordine Virginibus, volante capillitio, & corollâ floreâ caput ornante. Ne autem vel duro ſilentio ſibi ipſis, vel loquacitate alijs moleſtiam crearent, juſſæ ſunt Litanias canere, dum ad locum venirent. At verò ubi ad Synagogæ rudera ventum eſt, per horam ardente cereo, pias manus pio operi cum omniũ ædificatione applicârunt.

Virgines.

Quæras, an ullus labor Superis placuerit magis, præ hujus Synagogæ excidio? Excidium voco: nam nec lapillus in fundamentis relictus eſt. Quòd ſi ſcire cupis pietatis tantæ & lætitiæ cauſam, ea fuit ipſa, quæ *cauſa lætitiæ noſtræ* eſt, Maria, cui Templum hoc in pulcherrimi fori centro deſtinabatur à populo, qui ab ipſis uſq; *S. Ruperti* Apoſtoli noſtri temporibus Deiparæ fuit addictiſſimus, exciſa Synagoga datum Templo principium eſt, Gothicâ Architecturâ, ut ea ferebant tempora.

Imaginare tibi, lector, in medio foro aream lapideam decem pedes & amplius altam, in quâ Templum ſurgit non anguſtum, nec tamen ita vaſtum ut omnem illam lapideam aream mole ſua impleat, ſed undique decem & amplius pedum latitudinem retineat, molem ambulationi aptam cum ſupplicantibus Templum circumire placet, ad hunc limbum per ſcalas aſcenditur, &

Templum.

Aaaaaa pla-

plano pedi ingreſſus patet ad Templum. Titulus quoq; novus placuit ſive propter ligneæ Statuæ venuſtatem ſive aliam ob cauſam, vocatúmque eſt Templum Speciosæ Mariæ. Progreſſus fuêre ingentes, placuitq; Deiparæ etiam miraculis teſtari, ſibi Sedem placere certe à Catholico Magiſtratu integer liber miraculorum ad honorem Deiparæ Typis ſubjectus eſt, qui adhuc extat. Miracula hæc ducenta circiter primis annis contigerunt anno nimirum 1520. 1521. quibus Urbs Ratiſponenſis adhuc integra ſceleriſque pura fuit, Annus enim primus heterodoxæ Fidei eſt milleſimus quingenteſimus quadrageſimus tertius die decima quinta Octobris, quod colligitur ex Jubilæo celebrato Anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo tertio, 15. Octobris, feſto S. Tereſiæ. Dici deniq; non poteſt quantum Speciosæ Mariç placuerint, ſpecioſi & in fide Catholica ferventes Ratiſponæ Cives, & his Specioſa Maria.

Igitur cum Ratiſpona habitaretur in omni pace, leges etiam adhuc optimè cuſtodirentur, (ut verbis utar, quibus Jeroſolima lib. 2. Machab. laudatur) finem pietati fecit annus feralis urbi 1543. quo inimicus homo dormientibus hominibus hoc ipſo in Templo Lutheri zizania ſuperſeminavit, & Magicis artibus multos ex incolis & accolis dementavit, qui denique alijs in terris atque alia etiam quam Lutheri hæreſi vitam miſerè finivit. Atque hic fuit finis honorum, quos Deipara accepit hoc in Templo, ut habent illorum temporum rationaria rite conſervata.

DCCCXCII.

Imago B. V. Miraculoſa.

LAURETANA.

Ratiſponæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Io veniat, pergat mera munda à maculis.*

1. Domus Lauretana.

2. Liberalitas prompta.

3. Pietas Catholicorum.

CUrrebat annus Iubilæus Fidei Ratiſponenſis claudendus 15. Octobr. 1643. quo anno Concionator Templi Cathedraliſ è Societate noſtra, re priùs cum Rever. ac Celſiſſimo Principe & Epiſcopo *Alberto* communicatâ, & obtentâ licentiâ, Dominica tertia poſt Pentecoſten mulierē, quę in Evang. currente drachmā amiſit, quęſivit, & invenit, ajebat eſſe Deiparam, quæ amiſſum Templum jam penè centū annis quæreret: quæreret quoq; homines, qui ſe quærentem juvarent; ut amiſſam drachmam, id eſt, Templum iterū inveniret. Templum porrò monetę in hoc aſſimilari, quòd in ſpecie reddi poſſit. Ita novo Templo ſatis Deiparæ fieri. Deniq; conſilium dedit fabricandæ domûs Lauretanæ.

Con-

Conſilium populi favor ita excepit, ut illâ adhuc die, præter duas ex meris unionibus valde pretioſas coronas, centum ferè floreni in pecunia parata advenerint. Vir Nobilis illo ipſo die pratum ſpacioſum literis ritè tranſcriptis novo templo donavit. Locus itaque, qui antea, in Campo electus eſt, & ſuis fundamentis jam terræ æqualis, cùm deſeri debuerit, ne hoſtibus in urbis damnum prodeſſet, alius inter rudera Monaſterii *Canon. Reg. S. Auguſtini ad S. Magnum* ultra pontem in Civitate *im Hof* electus temerè eſt. Locum hunc Deiparæ gratum fore, inde patuit, quòd poſt paucorum palmorum eruderationem contra omnium opinionem ſtatim deprehenſi ſint muri quatuor antiqui (ignotum cui conventûs parti olim ſervierint) templo Lauretano aptiſſimi. Nam & quadrilius longitudo erat ad apicem tanta, quãta domûs Sanctæ eſt, latitudo paulò major, quæ novo, ſed unico muro facilè correcta eſt.

Hoc licèt caſui adſcribi poſſit, quòd longitudo eadem ita reſponderit; quòd locus hic nullâ arte, nullâve præviâ cognitione electus ſit; quòd ſitu, ſi portam, ſi pontem, ſi Monaſterium, ſi amplum forum ſpectes, rectiſſimo & optatiſſimo ſtet; id cælo deſignante factum creditur, quòd muros iſtos tot antè ſæculis architectus ſic ad Orientem poſuerit, ut nec apicem quidem aberrent ab eo ſitu, quo Angeli domum Sanctam poſuerunt Laureti; ita ut in utroque æquinoctio Sol per feneſtram Angeli illuminare S. ſtatuam poſſit. Credi non poteſt, quàm ſuavi ſenſu piorum mentes affecerit hic primus Cæli favor. Iam animo præcipiebant favores ſecuturos Virginis, quæ tanto antè & fundamenta ordinâ it, & inveniri fecerit. Templum intus domui Sanctæ, quantùm per omnem diligentiam licuit, ſimile eſt: extra ad imitationem *Speciosæ Mariæ* ambitum habet decem pedum latum, totidémque ferè à plano exaltatum; ne memoria periret cauſæ, propter quam hæc fabrica facta eſt.

Cæterùm ad feneſtram Angeli latitudo marginis amplior eſt, & in plures pedes extenditur, eum in finem, ut, cùm opus eſt, divinum officium decorè ſub dio celebrari poſſit, & Concio haberi ad populum. Muri exteriores ad architecturæ leges concinnati ſunt, ſupra tectum Turris ſurgit duabus Campanis inſtructa. Lampas quoque tecto imminet, ſabbatinis & feſtivis Deiparæ noctibus accendi ſolita, & latè circùm per campos ſpectabilis.

Durante fabricâ, pecuniæ ſponte ſic advolarunt; (quanquam nec unus quidem civis fuerit Catholicus) ut Concionator quartâ concione diceret, adeſſe pretium totius fabricæ ſeptingentos florenos, nec peti amplius; quanquam & munificentia populi non deſierit, & longè ulteriùs etiam ædificij ſumptus ſe porrexerint. Certè à nemine vel obolus petitus eſt; Hilares & ſpontanei fuere datores, quicúnque aliquid contulerunt. Novum non fuit, videre operarios totâ hebdomade ſtrenuè & pro

pro viribus laborantes, qui omnem hebdomadæ mercedem, eadem manu, quâ acceperant, ſtatim in Gazophylacium conjicerent. Nonnulli omnem prorſus, quam habuere, pecuniam obtulere. His ſubſidijs duodecimâ hebdomade à primo lapide, finita ſtetit fabrica, factaque eſt Dedicatio à Reverendiſſ. & Celſiſſimo Principe & Epiſcopo Radiſponenſi *Alberto* quàm fieri potuit, ſolenniſſimè, 6. Septemb. 1643.

Dedicatio.

Tremuère Dominicâ illâ ij maximè Acatholici è plebe, qui toto tempore ſuo more ſarcaſmis, calumnijs, & contumelijs obſtrepebant (dico è plebe: Nam Magiſtratus & cives honeſti nihil, quod ſciri potuit, rebus ſacris indignum commiſere, vel ob hoc ipſum à Catholicis vehementer laudati) tremuere, inquam, è plebe multi, cùm viderunt, ſedecim pagorũ & ampliùs numeroſas ſupplicationes erectis vexillis per urbem ad Templum Cathedrale convenire, totius Cleri Ratiſponenſis numeroſi, & omnium Religioſorum ſupplicationem aucturæ, quæ longiſſimâ ſerie ducta eſt, ingenti Catholicorum gaudio. Ab omnibus obſervatum eſt, quod cùm totâ nocte pluvia caderet deniſſima, neque etiam ſerenius cœlum ſperari poſſet; atque inter ipſas aquas omnes Urbis Religioſi, & Clerici in Templum Cathedrale convenirent; in ipſo tamen articulo exeuntis ſupplicationis ſerenitas Cœlo inducta ſit tanta; ut ſub ardentiſſimo ſole omnis pompa Cantati officij, & Concionis peracta ſit: cui non defuere præſidij Catholici milites, qui feſtis exploſionibus pompam auxère.

Serenitas.

Adfuère magno numero Acatholici populo catholico mixti, admirantes cæremoniarum Catholicarum Majeſtatem. Et ne Serenitas hæc alium ob finem, à Cœlo data putaretur, vix hæc numeroſiſſima ſupplicatio Templũ Cathedrale reperijt, & Ill.^mi Canonici, Religioſique Conventus domum venere; cùm iterum adductæ nubes dedère imbres præter tis majores, qui totâ illâ die durarunt. Hæc à Catholicis Reginæ cœli adſcripta ſunt, ab Hæreticis caſui.

Hæretici.

Septem ſupererant hebdomades finiendo Acatholicorum Jubilæo, quod jam plùs quàm ſatis, hac drachmâ repertâ, deſtructum erat. Sudes illis hoc Templum in oculis ſuit, non obſcure divinantibus, ad ſecundi ſæculi finem non perventuram fidem, quæ in fine primi ſæculi ita vacillâſſet. Animati præſertim Catholici ſunt, ut nihil aſperum adverſarijs loquerentur.

Atq; hæc eſt origo hujus ſacræ ædis Lauretanæ quã libro oppugnare nõ nemo tentavit, in quo & Deipara, & fautores, & Auctor maximè vapulâſſet contumelijs, calumnijs & ſarcaſmis. Sed ut poſtea intellectum eſt, inhibuit homine prudens Magiſtratus, in quo & apud omnes prudentes laudem meruit. Porrò à 6. ſeptemb. Anno 1643. uſque ad 4. Julij 1676. in unico altari dictæ ſunt miſſæ trecentæ quinquinginta tres ultra octodecim millia. Indulgentias dedere plures ſummi Pontifices. Curam

Miſſ.

ha-

habent RR. PP. Canonici Regulares S. Auguſtini, è quorum deſtructo Monaſterio atque in eorum fundo hoc ſacellum ædificatum eſt.

D C C C L X C I I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
L A U R E T A N A.
Friburgi in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Roſa pia ac munda à lue germinat vitem.*

1. Pietas Friburgenſium.
2. Fabrica pretioſa.
3. Accurſus.

FRiburgenſis Vrbs inter Helveticas eſt celeberrima, quæ una ex parte montes habet pro vallo, Sanam fluvium navigabilem tribus magnis & tectis pontibus oneratum pro foſſa. In hanc urbem ingreſſus patet per portas duas montibus duobus disjunctiſſimis inædificatas, tertiam habet in profundiſſima valle. Quartam aperit ijs, qui montes & valles exoſi planitiem optant. In hac urbe Religioſorum Templa montes ornant & valles. Templum princeps & Parochiale D. Nicolao Epiſcopo Mirenſi dedicatum eſt, nobili Architectura turris præaltæ viſendum Urbs denique, ſi mirabilem ſitum ſpectes, cui ſimilem Orbis non habet. Certè R. P. Nicolaus Trigautius noſter qui Orbem propè univerſum luſtravit, & iter Sinenſe ter confecit è Germania, ſimilem ſe quoad ſitum vidiſſe nullam, omnibus palàm aſſeruit. Quare minùs mirum eſt, quòd viros genuerit qui bella Gallorum & Allobrogum à pluribus ſæculis illuſtrârunt, qui olim in Cyprum & Terram ſanctam magno numero profecti, utilem Eccleſiæ operam præſtitere contra Turcas. Hi denique meruere, ut primi inter Helvetios haberent ſacellum Lauretano quàm ſimillimum, ſi formam interiorem ſpectes, ſi molem lapidum conſideres, cuicunque magno Templo par, & multorum millium impenſis extructum. Sacellum

Primam populo cogitationem injecit Eccleſiaſtes noſter anno 1647. tum pridie in templo Parochiali tum ipſo feſto Annunciationis Beatæ Virginis ſub dio ante Templum Birglenſe, quòd de monte nomen habet, Concione quæ poſt meridiem Feſtis Deiparæ haberi ſolet, animis omnium ita commotis, ut poſt paucos dies præſente Magiſtratu & urbe tota, Eccleſiæ Collegiatæ Præpoſitus ſuo Clero comitatus, primū in fundamenta lapidem inter fragores militares & concentus muſicos poſuerit: quæ prima cerimonia Sabato ante Dominicā paſſionis celebrata eſt. Exinde ad crucem ligneam plurimos pedes altam inchoatæ populi privatæ preces nepotum pietatem non vanè portendebant; maximè poſtquam erectū ibidem Gazophylacium ſpontaneis Eleemoſynis ita gravaretur, atque ornaretur, ut ſimile quid il- Eleemo. ſinæ.

illis in terris viſum nunquam ſit: gravaretur dico: nam plura millia coronatorum ſemper aderant in anteceſſum; ut nunquam quamplurimis licèt Operarijs deeſſet merces.

Magis mirum eſt, alterum, quod dixi, Gazophylacium his eleemoſynis ornatum fuiſſe: etenim major pars pecuniæ erat aurea, & aurea porrò moneta vix propter antiquitatem nota, quã ſeri nepotes ab avis, abavis, atavis, & tritavis in theſauris & cimelijs ſuis hactenus conſervârant, & Beatæ Virgini magno numero liberaliſſimis & lætiſſimis manibus offerebant; atque ut virtus major eſſet & ſecurior, nulla nominis facta mentione: & quidem ſponte, nam tota fabrica durante nullus unquam obolus vel petitus vel per circumpedas, ut ſolet, collectus eſt, & quia non vulgaris ædificij ratio eſt, lectori non ingrata erit brevis deſcriptio.

Sacellum. Situs Sacelli eſt præcipitium prææalti montis in urbe paucis paſſibus à porta, per quam lata & declivi via in Urbis Valles longis ambagibus deſcenditur. Intra Urbem eſt, ut dixi, ut ab hoſtibus periculum non ſit. Interior Sacelli pars, quantum fieri potuit, Lauretanæ Ædi ſimillima eſt, niſi quòd in medio ſuperior fornix artificioſis & inauratis parergis propter cauſam fuerit decoratus, ex hoc deſcenditur per gradus in Sacellum inferius, etiam fornice tectum, & ſuperiori ſi longitudinem & latitudinem ſpectes, æquale non tamen altitudine, quod quatuor è partibus feneſtras habet, per quas & abundans lumen ingreditur, & Sacrificium Miſſæ commodiſſimè ſpectari poteſt. Porrò tectum è vitriatis tegulis fulget, & oculos perſtringit, & turris maximè ſtanno tecta: quo ipſa Sculptoris parerga multiplicia, quàm acuratiſſimè ita Artifex texit, ut ſtanno inſculpta videantur. Turri Statua imminet Deiparæ plùs quàm tripedalis ærea, utrinque inaurata; quæ quia JESULUM, quem brachio tenet, longe ultra lineam directionis protendit, vento ſe præbet & vento circumagitur; ut per omnem latè Urbem videri, & videre urbem velut è ſpecula poſſit ipſa. Turris.

Turris duas partes habet, quarum inferior duabus campanis, quas continet, auribus ſervit: ſuperior octangula & feneſtris decora, lampade ſuâ oculos delectat; per urbem, planitiem, montes. Septem grandibus lychnis illuſtris eſt, & per octo feneſtras conſpicua, & perbello invento quotidie poſt ſalutationis Angelicæ pulſum in altitudinem paulò minùs quadraginta pedum celerrimè & inextincta, ex imo Templi promovetur, iterúmque manè poſt ſalutationis Angelicæ pulſum, eadem celeritate demittitur & extinguitur, magno Civium bono; ſive mala ſive bona valetudine utantur. Nam his poſt recitatas ante cubitum litanias Lauretanas, quod apud pleroſque ab initio fabricæ in uſu eſſe cœpit, dulce eſt per Lampas. Litaniæ.

aper-

apertam feneſtram ſalutare ſtellam Maris Mariam, monente & movente ad id lampadis illuſtri fulgore, & noctis pericula commendare Virgini. Illi verò, quibus ægritudo ſomnum vel adimit, vel certè frequentibus intervallis diſtinguit, adhuc frequentiùs ad hujus luminis aſpectum veniunt, ſi per vires, licet, & labores noctis hoc aſpectu ſolantur.

Sacellum extrà vivo è lapide totum eſt ad Jonicę architecturę leges ita factum, ut peritis perplaceat: habétq; decem lapideas Statuas octo & ampliùs pedes altas, quę ſuis in hemicyclis ritè diſtinctis ſpacijs inter Columnas conſiſtunt: eæ Familiam Deiparæ ſeu proximos conſanguineos repræſentant. Frons, ubi feneſtra Angeli, data eſt Joachimo & Annę, partem contrariam obtinent Zacharias & Eliſabeth. Latus ſiniſtrum tenet Maria Salome, inter utrumque Jacobum. Dextrum verò latus habet Joſephus inter utrumq; Joannem. Quatuor portis quatuor Evangeliſtarum buſta incumbunt. Supra cornicem cancelli ſunt relevati operis, intra quos per omne circa Templum quamplurimi Angeli Deiparæ collætantur.

Ambit Templum area 30. pedes lata, & cancellis ferreis clauſa, ob imminens precipitium: niſi quòd ex parte anteriore, ubi Angeli feneſtra eſt, in longè plures pedes extẽditur, in quam quamplurib⁹ gradibus aſcenditur, rotunditate ſua & figura ſemicirculari in amplum ſpacium extenſis.

Infra, in declivitate montis aliud ædificium eſt, quod hemicycli angularis formam habet, & baloardum militarem figura & fortitudine ſua æquat. Nam & muro vivi lapidis quadraginta pedes alto ſuſtinetur, ad uſum eorum, qui Senatorij ordinis ſunt: ut tecti ab imbribus Officio cantato intereſſe poſſint. Quod, quoties lubitum eſt, decorè celebrari ſub dio poteſt, colle alio ad alterum latus vel ab ipſa natura pro Muſicis accommodato. Facili quoque invento proviſum eſt contra ventos, qui & fortes & continui propè ſunt: tum ne ſex candelæ in altari ardentes extingui poſſint; tum ne periculum ullum vel ab imbribus vel à ventis habeant ſacroſancta Myſteria; etiamſi & Sacerdos ad altare omnibus Cœli injurijs pateret, ſi fortè ingruerent. Ita circumjacentes pagi frequenter in ſupplicationis ordinem confluentes adveniunt, & extemporaneo venuſto tamen altari erecto, Officio cantato interſunt.

Magiſtratus.

Miſſa.

Admirationem movit fundamenti profunditas, quod montem æquare ex declivi parte debuit ob ſpacij anguſtiam, quod ultra viginti quinque pedes fodiendum erat pro Sacello, at verò illa fundamenta, quæ pro ambiente ambulacro excavata fuere, etiam horrorem moverunt, ut quæ ad quadraginta pedum altitudinem fodienda erant, & ſaxis implenda.

Fundamenta.

Nec tacendum, quis hanc voraginem ſivè veriùs vallem impleverit, fecère hoc Cives Friburgen-

genſes,& Agricolæ vicini pagi Davernenſis: &, quod mireris, omnia gratis & manibus ſuis. Cives ſaxa & lapides manibus humeríſque tulere in altum montem tanto numero; vt periti judicaverint ducentorum coronatorum ſeu ſcutorum operam longè ſuperâſſe. Porrò nulla unquā oblivione delebitur, nullius ordinis nec ſacerdotalis, ne Religioſi, nec ſenatorij ordinis hominem fuiſſe, quem puduerit, unū è cumulo ad hoc in radice montis congeſto lapidē accipere, & manibus in montem portare, ac Virgini offerre. Propiaculo matres habuiſſent, quæ Virgini honorandæ infantes etiam paucorum menſiū brachijs geſtabant, niſi & ipſæ ſimul lapidē accepiſſent, & ipſi quoque infanti lapillū in manus dediſſent, & ſic certis intervallis quieſcentes montem aſcendiſſent.

Rustici. At verò Agricolæ quoque civibus ſuppares ſuas partes ſtrenuè impleverunt. Ex unico pago Davernenſi, vecturæ plures quadringentis numeratæ ſunt, quibus ingentia plerumque ſaxa frequenter decem nonnunquam quindecim pedum longa, tres quatuorve lata ex agris ſuis adduxere, octo vel decem equis uni currui junctis. His lapidibus hæc fundamentorū valles ſatiatæ ſunt. Hos noſter ſemel atque iterum facta excurſione è pulpito eſt adhortatus ad piū hunc laborē, quē nemo imperavit nemo niſi ſola virtus mercede compenſavit. Viri hujus pagi ſunt fortes, & eorum multi militiam experti, non pauciores ſeptingentis ad arma &

Jacobus bellum quotidie parati, omnes Germani. Confraternitatem habent S. Jacobi, in quam neminem recipiunt, niſi qui in hoc pago natus Compoſtellæ S. Jacobum viſitavit. Triginta fuiſſe memorant, cùm hæc fiebant.

Muris ad viri altitudinem ſupra terram erectis, libuit Magiſtratui feſto Deiparæ Aſſumptæ celebritatem inſtituere, & Cantato officio ſuper altari portatili ſub Dio experimentū ſumere futuræ pietatis, quam feſtivitatem feſtivæ majorum tormentorum & mortariorum exploſiones magno numero & repetitis vicibus auxere: nocturni quoque ignes non parùm pompam ornârunt: quos artifex in quindecim globos granatos è mortarijs exploſos, & centum quinquaginta malleolos ſeu pyrobolos, æqualis ponderis, diviſit. Ita primus è mortario excuſſus globus Crucem ingentem igneā in aëre formavit: ſecundus, ut porrò reliqui omnes, poſtquam in alto aliquamdiu arſit, in plurimas partes ruptus deſijt in pluviam ſcintillantem: poſt hunc tres pyroboli ſucceſſive in Cœlum emiſſi fragore ſuo monuere populum Roſarij Mariani triplicis, ſeu Pſalterij. Nam ſequens è mortario globus decem poſt ſe traxit pyrobolos eo temporis intervallo; ut quamplurimi fuerint qui Pſalterium Marianum ritè intereà dicerent. E ducentis & ampliùs pyrobolis, qui ſuperfuere ſimul accenſis facta girandula finē dedit feſto. Ignes.

At verò ubi ſequenti Octobri decimo octavo menſe, toti ædificio data eſt ultima manus; omnia hæc majore Majeſtate repetita ſunt. Summo manè ante auroram

tri-

tribus ingentibus mortarijs exploſis feſto datum initium: ad plurima paſſuum millia per Mõtes & valles pietas excitata, & ſalutatiōe Angelicâ inchoata dies, eo ipſo prorſus tempore, quo in Æde Collegiata ſub Officio cantato Sacerdos S. Hoſtiam elevavit. Tum matutino tempore toto ab Ill. & Rev. Epiſc. Lauſanenſi celebrata dedicatio, & ſub Officio cantato noſter ad populum ſub dio dixit. Ita ſub meridiē cæremonijs factus finis inter cōtinuos penè fragores militares. Nocturni ignes Nuperis ſimiles, ſed aucti pompa militari ducentorum Civium, qui ſingulari arte finem feſto fecerunt, quam hoc die annuatim continuant.

Mentem Civium tam bonam B. V. non diſtulit remunerari. Durante fabrica gratiæ obtentæ ſunt quamplurimæ, & tabellis pictis ſcriptiſque teſtatæ, quibus parietes Templi primis ſtatim mēſibus velut pretioſo periſtromate tecti ſunt. Plurima & magni momenti beneficia, quæ ſine miraculo fieri non potuêre, memorare poſſem: ſed quia nondum Epiſcopo oblata ſunt, approbationem ſuam nondū acceperunt; eámq; ob cauſam omitto. Donaria porrò initio ſtatim oblata magno numero. Lampas argentea primis ſtatim diebus cōram S. Statua arſit: paramenta Sacerdotalia omnium colorum, & cætera ad Sacrificium Miſſæ neceſſaria. Ex omnibus maximè conſpicua eſt veſtis Sacerdotalis Pariſijs empta, in qua quidquid Phrygia acus poteſt, videre eſt, quamquam adfuerint, qui varias terras peragrârunt, & periti artis: nemo tamen inventus, qui majore artificio factam vidiſſe ſe aſſereret. Deniq; ut minora prætercam, bis mille & quadringenta ſcuta ſeu coronatos litteris cenſualibus apud Senatum depoſuit, Civis, in fundationem Miſſę perpetuę quotidianę: reſpondet unicuiq; Miſſæ paulò minus medio Imperiali. Atque hæc ideo fuſius expoſui, ut illi opinionem mutent, qui putant in medio nationis pravæ ſeu Hæreticorum, in quo Ditio Friburgenſis Catholica eſt, nihil ad majeſtatem Eccleſiæ glorioſum fieri poſſe. Primo decennio ſupplicationes è pagis advenêre ducentę viginti & una. Cantu celebrata Miſſæ Sacrificia 307. Miſſę Votivę a diverſis dictæ novies mille quadringentę octoginta & una, atque hæc infra annum 1647. & annum 1656. Nec minuitur, sed augetur pietas in hūc uſq; diem. Hęc omnia ex oculato teſte & omni exceptione majore.

Gratiæ. Lampas. Miſſæ.

DCCCXCIV.

Imago B. V. Miraculoſa. AUXILIATRIX. *Oeniponti in Germania Sup.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Ea Agna multum decora, ea it nimis pura.*

1. Pietas Auſtriaca.
2. Felix puerperium.
3. Imagines B.V.

LEopoldus Auſtriacus Ferd. II. Imperatoris ex Carolo Auſtriaco & Annâ Bavarâ frater Dreſdam Saxoniæ Metropolim cum Aulico comitatu ſe contulerat, viſurus Saxoniç Electorem Georgium. Exceptus à Duce ſic eſt, ut nemo eſſet, qui magnificētiam Aulæ Saxonicæ non vehementer miraretur. Fuit, cùm die quadam à Duce Auſtriacus in Aulam duceretur theſauro pretioſam, non illo quidem, qui auro facto infectóq; uſibus Reipublicæ cuſtoditur; ſed illo, qui ad oblectamentum oculorū monſtrat artis cum natura pugnam, queq; Pictura, Plaſtica, Sculptura, aliorumque artificiorum ingenioſi & pretioſi labores ornāt.

Non perfunctoriè omnia luſtravit Leopoldus, ut erat rerum Imago. iſtarum intelligentiſſimus. Placuêre pleraq;: at verò cùm, ut fit, à Duce data eſt optio, eligendi ex omnibus aliquid unum, quod maximè placeret, nec dubitaret, ad gemmas reſpecturum Auſtriacum, ille Virginis Deiparæ Imaginem venuſtiſſimi operis elegit, ut quid hæc (ajebat ſibi) inter profanas? quin imo frequēter poſtea narrare ſolitus erat, non ſine pio animi ſenſu viſam ſibi Imaginem liberari, & loco educi velle, & tantum non verbis id à ſe rogare. Itaq; petitam à Duce facilè obtinuit, non parum mirante, tam vili dono contentum abire Auſtriacum.

Hanc Leopoldus tabulam ligneam quinque palmos altam, quatuor circiter latam, dum vixit à ſe non dimiſit, ſed in cubiculo decenti ornatu collocatam retinuit. In itineribus plerumq; velut Sacellum portatile ſecum circumtulit. Multa ille miraculis adſcribenda per hanc S. Imaginem à B. Virgine obtinuit. Certè felix Sereniſſimæ Claudiæ partus, quo Sigiſmundum ſecundogenitum enixa eſt, huic S. Imagini adſcriptus eſt: & illa volentibus per omnem vitam ſuam promptiſſimè & ſuum & prolis ineluctabile periculum narrare ſolita eſt: poſtquam enim Imago hæc cubiculo puerperę illata eſt, omni timore diſcuſſo, puerperium miraculosè ſucceſſit; quemadmodum hæc fuſiùs ſcripta habentur in Archivio S. Imaginis. Puerperium.

Poſt Sereniſs. Leopoldi pium obitum viſum multis eſt, Imaginem eſſe publico dandam: quod pluribus pòſt annis ingēti pompa fecit Sereniſs. Ferdinandus filius, & in Parochia S. Jacobi decenter collocavit. Quamprimum Dei, ara populum Oenipōtanum vidit, & viciſſim à populo viſa eſt, mirum qua contentione utrinq; laboratum ſit, an populus Virginem pietate, an verò hæc illum beneficijs ſuperaret: atque ut populi pietas in hanc S. Imaginem ſemper magna fuerit, miris tamen modis aucta eſt Anno 1662. quo noſter Eccleſiaſtes modos docuit honorandi hanc S. Iconem.

Ante omnia ludum foliorum & teſſerarum, ita removit, ut quidquid foliorum & teſſerarum

rum

tum in urbe fuit, paſſim vel in plateis laceratum ſparſimq; videretur, vel in Silarim fluvium proijceretur eo loco, ubi Sacrum Chriſti Servatoris ſepulchrum ad amuſſim expreſsũ in veneratione eſt, ſiquid fortè abſconſum & huic cladi ſub tractum eſt, quòd neſcio paucorũ id vitio contigit, quos ipſos vel ſciri puduiſſet. In quem fluvium etiam dejectæ ſunt teſſeræ luſoriæ trecentæ minus tribus, aſſerentibus nonnullis, non niſi paucas à paucis abſcondi potuiſſe. Ita dæmoni numerus duobus Pſalterijs Marianis æqualis dari tunc non poterat; donec tres aliæ teſſeræ ex ipſa urbe Romana ſunt allatę, & in eundem fluvij locum quinto pòſt anno conjectæ; quæ teſſeræ prorſus mirabile conſecutæ ſunt iter.

Energumenus. Energumenus ex Helvetia Romã venit, qui plures & peritos Exorciſtas ita fatigavit, ut faſſi ſint dæmones eſſe potentes, nec niſi magno & diuturno labore eijci poſſe. Adeoque vir cæterà bonus ab omnibus deſertus miſerè circuibat. Supervenit Sacerdos Germanus pius, qui cùm obtenta licentia ſub patrocinio Deiparæ Ænipontanæ, de qua audierat, dæmones exorciſmis peteret, quos etiam feliciter ejecit in virtute, B. V. Auxiliatricis Ænipotanæ: prout teſtibus idoneis probatum eſt, dæmonum unus, nolle ſe à luſore eijci, conſtantiſſimis vociferationibus in præſentia plurimorum aſſeruit, luſorem identidem vocans pium Exorciſtam.

Non ille hoc vitium in ſe invenit: dum demum poſt longa & frequentia Conſcientiæ examina recordaretur, ſe in tornatili eburnea pixide præter balſama multis annis circumferre in thecula inferiore tres minutiſſimi operis teſſerulas, quibus nullo unquam ludo ſe contaminâſſet; ſed artis tantummodo gratia ita ſecum portâſſet, ut ne meminiſſet quidem. Has Illi dedit, qui priores teſſeras ante quadriennium Æniponti in profluentem projecerat, quique paulò pòſt Roma Ænipontum erat rediturus: cuius opera factum eſt, ut & iſtæ eundẽ in fluvium proijcerentur, & duplex illud pſalterium complerent, & dæmoni perfectè litaretur.

Ludus. Ad imaginem ſacram revertor. Ludo tam teſſeratum quàm foliorum perfectè exacto, mirum quantum in Virginem pietas aucta ſit, & Virginis in populum beneficia. Néve poſteros lateret tanta Virginis beneficentia, inſtituit, ut quicunque beneficium à Virgine obtineret, ſcripto id modo convenſiente teſtaretur, ſchedámque beneficij teſtem offerret. Porrò Centum ejuſmodi ſchedæ unum in librum compactæ ſunt, & quod mirum omnibus fuit, primis triginta diebus trecentæ quinquaginta & aliquot ſchedæ teſtes accepti beneficij allatæ ſunt, ſingulæ centuriæ ſchedarum ſingulos libros conficiunt: & primo triennio, id eſt, à 23. Martij 1662. ad 17. Martij 1665. tredecim ejuſmodi libri ſeu ſchedarum centuriæ confectæ ſunt, longè plures futuri libri, niſi trigeſimo die ab incepta pietate Concionatori ad alia negotia abeundum fuiſſet in Italiam. Dici non poteſt, quàm magna be-

neficia hîc loci à Deipara facta ſint. Unde tanta huius S. Imaginis æſtimatio fuit; ut paſsim ante domos picta per Urbē Oenipontanam ſit poſita, ita ut vix pauci civium ſint, quæ hanc Virginis S. Iconem ante domum ſuam non habeant. Porrò qui beneficium petunt, novies dicunt ſalutationem Angelicam per novem dies, cum voto teſtandi, ſi obtinuerunt. A terris remotis, ad quas hæc fama pervenit, huc ſchedæ miſſæ ſunt. Adſunt aliquot ex Italica urbe, Seno Gallia propè Lauretum grandium teſtes beneficiorum. Adſunt plures ex ipſa urbe Româ Æniipontum miſſæ: ut eas taceā quæ è vicinioribus locis ſunt allatæ. Atque hæc demum eſt illa ipſa Imago, ex qua Paſſauienſis miraculoſa deſumpta eſt: ut dixi in Imagine Paſſavienſi. Atque hæc ex teſte oculato & omni exceptione majore accepi.

DCCCXCV.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE SS. CAPILLIS.
Monachij in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Jo Eva pura germinans jam lactat Deum.*

1. Capilli B. V.
2. Vrbis pietas.
3. Imago B. V.

HAbet Societas JESU Monachij quæ Vrbs Bavariæ Metropolis eſt, Templum S. Michaëli Archangelo dedicatum, opus Guilielmi V. Ducis, principū feliciſſimi, cujus Templi deſcriptionem omitto, quia toti Europæ jam pridem innotuit, Pauci fuerunt Epiſcopi, Prælati, Abbates per omnem latè Germaniam, qui non præſignis alicujus ſancti reliquijs, hoc novum Templum honorârunt, accepta ad id à ſummo Pontifice licentia. Hinc tantus tantæque raritatis reliquiarum theſaurus, qui omnes, quot quot ſpectatū admittuntur, in admirationem rapit, nec locus hic eſt pijs probabilitatibus, omnia hæc ſecuris & Authenticis inſtrumentis probata cum ſint, dubium omne Spectatori eximunt. Anno 1666. Placuit reliquias eorum Sanctorum è Sacrario deferre in Templum quorum honori ſunt dedicata Sacella & altaribus inſerere, ea occaſione Sacello B. Virginis illati ſunt SS. Capilli ejuſdem de quibus, priuſquam plura dicam illis, ante omnia ſatisfaciendum eſt, qui innocenter ignorant, & ideo difficulter credunt, ſupereſſe de SS. Capillis Deiparæ, eâ ratione ducti, quòd omnes ſecum in cœlum acceperit, ſi his objiciam S. Chriſti Servatoris Sanguinem apud Marſilienſes in Gallia, & ejus guttas in linteis paſſim plurimis, in ſpinis de corona, in lancea Romæ & Anconæ, in veſte inconſutili Treviri, ſi conſiderandum eis dedero S. Chriſti Servatoris præputiū apud Antuerpienſes, peroravi. Sed multùm probationi accedet, ſi quædam adducam S. Templa, in quibus ab antiquo

tiquo SS. Capilli Deiparæ aſſeruantur, quos creditum eſt hactenus, à S. Veronica (ut hac vice S. Magdalenam de qua F. Amedeus in Apocal. prætercam) unà cum S. ſudario Romam allatos tempore Tiberij, ut habet R. P. Ioan. Polandus tom. 1. Febr. Incipio à Siciliæ Regno & eius Vrbe Plazza, in qua hodiéque in ſumma veneratione ſunt, ut probo in Imagine. 898. Belgium quoque pluribus in templis habet colitque SS. Deiparæ capillos. *Wickmannus l. 1. c. 10. Brabantia Mariana*, nominat Templum Divi Servatij Moſætrajecti Cænobium Gemblacenſe Ord. S. Benedicti: Templum B. V. in Wauriâ Monaſterium Virginum Ordinis S. Benedicti in Foreſto: Abbatiam S. Gertrudis Lovanij Canon. Regularium S. Auguſtini: Oratorium Regium Bruxellis. Idem quoque auctor *lib. 1. c. 9.* ait, Waiiam allatam ab Angelis capſam, non humano, ſed Angelico ſchemate fabricatam, in qua aſſerit *lib. 2. c. 67.* præter alias reliquias fuiſſe ſacros quoque Deiparæ capillos. Sunt quoque, quos & ego vidi in Bavaria noſtra, in Monaſterio B. Virginis Etalenſi Ord. S. Benedicti, Habet SS. Deiparæ Capillos Hiſpania Oveti: Gallia Trecis, & Anicij, Belgium Aquisgrani, & Audomari: Burgundia Veſontione, ut refert & probat *R. P. Joannes Ferrandus* noſter, natus Aniencis, in diſquiſitione ſua reliquiaria. Denique quod in Vrbe Brugenſi in Belgio habeantur & colantur, refert & probat *Hugo Farſitus* Canonicus Laudenſis, libro miraculorum B. V. Sueſſionenſis.

Venio ad caput orbis Romam. Scribit *Onuphrius*, S. Helenam Templo Sanctæ Crucis in Hieruſalem, quod in Vrbe Romana ipſa extruxit, inter alias reliquias repoſuiſſe partem Sanctorum Capillorum Beatæ Virginis. *Octavianus Pancirola* accuratiſſimus S. Vrbis ſcriptor nominat quamplurima Templa, quibus aſſerit aſſervari Sanctos Capillos Beatæ Virginis, quæ omnia Templa ex nomine hic apponerem, ſi nunc mihi Auctor alibi ſæpiùs lectus ad manum eſſet. Adjungo Auctoritatem ſummi Capitis. *Ciacconus* in vitis ſummorum Pontificum memorat de Vrbano VI. quæ ad verbum hîc appono *Vrbanus VI.* inquit, *Pontifex maximus cùm ex Vrbe Roma Avenionem in Galliam proficiſceretur, ſecum amoris causâ Capillū Dei genitricis Mariæ non ſine cordis ſui delitijs ſolicitè detulit.*

Venio ad ipſam Deiparam, quæ curam SS. Capillorum ſuorum habet etiamnum. *B. Alanus de Rocca* ord. S. Dominici vir fuit ſecundùm cor Mariæ, inter gratias innumeras illa fuit, meo quidem judicio, prima & principalis, quòd illum voluerit habere ſponſum, eumque in finem ei dederit annulum pretioſum, qui fuit contextus è SS. Capillis ejusdem Dei genitricis Mariæ. Ita *R. P. Paulus Barry* noſter in anno ſancto cap. 3. devotione 2. ex vitis Illuſtrium virorum ordinis S. Dominici.

Quid quòd ipſe Deus curam habet SS. Capillorum B. V. qui adhuc in terris ſunt. Rem fideliter recenſeo. *Cùm S. Brigitta aliquamdiu moraretur Neapoli, Clara, Mo-*

nialis ad S.Crucem ad eam miſit, qui ei nomine ſuo hæc nunciaret: Habeo, inquiebat, SS. Capillos B. Virginis Mariæ, quos mihi Sancta quædam Regina dono dedit: hos tibi tradam ex mandato Dei. Si ſignum petis, vera eſſe, quæ dico; ſcies ex eo, quòd paulo poſt moritura ſim, & itura ad Dominum meum, quem anima mea ſuper omnia amat, quod & poſt paucos dies factum eſt. Adhuc tamen S.Brigitta dubitabat, num hi numero capilli Deiparæ fuiſſent: cùm Beata Virgo Maria ei apparens, hæc ei verba dixit: Quàm verum eſt, quòd ſim generata ex Joachimo & Anna, tam verum eſt, hos capillos fuiſſe in capite meo. Ita liber Revelationum S.Brigittæ parte 2.c.94.editionis Romanæ 1628. Hinc eadem S. Brigitta in oratione, qua laudat omnia Sancta membra B.V. ſtatim ſecundo loco laudat SS. Capillos *gloriâ honoris coronatos*, ut in ejuſdem Revelationibus videre eſt.

Atque hæc neceſſariò dicenda mihi erant, ut ijs ſatisfacerem, quibus ſtat ſententia, nullos in terra B. Virginis Capillos relictos; ſed omnes in Cœlum aſſumptos. Unde ergo in tot locis reperiuntur? cur, ſi nulli eſſe hic poſſunt, Sanctionibus Pontificijs, & Epiſcoporum auctoritate è Templis & Sacrarijs jam pridem eliminati non ſunt? cur tamdiu populo & Religioni illuſum? ſimul etiam puto ijs ſatisfactum, qui exiſtimant, Capillum velut rem tam levem nullo honore dignum. Quid enim Sudaria & ſemicinctia Pauli, Cathedra lignea S.Petri, Umbra Petri jam olim in honoribus fuère? quid fimbria veſtis Chriſti honoratur? quid veſtes Mariæ Conſtantinopoli honoratæ Templo ſumptuoſiſſimo? & Capilli Matris Dei ſint honore indigni? gratum ſanè nobis eſt, quòd capilli capitis noſtri omnes numerati ſint, & nec unus cadat in terram ſine patris cœleſtis voluntate. *Capillus de capite veſtro non peribit ſine voluntate patris veſtri*, inquit ſuis JESUS, & ſoli Matris Dei capilli ſine honore ſint? ſi hoc indoctus dicat, erit mihi, ſicut ethnicus; ſi doctus, erit mihi etiam ſicut publicanus.

His factis Mariæ Capillis ligantur matrimonia diſſoluta, frenantur filij effrenes, colligantur manipuli fructuum ſeu bonorum operum noſtrorum. Si Samſon in fortitudine capillorum ſuorum, Leonem diſcerpſit, hoſtes cecidit, portas aperuit urbis, cur hoc Maria non poſſit?

Vitæ expers ſit neceſſe eſt, quem SS. Deiparæ Capilli non cum dulci ſenſu feriunt; ex quo ipſe Deus fatetur ſe vulneratum in uno crine colli ejus. Magdalena capillis ſuis ſuas lacrimas tergebat: Maria terget & abſterget omnem lacrimam ab oculis ſuorum. Neſcio denique, quibus alijs funiculis Chriſtus omnia tracturus ſit ad ſeipſum; ex quo omnia nos (Bernardo teſte) voluit habere per Mariam. Multi multa, & bene offerunt, cur Sponſus S. Virginis Capillos aſſimilet pilis caprarum Cant. 4. Si mea me non fallit opinio, ideo eſt, quòd ut cimelia quæ-

cunq; odoribus quibuſcunq; imbuta quamprimùm pilis caprinis involvuntur, omnem odorem perdunt, ita in corde hominis ad unius Mariani capilli præſentiàm totus mundus ſuavitatem ſuam, ita perdit, ut diſpliceat.

Hos autem, de quibus loquor, è veris Deiparæ Capillis eſſe, præter ea, quæ in authentico Inſtrumento fuſiſſimè habentur, quæ hîc brevitatis causâ omitto, quærentibus poſſum verba dicere, quæ Chriſtus dixit nuncijs à Joanne miſſis: Ite, & renunciate, quæ vidiſtis & audiſtis: videte, quæ hoc ſexennio ſigna receptarum gratiarum advenerint.

Numerate Cerea dona. Innumera & etiamnum quotidiana.

Tabellas teſtes acceptorum beneficiorum.

Dona argentea, quibus parietes Centuriatim teguntur magno numero.

Coronas è lapidibus pretioſis, 8.

Annulos aureos gemmatos, ducentos circiter, è quibus bis Mariæ nomen trabalibus litteris figuratum in tabulis pendet.

Uniones & adamantes inter ipſum tabernaculum.

Videte lampadem argenteàm cum cenſu perpetuo è quadringentis florenis pro oleo.

Numerate Sacerdotes pretio (quod hîc loci trium Juliorum Romanorum eſt, ſeu medius florenus Germanicus) conductos pro Miſſis Votivis dicendis. Certè hoc ſexennio dictæ ſunt Miſſæ conductæ à Religioſis, & Presbyteris ſæcularibus (nam noſtros non computo) non pauciores tribus millibus.

Donariorum, denique tabellarum, quibus muri teguntur & ſchedarum numerus, numerum eorum æquat, qui beneficium ſe accepiſſe teſtantur, non eorum, qui accepêre: neq; enim ideo Chriſtus tantum unum Leproſum mundavit, quia unus è decem ſe ſtitit. Ita etiam plures ſunt, qui beneficium à Virgine accipiunt; quàm qui accepiſſe ſe teſtantur.

Porrò SS. Capilli anno 1666. 20. Novemb. è theſauro Sacrarij deſumpti, quâ potuit fieri ſolennitate, in ſummo altar. ſunt in Capſâ argenteâ collocati. Ipſo autem feſto Virginis Præſentatæ ad Sacellum Deiparę poſt Veſperas deportati & in Tabernaculo pretioſo ad id preparato repoſiti: ubi in quotidiana veneratione populo pientiſſimo proſtant; ita tamē, ut ſummis tantùm feſtis videri queant. Inter miraculoſas Imagines pono; tum quia Imagini incluſi ſunt, Græcæ & antiquiſſimæ picturæ, quæ olim in ſumma veneratione fuit; ut è multis ſignis colligitur, ac utique beneficia præſtitit etiam dico miraculoſa, olim certè auro veſtita fuit, de qua tamen, quia nil aliud extat, miraculoſę nomen non prędicamus. Tum quia non pauca miracula ſufficientibus teſtimonijs, id eſt, pictis, & ſcriptis tabellis extant, quæ tunc afferam quando examini ſubjecta Ordinarij & approbata fuerint.

Nec populus Monacenſis, ut eſt Virgini addictiſſimus, his limitibus claudi paſſus eſt pietatem

tatem ſuam, ſed miro Numinis inſtinctu civitatem licet ante ut dixi Deiparæ devotam, totam Marianam fecit, ita paſsim per omnes urbis plateas Imagines Virginis diverſiſsimis figuris ante domos ſculptorum pictorúmque opera expoſitæ ſunt, quarum non paucæ ſunt è metallo fuſæ, aliæ è lapide aut ligno ſculptæ, plurimæ ex argilla, omnes in ſuis hemiciclis decorè collocatæ, pleræque in muro pictæ magnitudine ſua & pretio inſignes, plurimæ ex his lampadem habent Sabbatis & vigilijs Deiparæ, ardentem & ardentis affectus, quo flagrat Pater familias in Deiparam indicem. Et iſtæ & aliæ ita poſitæ ſunt, ut cùm nocturno tempore SS. Sacramentum ad ægros portatur utrinque ſub aperta feneſtra poſitæ ardentes candelæ S. Imaginem ornent. Demum mirantur exteri picturæ & ſculpturæ varietatem in domibus opulentiorum; in pauperum domibus æquali in Deiparam affectu poſitæ ſunt ad portam domus Imagines Cartaceæ. Ita quibus voluntas eſſet coram quavis Deiparæ Imagine deponere pileum, labori tanto, ut parcerent, conſultius eſſet, ſi per omnem, quàm latè patet Urbem detecto capite ambularent. Hæc hodie Monacenſium in Virginem devotio eſt.

DCCCXCVI.

Imago B. V. Miraculoſa. DE SS. CAPILLIS. *Avenione in* Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Mater gaudet ea unica pura omnis mali.*

1. S. Capilli B. V.
2. Summus Pontifex.
3. Iter pium.

IN quo templo Avenionenſis Vrbs Deiparæ SS. Capillos conſervet hodie, non habeo dicere: quòd illuc allati ſint, nec quis illos Avenionem tulerit lectori dare poſſum. *Ciacconus* Ord. S. Dominici, Auctor in Urbe Romana notus, ſi non etiam natus, vitas ſummorum Pontificum accuratè ſcripſit, ne ſolus Platina, qui quandóque malis materiam præbet, in oculis verſari, & manibus teri debeat. Hic, inquam, Auctor in Vita Vrbani VI. ſummi Pontificis, cùm triſte illud iter deſcribit, quo propter temporum injurias Romanam urbem deſeruit dictus Pontifex, & Avenionem cum tota Aula Profectus eſt, ſolicitè illud ſuſcepiſſe memorat, adéoque è ſuperis quæſiviſſe viæ ducem & Protectorem, & quia erat Deiparæ addictiſſimus, eam elegit, ſine qua nec vivere deſideráſſet. Atque ut illa ſui aliquam partem in oculis haberet, quoties Pontificem eſſet aſpectura, Capillum unum Deiparæ ſecū accepit, appono ipſa Ciacconi verba. *Vrbanus VI. Pont. Max. cùm ex Vrbe Roma Avenionem in Galliam proficiſceretur, ſecum amoris causâ Capillum Dei Genitricis Mariæ non ſine cordis ſui delitijs ſolicitè detu-*

detulit. Illuc itaque capillum unum Deiparæ Virginis veniſſe, & quidem à Summo Pontifice allatum, quin & cultum fuiſſe, certum eſt, quid ultra poſtea contigerit, in quo Templo cultui publico fuerit expoſitus, quæque Deipara Supplicibus beneficia contulerit, negligentia majorum nobis invidit: & nos de c[o]llatis aliquibus miraculoſis beneficijs prudenter dubitare non poſſumus.

DCCCXCVII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE SS. CAPILLIS. *Anicij in Gallia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *O viva munda Eſter placat Regi animam.*

1. Capilli B. V.
2. Dedicatio.
3. Somnium.

CUm paſſim apud Auctores invenerim, Anicij in Gallia haberi in veneratione ab antiquo SS. Capillos Beatiſſimæ Virginis, illuc ſcripſi, & reſponſum accepi à *R. P. Gabriele Boerrij* Soc. JESU, anno 1667. 26. Octob. in hæc verba, quæ hîc appono.

Anicienſes à primis Chriſtianæ Religionis temporibus Marianorum capillorum partem ſibi vindicarunt, quos bombice involutos, argentóque incluſos in Reliquiarum Sacello religioſé ſervant, advenis oſtendunt, & in Reliquiarum indiculo jam pridem exactè confecto, primo & Principe loco ponunt, hoc nimirum ordine. 1. Pars Capillorum Beatiſs. Virginis. 2. Zonæ ejus particula. 3. Campeſtre, quo tectus Dominus JESUS, adhuc ſanguineis guttis aſperſum &c. 22. De Lacte B. V. aliquid. 23. Duo Virginei Sottulares haud inter ſe diſſimiles &c. quomodo autem dicti SS. Capilli B. V. huc devenerint, ex origine Anicienſis repeto. *S. Evodio Epiſcopo & Sancto Scrutario Romam Anicio ituris pro licentia Dedicationis facienda Anicienſis novi Templi, vixque quartam leucæ partem Urbe Anicio egreſſis, obvij fuêre venerabiles duo ſenes, qui ſe Delegatos à Calixto Summo Pontifice ajebant, juſſóſque utrique nunciare, Templum Deiparæ jam ab Angelis accepiſſe ſuam conſecrationem. Addidêre ſcriniola duo Reliquijs plena, atque hæc, inquit, alter, nudis pedibus ad Templum portate. Ita refert R. P. Giſſæus noſter in Hiſt. Gallica B. V. Anicienſis, ex antiquiſſimis manuſcriptis.* Templ[um].

Atque hæc de SS. Capillis B. V. qui habentur Anicij. Nunc addo, quæ Anicienſes tradunt de origine hujus Templi Mariani.

Mulier ægra juſſa eſt adire montem & rupem Anicij, quæ illic delata, jam ſecunda vice Deiparam in ſomno vidit. Laudabat Deiparâ obedientiam, & ſanaberis, inquit, ſtatim, quod autem ego volo, eſt, ut hîc mihi Templum ædificetur. Illa actis gratijs, S. Georgio primo loci Epiſcopo & à S. Petro circa Annum Christi 60 miſſo viſa refert. Appari[tio].

Georgius Epiſcopus cum Clero aliiſque locum accedens invenit nivem, utiq; miraculoſam nam undecima dies menſis Julii erat, atque ut Deipara duplici miraculo Templi ſui veſtigia indicaret, Cervus repente viſus, qui poſtquam per nivem & nivis ſpacia bis terve decurrit, videri deſiit, veſtigiis tamen ita reſtantibus, ut quam perfectiſſimè ambitus Templi deſignaretur, quem Virgo vellet. Epiſcopus quàm primum jubet locum virgultis & ſudibus cingi ſucceſſoribus Templi fabricam relicturus.

Cervus.

Interim fama pervenit ad S. Martialem Aquitanorum Epiſcopum, qui otiùs locum accedens in eo altare erexit & Deiparæ Calceum, quem habebat loco donavit, qui etiamnum aſſervari Anicii dicitur. Manſit ſacer locus ſine Templo uſque ad Annum 221. poſt Chriſtum, quo S. Evodius ſeptimus Epiſcopus Anicienſis Romam profectus eſt.

Cauſa profectionis fuit mulier, quæ per ſomnum juſſa eſt à B. Virgine ire ad locum ſepe jam à pluribus annis cinctum, ibi, inquit, ab infirmitate tua ſanaberis, illuc deportata atque iterum ad Altare à S. Martiali Deiparæ erectum in ſomnum lapſa Deiparam vidit duabus legionibus cinctam, unâ Angelorum, Virginum alterâ. Ab hac jubetur accedere Evodium Epiſcopum & ædificii tamdiu dilati poſcere principium.

Apparitio.

Evodius indicto jejunio triduano & exacto ordinata ſupplicatione locum accedit iterumque nives invenit ferventiſſima licet æſtate, jamque non dubius de voluntate Numinis. Tamen Romam uſque ad Calixtum Papam inſtituit iter conſilio & auxilio petendo. Calixtus re tota per revelationem divinam intellectâ, gratulatus hoſpiti eſt & honorificè exceptum magno Reliquiarum theſauro ditatum dimiſit adjuncto ei S. Scrutario. Reduces Anicium, Templo initium dedêre, & quia optimus quiſq; Chriſtianorum auxilium dedit, etiam finem.

Supererat facienda dedicatio, pro cujus licentia uterq; Romam ſecundo ire decrevit. At iter ingreſſi. Vix quartam leucę partem confecerant cum obvios habent venerabiles duos ſenes, qui ſe delegatos à Calixto ajebant juſſoſque utrique nunciare, Templum Deiparæ Anicienſe jam ab Angelis accepiſſe ſuam Conſecrationem. Addidêre ſcriniola duo Reliquiis plena, hæc inquit alter nudis pedibus ad Templum portate, reperietis portas ut reliquiſtis clauſas, quę tamen ſponte vobis aperientur, campanæ inſuper nemine manum admovente feſtivo clangore has Sanctas Reliquias excipient, inſuper Templum Candelis accenſis repletum invenietis, & Altare recenti Criſmate perunctum. Abiêre in auras viri. Evodius cum ſocio Anicium; & nihil non invenêre quod viri dixerant.

Hæc Anicienſis Templi origo.

DCCCXCVIII.

DCCCXCVIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE SS. CAPILLIS. *Plaziæ in Sicilia.*

Progr. AVE MARIA, gratià plena; Dominus tecum.

Anagr. *Agna mea mera pura ò unica ditem luſit.*

1. SS. Capilli B. V.
2. Revelatio,
3. Vexillum.

Conſtat, magnum Siciliæ Comitem Rogierium, & Saracenorum terrorem, in ſui cuſtodiam tenuiſſe aliquot è SS. Capillis B. Virginis. Hi in Vrbe Plazienſi uſque ad annum 1163. ſummo cultu aſſervati, cùm Vrbs arctiſſimè à Mauris obſideretur & jam deditioni vicina eſſet, ſolenni antiquorū juramento, in ſpecu ad id præparato, cum quibusdam alijs, & lampade accenſa fuerunt abſconditi, atque etiam incogniti unà cum ipſo loco permanſere, uſque ad annum Chriſti 1349.

Quo anno cùm peſtis Vrbem affligeret, Deiparæ placuit hunc theſaurum iterum publico dare. Quapropter *Joanni de Candilia* pio Sacerdoti apparens locum revelavit, qui cum Epiſcopi licentia Religioſis ſupplicationem indixit, quam frequens populus auxit. Conſpecto monte, populus omnis in genua provolutus, latentem adhuc theſaurū piëntiſſimè ſalutavit. Interea inter Cleri & Religioſorū Cantus *Joannes de Candilia* Sacerdos, & totius pompæ auctor, locum acceſſit, & brevi oratione præmiſſa, accepto ligone terram, à centum octoginta ſex annis nullo ſarculo, nullo ligone tentatam, removit: & foſſione non diuturnâ ad oſtium ſpecûs nemini cognitum devenit, quod in præſentia plurimorum teſtium ritè apertum eſt: & nondum ingreſſis miraculum in omniū oculos incurrit. Siquidem lampas, quam majores ante centum octoginta ſex annos accenderant, adhuc ardebat, & cū vexillo Rogierij comitis (de quo ſuo loco) aliquot SS. Capilli B. V. decorè involuti, & cuſtodiri, comparuerūt, cæteris omnibus reliquijs uligine ſpecûs putrefactis. Atque hæc die 3. Maij, contigere, anno 1549. viſum Epiſcopo eſt, unà cū Magiſtratu Vrbis, inſtituere cultū SS. Capillorū perpetuum. Electus eſt ipſe dies inventionis, tertius Maij, toti Vrbi Plazienſi hodieq; præ cæteris toto anno feſtivus; quo copioſiſſima ſupplicatione, quantâ fieri ſolennitate, poteſt, SS. Capilli per Vrbis præcipuas plateas & fora circumportantur: vocatúrque feſtum *SS. Capillorum* B. Virginis non ſine miraculoſis beneficijs, quæ durante ſupplicatione, in ſupplices per viam à Deipara ſparguntur. Antiquiora ignorantur. Anno 1555. fæmina à medicis deſperata, & longis annis infirma, dum ſupplicatio tranſiret, præſente Epiſcopo convaluit. Anno 1563. alia arthritidis doloribus mirè & diu torta, eodem 3. die

Revelatio. Miraculum. Proceſſio.

Maij, dum pompa tranſiret, in conſpectu penè totius populi ſanitatem recepit. Anno 1625. *Vincentius Inguardiola* deſperatus à medicis, bibit aquam benedictam ad honorem SS. Capillorum, facto voto faciendi capſam auream pro cuſtodia SS. Capillorum, ſubitò convaluit. Hæc omnia, & plura videri poſſunt apud *R. P. Paulũ Chiaranda Socie. JESV* in deſcriptione Vrbis Plazæ l. 3. c. 5. & 8. &c.

Miracula.

Videri poteſt Imago Nucerina CCVI. quæ etiam SS. Capillos B. V. habet.

DCCCXCIX.

Imago B. V. Miraculoſa.

MARIA PACIS.

Waveræ in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Jure innoteſcat Alma Gemma pura Diva.*

1. SS. Capilli B. V.
2. Reliquiæ Cœlitus miſſæ.
3. Statua loquens.

WAvera celebre municipium, milliari unico Bruxellis diſtat. Colitur hic Deipara ſub titulo Mariæ pacis ego de SS. Capillis mallē Titulum. Non repeto quæ dixi in Imagine. Affligemienſi, cum de Capſa ſcriberem huc cœlitus miſſa, & Angelorum manibus fabricata, in qua præter lignum S. Crucis Chriſti JESU Sanguine tinctũ; atque filum de tunica inconſutili quinque cubitos longum, etiam SS. aliqui Capilli Deiparæ hic continebantur.

Miraculis locum claruiſſe arguit ſupplicatio affligemienſium; qua miraculoſa B. V. Statua fuit humeris religioſorum nudipedum deportata, quæ ſalutantem Bernardum reſalutavit. Adfuit ſupplicationi Dux Godefridus III. adhuc infans cum tota nobilitate, è populo ultra triginta millia. Religioſi omnes quot quot affligemij degebant nudi pedes & capite diſcooperto auxere pompam ſi eos excipias quibus ſenium aut ægritudo id vetuit. Vix ſacra theca illata eſt templo S. Nicolai Bruxellis quamprimum peſtis ceſſavit, & miracula ſupplicibus è cœlo data. SS. Hierotheca Spatio quatuor hebdomadum ad octoginta pagos circumlata omnes peſte liberavit.

Proceſſio

Duravit hæc S. Hierotheca uſque ad Iconomachorum, Calviniſtarum hæreſin. Cùm enim armata manu diriperent affligemiũ neſcio quo indice defoſſam in terram S. Hierothecã eruerunt, & ut auditum eſt igne combuſſerunt, utique non ſine vindicta Cœleſti, quæ tamen inter illas turbas, catholicos inobſervata præterijt videri poteſt præter Mikananum l. 2. c. 67. Auctarium Chronici Sigeberti Titulum denique accepit à pace, propter eam pacem quam Brabantini & Grimbergani fecère de qua quia ad rem meam non eſt ſileo.

C M.

C M.

Imago B. V. Miraculoſa. MINSCENSIS. *Minſci in Lituania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Agna mea vindicat ſe puram utero mali.*

1. *Remedium peſtis.*
2. *Imagines miraculoſa quæ.*
3. *Supplicatio.*

Minſcum Urbs principalis Lituaniæ eſt. Præterfluit Urbem Amnis Svvisloz, in quo ſub Annũ 1500. inventa eſt hæc Imago. Hanc ſive Scytha quiſpiam, aut Sarmata, cùm Kiovia ſpoliaretur, in aquam dejecerit, ſicque natatu Minſcum devenerit, ſive quod plures credunt, divinâ virtute huc allata ſit, incertum eſt. Reperta in flumine Imago, à toto Clero, comitante Civium ingenti multitudine, à ripa in caſtrum, quod Urbi imminet, & caſtri Templum illata eſt. Hodie tamen, ut cultui publico pateret, & pluribus prodeſſet (neque enim aditus multitudini in caſtrum datur) in Templo S. Spiritus, quod Monachi S. Baſilij Romanæ Eccleſiæ uniti curant, honoratur. Præter alia miracula typis data (ubi multa de cæcis ac energumenis mentio eſt) peſtis eſt, quam fœdè graſſantem circumlata per Urbem S. Imago non ſtitit modò, ſed etiam omnino & protinus pepulit. Memoratur quoq; ingens victoria ad hujus S. Imaginis præſentiam de Scythis reportata. Ita R. Pater Albertus Kojalovviz Societatis IESU Rector Vilnæ. Peſtis.

Nota eſt Lectori adhortatio S. Caſimiri Natione Lituani ad cultum B.V. quæ incipit Omni die dic Mariæ. *Placuit huic S. Imagini Lituaniæ pro concluſione Nonæ Centuriæ adjungere ejuſdem materiæ ejuſdem metri novum recentis poëtæ carmen luce dignum.*

Quantum potes, mores, dotes,
Virginis deprædica:
Tota rara, & præclara,
Tota fuit Cœlica.
Scio certè, & diſertè,
Sat nequeant labia,
Prædicare, vel narrare
Ejus mirabilia.
Sed intendo, me impendo,
Ut poſſim ſuſpicere,
Admirari, ſaltem fari,
Nec, quod queo, dicere.

Non ſunt digna, ſed benigna,
Imperatrix ſuſcipe,
Quæ ſincero, corde fero,
Voce tibi ſupplico.
Omni horâ, ſine morâ,
Hanc Virginem colite,
Hanc Puellam, Dei Cellam,
Adorate poplite.
Omne donum, quodvis bonum
Quod nobis conceditur,
Temporale, Spiritale,
Per Mariam petitur.

Melleſluxit, qui hæc ſuxit
E JESU myſteria.
Quòd ſit hortus, quòd ſit portus,
Quòd per illam omnia.
Evæ morſus, Caro prorſus
Nobis conſtat poſteris.
Innocentes, nec potentes
Pœnæ, dantur inferis.
Inobedit, quando edit
Strictè ſibi vetitum
Hoc en certo, quod aperto
Cœlo, claudit aditum.
Ut Aurora condecora
Surgens, hæc recuperat.
Cuſtoditum & munitum
Paradiſum reſerat.
Obedivit & contrivit
Caput dirum viperæ:
Pugnæ palmæ hæ ſunt Almæ
Virginis Puerperæ.
Reparavit, quod patravit
Eva ſimplex fæmina:
Orcus pavit, exultavit
Cœlum, dicens carmina.
Diu amiſſam, & abſciſſam
Reſtauravit gratiam.
Per hanc patet, nullum latet,
Ingreſſus ad Patriam.
Hæc petitæ fons eſt vitæ
Manans inſtar fluminis:
Hæc Idola, ſtravit ſola
Noſtri causâ luminis.
Sit vel Magus, mente vagus,
Qui hunc portum reſpicit:
Modò verò, nunquam ſerò,
Sed ſalutem conficit.
Imò vanus, & inſanus,
Eccleſiæ Spurius,
Ipſam amet, & ſpes manet
Quod ſe vertet puriùs.
Eja Mater, fac ut Pater
Condonet Omnipotens,
Dum nos mundat, fac infundat
Ratum, quod ſcis eloquens.
Ora Natum, & pacatum
Poſt hoc nobis exhibe.
Culpas flemus, abhorremus,
Caſtigantem inhibe.
Spem, Amorem, fidei rorem
Spiritus, fac, influat:
Quòd ſit unus, Deus Trinus
In Perſonis, inſtruat.

ALTERA PARS.

O Regina, ô Divina
Cœli, Terræ Domina;
Per quam grata nobis data
Sunt ſalutis omnia.
Quando premor, tuæ memor
Laudis ſis inſtantium;
Nullum ſpernis, nec contemnis
Preces te amantium.
Quis hoc credet? mites præbet
Oculos immeritis:
Sint nocentes, te quærentes
Donis imples cœlicis.
Ream noſco, reple, poſco,
Sic Clientis animam;
Impertire, elargire
Tot offenſis veniam.
Qui peccâſti, aberrâſti
A ſalutis limine
Curre citò, hanc adito
Deteſtato crimine.
Te agnoſcet, pro te poſcet,
Per quæ ſuxit ubera:
Suum Natum mox placatum,
Qui dimittet ſcelera.
Benedicta, & Invicta
Norma patientiæ,
Fons Amoris, fons dulcoris
Purus fons Clementiæ;
Hanc, qui colit, velit, nolit,
Percipit auxilium.
Derelicto & Afflicto
Abundat Conſilium.
Vix amandi, vel rogandi
Habet deſiderium;

CM.

Convaleſcit, qui langueſcit,
  Sentit refrigerium.
Sat experti probant certi,
  Quod quælibet tetrica;
Sint perpeſſi indefeſſi,
  Per illius merita.
Quibus ſortem, mentem fortem
  Dedit, grates conferunt:
Mille vitam reſtitutam
  Debere plus aſſerunt.
Caſu miro, plures diro,
  Et infauſto omine;
Præſervati, recreati
  Invocato nomine.
Si moleſtet, ac infeſtet
  Omnis turba Dæmonum:
Liberaris, cùm precaris
  Hanc Tutricem hominum.
Felix Omen, hujus nomen,
  Et nimis amabile:
Qui noverunt, perceperunt,
  Quàm ſit delectabile.
Semet necant, hanc qui negant,
  Matrem eſſe Virginem:
Deteſtemur, execremur
  Diram habitudinem.
Imperiti, qui metiti
  Hoc ſunt ſuo cerebro:
Impudentes, neſcientes
  Quod ſit majus cætero.
Conſpurcari, credunt pari
  Lege, Matrem Numinis;
Quâ fœcundas, & immundas
  Sexus, plenus criminis.
Regis Matri jure nati,
  Dent præeminentiam:
Matris Dei fruſtrà rei
  Tentant excellentiam.
Maledicta, ſat devicta
  Orco lingua genita:
Pice flues, tuis lues
  Blaſphemijs debita.
Quàm MARIAM, Lucis viam,
  Offuſcare poteris:
Priùs Solem, priùs molem
  Univerſi verteris.
Sine labe, ſine tabe
  Verè ſine maculâ,
Prodijſti, quæ luxiſti
  Salutaris facula.
Illibata es creata,
  Cum gratiæ copiâ:
Eras munda, dum fœcunda
  Hoc vult tua gloria.
Cur non necem, in hanc fęcem
  Virgo potens inijcis?
Cur immunè, & impunè
  Tantum ſcelus inſpicis.
O effuſam, & abſtruſam
  Pietatem Virginis?
Quæ punire, nec perire
  Vult hoc genus hominis.
Sed expectat, cùm delectat
  Improbos injuria:
Si redirent, reperirent
  Spem, pro Cœli Curiâ.
Mater Chriſti, quæ manſiſti
  Caſtitate integrâ:
Hæc, quæ peto, obtineto
  Salutare impetra.

TERTIA PARS.

Liberatrix, Mediatrix
  Pro cunctorum crimine;
Quæ nos malis præſervabis
  Mortis in examine.
Suſpiramus, imploramus
  Sana nos ulceribus;
Decorare non gravare
  Gratiæ muneribus.
Prælecta & Perfecta,
  Virgo plena gratiâ;
Quæ geſtavit, qui creavit
  Magna Cœli atria.
Gravidatur, non mutatur,
  Pura ſicut lilium;
Deum fovet, qui non movet
  Caſtum domicilium.

Sanctè nata, nec fœdata
  Maculâ originis;
Venialis actualis
  Vixit, expers criminis.
Longè Chorum Angelorum,
  Nunc beatitudine,
Vincit Polos, vincit Thronos
  Rarâ celſitudine.
Sine noxâ, Orthodoxa
  Ni obſtarent monita,
Diceremus, crederemus
  Famâ Deam inclitâ.
Qui frequenter, ac ferventer
  Votis ad hanc ingemit;
Cœlum patet, vitam habet,
  Séque morte eximit.

Crede pie, qui MARIÆ
  Sæpe laudes proferunt;
Reprobari, vel damnari
  Nec perire poterunt.
Mater Ave, Virgo fave
  Nobis te colentibus.
Non averte, ſed converte
  Oculos gementibus:
Nos tuere, miſerere
  Tuorum Clientium;
Sis ſolamen & Juvamen,
  Tibi Confidentium.
Adjuvemur, & lætemur
  Tuo patrocinio.
Roboremur, nec privemur
  Sempiterno prœmio. Amen.

TRIAS
ATLANTIS MARIANI
QVARTA.

Continens X. XI. XII. Centuriam

HISTORIARVM.

De origine Imaginum Miraculoſarum.

MARIÆ
INDIVIDVÆ TRINITATIS
TRICLINIO

Ab Auctore

DICATA.

Beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti,

(O MARIA.)

Habitabit in atrijs tuis. Pſalm. 64.

PROGRAMMA.

Salve Regina mater miſericordiæ, vita, dulcedo, & ſpes noſtra ſalve. Ad te clamamus exules filij Evæ. Ad te ſuſpiramus gementes & flentes, in hac lachrymarum valle. Eia ergo advocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos converte. Et IESVM Benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende. O clemens, O pia, O dulcis O Virgo MARIA.

ANAGRAMMA.

Salve O Virgo parens miſerorum juge levamen
Spes ter-fida, ſalus conſtans, dulcedo tuorum
En te ſollicita Evæ turba reclamat, & ad te
Exul ab hac lachrymis immerſâ valle gemiſcit.
Eia ergo, o miſeris tutamen dulce relictis,
Ad nos de cælis oculos converte faventes,
Dum poſt exilij, noſtra hæc faſtidia, mundi,
Dono, o vita, tuo, poſsimus cernere IESVM.

Auctore
R. P. Joanne de Landres Soc. JESV.

CENTURIA X.

CMI.

Imago B. V. Miraculoſa DE COGULLADA. *Cæſarauguſtæ in Hiſpania.*

Progr. AVE MARIA, gratia plena; Dominus tecum.
Anagr. *Eva Regis arca pluviam non timet Adam.*

1. *Statua mutans locum.*
2. *Statua inter Saracenos ſecura.*
3. *Alaudæ felix proditio.*

Muliercula Iberi fluminis oram legebat, herbas quæſitura & radices, quas vel venderet, vel ipſa ederet; cùm Alauda ſuaviſſimo cantu mulierem primùm detinuit, non ſine faſtidioſi laboris ſolatio, ſed ubi cantûs ſuavitas fœminam etiam in admirationem rapuit, abjecto tantiſper caniſtro volucrem ſequi inſtituit; ut è propinquo cantillantis aviculæ ſuavitatem magis perciperet. Et verò etiam invenit alaudulam cantillantem, ſed intellige, Lector, rem novam. Statuam Deiparæ ſimul invenit in gramine, quæ JESULUM ſuſtinuit brachio; ſed & ipſe JESULUS protenſa manu digitum porrexit, cui alaudula vivens canora, & læta inſidebat. Alauda. Suavior hic affectus mulierem invaſit, quàm ij ſunt, quibus nomina invenimus. Illa S. Statuam primùm pientiſſimè venerata, Cæſarauguſtam detulit, & ex ea pretium fecit apud Civem, cui Statua pro theſauro erat. Ita nempe feli- Felicitas. citatem noſtram quandoque vendimus, & ex ejus pretio calamitatem emimus, imperiti Mercatores, ita favores Superûm vel negligimus, vel ſpernimus. Civis S. Statuam in arca recondidit, & arcam obſeravit, & quamprimùm tanti gaudij participem fecit amicum, qui & ipſe S. Statuam tanto Amicitia miraculo inventam videre quamprimùm geſtijt. Veniunt, aperit ille arcam, ſed Statuam abeſſe ut vidit, triſtatus primùm eſt, deinde etiam mulierem advocatam fraudis arguit. Illa omnem fraudem abominata, ſe poſt acceptam pecuniam aſſerit, in manus ei Statuam dediſſe, jam non ampliùs ſuam. Emptori, ajebat, perit, quod in emptoris manus tranſijt.

Subijt mentem Imaginum Marianarum non inſolita conſuetudo. Quid ſi Statua redijſſet in pratum, unde huc delata fuit? præi vetula, & locum monſtra, ita vix pratum ingreſſis, alaudæ cantus ad aures allapſus eſt, quem ſecuta mulier paulò pòſt ſubſiſtere viros

 juſ-

juſſit, & toto brachio illis, & Statuam, & alaudam JESULI digito inſidentem, monſtravit, viri, quos miraculi reverentia tetigit, in genua prolapſi S. Statuæ dedére honores. Non tamen tangeré auſi, ad Epiſcopum rem omnem quamprimùm detulére, muliere ad cuſtodiam relictâ. Præerat Apoſtolicæ Eccleſiæ Cæſarauguſtanæ (ut termino Hiſpanorum utar) Braulius Severinus ſanctitate clariſſimus Præſul, is miſſo Sacerdote virtutis probatæ viro, Statuam ad Templum B. V. de Pilaro in Urbem deferri jubet. Pernoctavit ſanè Statua in Templo, ab ipſo S. Jacobo Apoſtolo conſtructo: ſi tamen in ipſo Sanctuario, non in adjuncta Baſilica eam Sacerdos collocavit, ſed altero manè cum abeſſet, iterum in prato ad ripam Iberi quæſita, & Alaudæ cantu prodita & inventa eſt.

S. Iacobus.

Satis hoc fuit Braulio Epiſcopo, nec ultrà tentare Virginem ſuſtinuit; ſed quamprimùm Sacello fundamenta ſua dedit, voca vítq; Dominam noſtram de Alauda Hiſpanicè de Cogullada. Porrò S. Statua eſt è ligno querno, quantum conijcere licet ex partibus, quas color deſeruit: veſtis illi deaurata, corona circulus eſt nullâ eminentia inſignis, ſed faſciæ in modum. Præfert puerum JESUM brachio dextero & ſiniſtro pedes illius fulcit, JESULUS erectâ dextera benedictionem ſe aſpicientibus imperit, & globum altera tenet, tota Statua altitudinem dimidiæ ulnæ ferè æquat. Antiquiſſimam eam faciunt Auctores Hiſpani, nec temporibus Maurorum abſconditam, ſed aliquo tributo ſervatam & cultam ab iis, qui Parochiam S. Mariæ *de Pilaro* incolebant, quos appellant *Moſarabes*: de quibus nihil præter nomen ſupereſt. Ultimus omnium ſcripſit de hac S. Statua R. P. Claudius Clemens è Societate noſtra in tabulis Chronologicis Hiſpaniæ. Centur. 7.

Cogullada. Mauri.

C M I I.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE ASCIANO.

In Monte S. Savini in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Pia Eva mundi Gemma rorans lacte ivit.*

1. Auri ſacri ſacra fames.
2. Duellum inter fratres.
3. Translatio Templi.

LAuretanæ domui æmulam habet Mons Sancti Savini in Diœceſi Arezzana. Anno 1100. Fratres duo, defuncti parentis diviſére hæreditatem, ut cætera in pace tranſacta ſint, ad pratum ubi ventum eſt, quod ob cauſas dividi non conveniebat, lis orta eſt, utroque campum volente, neutro tamen offerente pretium, quod videretur alteri hoc campo dignum. Campi tanta æſtimatio ex Sacello Deiparæ aſſumptæ perantiquo venit, non amore Deiparæ, ſed oblationum cupiditate, ut vereri licet.

Hoc,

Hoc, inquam, Sacellum, quod ad viam publicam in Campi extremitate ſtabat, ſcopus erat, in quem fratres cæterà unanimes impegerant. Quare eorum unus poſtquam ſacram & jam ab antiquo miraculoſam Imaginem ſatis ſuperque blaſphemijs eſt inſectatus, tanquam jurgiorum cauſam, mortem inferre fratri cogitavit; atque etiam exequi conatus eſt, non plebeja, ſed Nobilium modo, quanquam ſceleſtiſſimo. Fratrem itaq; paribus armis inſtructum provocavit in hunc campum. Hic juſto, inquit, duello fortuna decernet, illius erit cum tota hæreditate campus, qui in campo ſteterit altero jacente.

Blaſphemus.

Fortuna.

Non placuêre Virgini hæc jurgia, maximè cùm ipſa jurgiorum cauſa diceretur. Quapropter repetito Lauretano miraculo Angelis ſuis mandavit, ut cum S. Imagine totum ſimul Sacellum à fundamentis avulſum, & per aërem inter cantus cœleſtes decies mille paſſus portatum deponerent in ſilva ad radices Montis S. Savini, concentum audiente, & ipſum cum Angelis Sacellum per inane cœli vidente pià quadam Matrona, cui fides non fuiſſet, niſi populus undiq; è Valle Chiana accurrens, & Sacellum noviſſet & S. Imaginem. Quid de fratribus & Campo actum ſit, ſcire non intereſt. Illi Vallis Chianæ habitatores laudandi nobis ſunt, qui ne tantum theſaurum & ipſi amitterent quamprimum novo, grandi, & ſumptuoſo Templo Sacellum incluſerunt. Sed nec Deiparæ ſic includi fuit ingratum, officioſos & pios ſuæ Imaginis cultores, miraculoſis beneficijs proſecuta eſt, ut nec illos pigeret hoſpitij, nec illam hoſpitij. Auguſt. Fortunius in Chron. Montis S. Savini.

Tranſlatio.

C M I I I.

Imago B. V. Miraculoſa.

D E P E N N A.

Bilbili in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratià plena; Dominus tecum.

Anagr. *En Virgo parata immunis è mulcta Adæ.*

1. Inventio Imaginis, omen felix.

2. Beneficia præferimus benefactorib⁹.

3. Superi nobis ſunt, ut pallia.

Bilbilitana Civitas non excepta fuit à Maurico dominatu, qui totam Hiſpaniam pluribus ſæculis calcavit, & pede ſuperbo pulſavit Regum turres, & pauperum tabernas; demum & huic Vrbi libertas à Superis decreta eſt. Et prima quidem ſpes libertatis felici omine Civibus facta eſt, ſiquidem hæc, de qua loquor, miraculoſa Deiparæ Imago à Cive quopiam inventa eſt ſub annum 1120. eo loco, ubi nunc colitur. Læti Cives hoc omine jam Templum jam altaria, jam anathemata cogitavêre: quis enim non boni ominis loco haberet ſecuturæ felicitatis, ſi Deiparæ quampiam Imaginem reperiat, præſertim antiquam,

Omen.

 & olim

& olim cultam. Certè Bilbilitani ſua ſpe deluſi non ſunt: nam eodem anno, quo hæc S. Statua ab ijs inventa eſt, expulſis Mauris Saracenico jugo cervices ſubtraxere.

Honor. Durat hodiéque cultus, quia durant adhuc Virginis miraculoſa beneficia: neque enim ætate noſtra quiſpiam colitur, à quo nihil vel ſperatur vel accipitur, ita ut beneficia magis colamus, quàm benefactores: quod & ipſis Superis, quos perinde ut homines tractamus, contingit, quóſque tamdiu honoribus dignos judicamus, quam diu ſe nobis per miracula beneficos præbent, aliàs à nobis palliorum inſtar habiti, quæ ſereno cœlo abjicimus, reſumimus pluvio. Sicut hominum ita & Superùm vulgus amicitias utilitate probat. Feſtum præcipuum ultimo Martij celebratur, in memoriam adeptæ libertatis & Urbis receptæ anno 1367. Locum curant RR.PP. Canonici regul. S. Auguſtini. Blaſcus.

CMIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
DULCIS DOMINA.
Buſcoduci in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratià plena; Dominus tecum.
Anagr. *En ergo Diva amata pura neſcijt malum.*

1. Statua B. V. neglecta.
2. Imperiti pictores.
3. Punita temeritas.

CUltùs Mariani initium quis memoret in hac Urbe, quæ olim tota Mariana fuit? ajunt poſt Urbis initium, quod ad annum 1184. referunt, ſtatim anno 1268. Sacellum hoc Deiparæ erectum eſſe, quod utique ſtatim miraculis propter Deiparæ S. Iconem claruit. Antiquitas. Certè anno 1380. propter antiqua & plurima miracula major factus eſt peregrinorum concurſus: eo enim tempore omnis fabrica in ornatiorem formam ita redacta eſt; ut multi credant ſacello veteri deſtructo ſurrexiſſe novum. Sed quæ temporum viciſſitudo eſt, Statua Deiparæ, ſive quòd miracula ceſſaverint, ſive quòd ejus loco nova ſit poſita, præ nimia vilitate externa, inquit, Auctor plùs quàm quadraginta duobus annis ita abjecta & contempta latuit; ut denique in latomi cujuſdam officina poſtremum occupâret angulum. Latomus.

Anno 1480. (nam etiam temporis meminiſſe juvat) latomus igni alendo aptam (quid enim aliud homo ſemiſaxeus cogitaret!) jam eam in partes erat ſecturus; cùm ſuperveniens Templi cuſtos Statuam reportavit in Templum alendæ pietati aptam: nec dum tamen ſedem invenit quietam varias paſſa aliquamdiu mutationes: nunc in altari S. Michaëlis, nunc in S. Martini, nunc in choro Divæ Virginis collocata, aut etiam retro altare abjecta anno 1383. circa feſtum Pentecoſtes, cùm depingeretur novi Templi chorus, cuſtos

Tem-

Templi, qui S. Statuam loco movere non potuerat, rogat pictorem, ut eandem nonnihil penicillo venuſtiorem, reddat: negat ille operæ pretium ſe facturum: tandem pictoris filius unà cũ cuſtode flavo colore genam utramque obducit adeò ut terrori eſſet ac ludibrio. Si quidem ludibunda quædam fæmina, indecente joco interrogavit cuſtodem, an hæc S. Virginis Statua flavâ bile laboraret? Non tamen impunè: nam vix verba finierat, cùm in terram corruit, & domum inter manus ſuorum delata, per quindecim dies lecto affixa pœnitentiam egit, numoſque conſilio peritorum ſubmiſit, quibus S. Statua à pictore in optimam, quantum fieri potuit, formam reſtitueretur: jam inter pios S. Statuæ æſtimatio aucta eſt.

Pictor.

Pœna.

Plus tamen apud populum valuit ſanitas fæminæ collata, quæ triennio integro laboravit paralyſi. Hæc in ſomnis monita à viro, quem Chriſto ſimilem fuiſſe ajebat, cereum pedem huic S. Statuæ hactenus parùm cultæ offerret, paruit, & ad altare delata pedem cereum octodecim denarijs emptum appendit; & mox integerrimæ ſanitati reſtituta domum redijt, hinc cæterorum miraculorum initium, quorum aliqua recenſet auctor, ex ijs unum adjungo. Procax fæmina ſculptoris uxor cùm pietatem populi quotidie in immenſum creſcere cerneret, petulanter jactavit, maritum ſuum meliores è ligno ſtatuas effingere. Convitium audivit Deipara, & ſupplicium mox ſenſit fæmina, everſo cerebro impos ſui facta, domúmque delata, paulò pòſt morte convitium luit. Miracula quadringenta nonaginta quatuor, ſe legiſſe in manuſcripto codice ait auctor magna & ſtupenda & exactiſſimè deſcripta, eorum ultimum contigit anno 1603. Miles Italus priuſquam excubias acturus ad ſtationem ſuam pergeret *Dulci* huic *Dominæ* ſe commendavit: vix Vrbe egreſſus globo ferreo viginti tres libras appendente tactus eſt, ſed ferreo tantùm collari læſo. Is globum cum collari prope altare appendit in perpetuũ gratitudinis monumentum. Wikmans l. 2. c. 25.

Miracula

C M V.

Imago B. V. Miraculoſa. DE PUEYO. *Parbaſtræ in Hiſpania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. ***En Deipara gemma in auro tuta maculis.***

1. Muſica caleſtis.

2. Delata ab Angelis ſtatua.

3. Pietas prompta.

HÆc S. Deiparę ſtatua de monticulo, hiſpanica lingua de Pueyo, nomen habet, quia in monticulo inventa. Invenit autem eam paſtor Aragonius, cui *Balandra* cognomen: is prope urbẽ Parbaſtrã cùm pecora paſceret, pro cubili antrum hujus monticuli delegit: cùm nocte quadã inſtrumentorũ muſicorum con-

Muſica.

Muſica. concentu excitatus, ſomnium fuiſſe exiſtimaret, iterum ſe compoſuit & in ſomnum relapſus eſt, ſed & iterum propiore jam muſica expergefactus, audivit ſe voce ſuavi ſed ignota compellari de nomine. Timuit ille, non auſus reſpondere vocanti: ſed cùm iterum iterúmque vocaretur, etiam intremuit, latrones & mortem mente volvens: quamquam inſtrumentorum ſuaviſſimus concentus nihil triſte portenderet, miſeri nempe cùm ſumus, nihil lætum vel ſuſpicari ne dum ſperare poſſumus; ſed omnia etiam lætiſſima in argumentum mœſtitiæ trahimus. Miſeria. Tandem quia & ipſa vox ſuavis fuit, & roganti ſimilior, quàm imperanti, prodijt Paſtor Balandra, & vicinam Amygdalum arborem, ut jubebatur acceſſit. In hac conſidentem inter lumina Statuam Virginis Deiparæ conſpexit, jamque certus, unde hæc vox veniſſet, & quæ ipſum eſſet allocuta, in genua procidit & S. Statuam veneratus eſt. Et quanquam Samuelis illa verba: *loquere Domina, quia audit ſervus tuus*, non dixerit: unde enim hæc Ruſtico verba in mentem? promptum tamen paratumque ſe ad obſequia, vel ipſo corporis geſtu Virgini exhibuit ita grata & accepta; ut Virgo juberet hominem Parabaſtræ Vrbis Civibus dicere, ſe hoc in loco Templum poſtulare, ſiquidem eam velint habere propitiam. His dictis ceſſante muſico concentu, etiam lumina diſparuerunt, & ſola Statua in arbore remanſit.

Paſtor ſummo mane relictis, & Deiparæ commendatis tantiſper ovibus, Parabaſtram ſe contulit & quia homo fraudis inops, ſingulari & amœna ſimplicitate omnibus ſe pridem commendaverat, non difficulter fidem invenit, præſertim Deipara cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis & miraculis. Parabaſtrani ad Statuam properârunt, faciléque in eam ſententiam convenêre, ut crederent allatam per Angelos, Angeli. nam & major erat, quàm ut eam homo quiſpiam nemine obſervatore huc deferre poſſet; & artificis opus, cui Parabaſtrani parem non haberent: denique & antiquitatem ſpirabat per ſe dignam venerationem, nec cunctati multùm, Templum Virgini in loco, ut petierat poſuêre, non Virgini tantùm, ſed & Vrbi honorificum. Neque Cives pœnituit impenſarum: ſiquidem Virgo ſupplicibus miracula rependit, & morbos depulit nullis impenſis pellendos; ſed & Paſtoris curam habuit non minimam: dum vixit, à populo, ita jubente Magiſtratu, ſemper honorificè habitus, ut Templi æditus. Gratitudo. Defunctus in ipſo Templo ſepulturam accepit ſub tumulo lapideo ſeſquiulnam alto. *Blaſcus*, qui hæc ſcribit ad tempora S. Raymundi Parabaſtrenſis Epiſcopi refert, qui floruit circa annum Chriſti 1110.

Dudum eſt, quòd lectori reſpondere geſtio interroganti, unde Hiſpanis tot Imaginum Deiparæ támque mirabiles inventiones? quis eas in cloacas, in puteos, in aquas abjecit? quis in ſpecus, in antra, in ſcrobes retruſit? quis arbori-

boribus impoſuit? quis in valles detulit? ad juga Montium aſportavit? Et quis iſtam, de qua loquimur in hac Amygdalo collocavit! quam Paſtor nullo non die ante oculos habuit? itaq; ut dicam, quod ſentio, lectorem rogo tempora Chriſtianorum, quæ Maurorum vaſtationem præceſſerunt, in memoriam revocet, comperietque ſimul Nationem Hiſpanam Deiparę ſemper addictiſſimam, ut, qui ejus Imagines, Statuáſq; ſemper in maxima veneratione habuerint. Porrò irruptione facta per omnem Hiſpaniam Maurorum furori & ludibrio ſubtractę sũt, & prima ubiq; omniũ cura fuit, Virginis Imagines, Statuáſq; loco ſecuro recondere. Hinc Deipara tam mirabilib⁹ támq; diverſis modis, poſt ejectos Mauros eas Angelorum miniſterio produciterum in lucem voluit; ut poſteri ſequentib⁹ ſæculis non ignorarent, quàm chari Deiparæ quámq; accepti fuerint honores, quos ipſorũ Proavi, & Abavi his ipſis Statuis detulerant: utiq; non factura, ſi irruentib⁹ Mauris ſuę quiſq; rei conſuluiſſet, inſuper habitis Deiparæ tam ſacris monumentis, & in hoſtiũ manibus, quibus forſitan eripi potuiſſent, relictis, ut maledicere Iconoclaſtis Heretic s hodie, etſi nonnullæ Nationes poſſint: neq; tamen omnes Catholici omnem reprehenſionem effugiunt, quippe qui quamplurimas Deiparæ ſacras Imagines ſubtrahere hoſtibus neglexerint, tepidi Virginis cultores, & laudibus ac præconijs poſterorum minùs digni, atq; hanc puto eſſe cauſam, neq; enim diſſimulo cur Hiſpania prę cæteris populis Virginis Imagines habeat miraculoſas. Blaſcus.

Hiſpani.

C M V I.

Imago B. V. Miraculoſa.
TONGERLOANA.
Tongerloæ in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Tanta Diva gemma mirè procul à Nævis.*

1. Tungrenſium Metropolis.
2. Summi Pontificis gratia.
3. Templum ſumptuoſum.

TOngerlo, pagus eſt in Belgio, in quo Monaſterium unà cum Templo Beatiſſimę Virgini ædificavit Giſelbertus vir opulentus circa annum 1130. & RR. PP. Pręmonſtratenſibus tradidit, ut cultus Marianę Statuę jam ab antiquo magnus, & concurſibus populorum celebris, adhuc fieret operâ horum RR. Patrum celebrior, creſceréntq; etiam unà cum pietate advenarum, etiam Virginis miraculoſa beneficia.

Antiquitas.

Nec fefellit hominem ſpes ſua: etenim dicti Patres tantoperè pietatem in populo promoverunt; ut manuſcripta antiqua tradant, paulò pòſt, ideſt, circa ann. 1130. miracula hic innumera patrata: unde loc⁹ etiam Sũmis Pontificib⁹ è lõginquo curę eſſe cępit,

Summus Pontifex. Martinus V. Conſtantiæ ad lacum Acronianum in Concilio electus, datis litteris hunc S. locum in protectionem ſuam accepit, ita etiam ab alijs Pontificibus maximè tamen à Ducibus Brabantiæ, quàmplurima privilegia hic Sacer locus, accepit. Templum hodie adeò eſt magnificum, ut perpaucis Monaſterijs in Brabantia cedat, & ingredientibus ſit ſtupori & admirationi. Concurſus toto anno maximus eſt feſto Natę Virginis. Utrum verò pagus iſte eo loco hodie ſtet, quo olim antiquiſſima & famoſiſſima Tungrenſium populorum Metropolis ſtetit, non habeo dicere: & quia fori mei non eſt non inquiro. Wikmans.

CMVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE UDIBALGOGA.
Regoitiæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *O en caragemma & munda ſpiritui aula.*

1. Translatio lapidum.
2. Res antiqua ſervanda.
3. B.Virginis mirum factum.

REgnabat in Hiſpania Joan.I. Caſtellę Rex, cùm Regoitię oppidi non incelebris Cives Templi Mariani anguſtias accuſare cœperunt: pietatis, inquiebant, tantæ non bene capax eſt, quam Cives in Virginem habent. Nec mora novum, amplum, & magnificum Virgini decreverunt, & aptiore inſuper loco. Jámque vis magna trabium, cęmenti & lapidum in aream novam conTranslatio. vecta operarios expectabat: cùm ecce, quod uno die multorum manus huc tulerunt, die altera prope muros Templi veteris jacuit, nemine prętereuntium non ſtupente. Suſpicio fuit, eorũ operâ id factum, qui decreto novæ fabricæ non ſubſcripſerunt, & fuêre horũ non pauci, non avaris, ſed bonis, veríſq; rationibus nixi. Quoties, inquiebant, res novæ deſtruxerunt antiquas & meliores, hîc Virgo miracula patrat: an ibi patratura ſit, incertum eſt, nec moramur impenſas, quantæ hæc ſint, quámq; magnę Virgini non invidemus; ſed, ut in Templi antiqui ambitum majorem antiquis muris adjungendum impendantur, ſuademus. Conſilium. In hos, inquam, ſuſpicio cecidit: horum operâ credebantur tranſuecta hæc nova fabricæ membra.

Eam ob cauſam viri duodecim conſtituti ſunt, qui eos obſervarent, quib⁹ ita jocandi voluptas eſſet. Et inventi ſanè ſunt boves duo ſub uno jugo currum trahẽtes lignis gravem: quorum alter, qui nigri coloris erat, ad ſingulos penè paſſus luto immerſus, vix ad clamores Virginis puellę, quę currum agebat, è luto emerſit. Viderunt hæc viri, atq; etiam intellexerunt verba, quibus puella bovem nigrum ac pigrum increpabat. *Ea Ydibalzaga* linguâ Cantabri-

fabricâ, latinè: *ulteriùs, bos niger.* Viſa Virgo eſt ſat dixiſſe intelligentib⁹, veterē ſibi ſedem placere, quam tamen Virgo fieri vellet ampliorem & auguſtiorem. Peccatores inſuper, quos bove nigro & luto ſignabat, multum facturos, ſi ſe à Deipara agi ſinerent, & ejus adhortationibus obedirent. Facta omnia ad nutum Virginis; quin & Deipara quoq; miraculis novis ſe auguſtiorem fecit, & ne ve rerum memoria periret, hodie de Balzaga, ſeu de bove nigro, nomen habet, & linguâ Hiſpanicâ politiore de Ydibalgoga appellatur. Ita Jo. de Amiax in faſciculo florum B. V. de Codes.

CMVIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE LUCE. *Broſæ* in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Adoratur pia gemma ſine macula venit.*

1. *Fulmen evitat obedientia.*
2. *Janitoris boni officium.*
3. *Tauri annua manſuetudo.*

ORiginem hujus Monaſterij RR. PP. Franciſcanorum in ann. 1554. protendit Auctor, unde huc tulerit Imaginem Deiparæ miraculoſam, non inveni: in honorib⁹ tamen fuiſſe conſtat, maximè poſtquam unus è Fratribus miro modo fulmini cœleſti ſubductus fuit: etenim cùm ingruēte tempeſtate Fratres confugerent ad Patronam ſuam, cujus S. Imago in ſummo altari colebatur, eorum unus F. Franciſcus de Olivâ, cùm ad ipſius altaris primum gradum conſiſteret, pulſari campanam portariam audijt: abijt viſurus, quis hoc tempore portam ſibi aperiri poſtularet: ad oſtium ubi neminē adeſſe vidit, fruſtra & ſine gravi causâ pulſatum non eſſe, redux ad Templum ex Fratribus intellexit: ſiquidem interea fulmē delapſum per fornicem Templi omnes terruit, atq; ipſum ſi adfuiſſet Franciſcum occidiſſet; ita ipſo abſente peccavit in marmore. Angelum à Virgine miſſum, omnium vox erat, qui janitorem in vitâ ſervaret.

Curioſum eſt, quod hìc loci annuatim fit miraculo ſimile: & licèt ad Imaginem Deiparæ miraculoſam non pertineat; quia tamen ad S. Marcum, Deiparæ hiſtoricum, pertinet, & ejus feſto fit, non omittam. Eſt hìc S. Marci Confraternitas. Hujus prior ſive caput, aſſumptis ſecum in profeſto S. Marci alijs quinq; ex eâdem Confraternitate ſocijs, vaccarū armentum quærit in campo, inventúmq; ibi ex Tauris ferociſſimum ſic alloquitur: *Veni, Marce! ecce jam appropinquat hora;* ſtatímq; Taurus ferocitatis oblitus, non ſecus ac manſuetus agnus ad prędictum uſq; locum ab ijs perducitur: ibíq; nemine cogente, ſolennioribꝰ veſperis, ſummóq; Sacro & concioni die ſequenti patientiſſimè intereſt, quo quidem to-

Fulmen. S. Marcus. Taurus.

toto tempore inter viros atque mulieres, ut ovis verſatur, ita ut nonnulli ejus cornua ſertis coronent, alij panibus infixis ornent, alij malis ſtipent, omnéſq; eum familiariaſſimè contingant, atq; per univerſas oppidi plateas circumducant, domos ingredi cogant, ac tandem ad hunc uſque Conventum deducant, ubi ritè ac ordine à Fratribus exceptus Eccleſiam ingreditur, gradúſq; octo ſummi altaris ſcandit, ſed ſummo Sacro atque concione abſolutis, ut primùm à Sacerdote celebrante benedictio ei datur, priſtinam induens ferociam, campos celerrimo gradu, nemine tamen læſo, petit. Cerimoniæ.

Fuere, qui rem omnem Romam deferrent examinandam. Reſponſum inde alud non eſt, quàm ut abſtinerent ab ijs, quæ ſuperſtitionem olere poſſunt, ne mulierculæ pilis uterentur contra morbos, ne candelas cornib⁹ accenſas affigerent, & ſi quæ ſunt alia. Hęc ideo ex Gonzaga 3. parte cap. 18. appoſui, ut homines quidam diſcant à beſtijs, modeſtiâ ſuâ dies Sanctorum feſtos honorare. Feſtum.

C M I X.

Imago B. V. Miraculoſa.
S. HERMANNI.
Steinfeldæ in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. ***Ea alit Sanctum Dei Gemma pura in auro.***

1. *Sponſus B. Virginis.*
2. *Joſephi nomen datum Hermanno.*
3. *Apparitio conſolatoria.*

NOvum S Hermanno non fuit, videre Virginem Deiparam. Novum ei & inſolens fuit, quando dies complures prętererunt, quibus ſe Virgo Hermanno ſpectandam non exhibuit. Hæ omnes penè viſiones & raptus in Choro Templi hujus ante Virginis altare contigerunt. Hiſtoriam appono unicam, ex qua colligere Lector queat, hanc Deiparæ Imaginem meritò inter miraculoſas poni; quòd Virgo interventu illius tot Hermanno gratias contulerit. Rem conſcripſit, qui ex ipſo Hermanno accepit, & ex eo Surius in vita S. Hermanni.

Nocte intempeſta cùm ad ſolitas ſuas preces in medio Choro Hermannus vigilaret, inexplicabili pulchritudine Virginem vidit, Regali amictu decoram. Aderant duo famoſi juvenes. Stupens novitate viſionis Hermannus, unum ex ijs dicentem audivit: Ecquis hujuſce Virginis erit Spons⁹? cui ab altero reſponſum eſt, non alius, quàm iſte, qui adeſt, veni ergo. Venit ergo timidus & rubore ſuffuſus Hermannus ad Reginæ præſentiam: cùm unus Angelorum ſic eum affatus eſt: hanc tibi deſponderi neceſſe eſt. Hermannus ille indignum ſe non ſine clamoribus proclamat, ſed reluctantis & fugientis acceptam manum Angelus cum Virginis Hermannus. Angelus.

ginis manu conjunxit, & his verbis ſponſalia conrraxit: *Hanc Virginem tibi Sponſam tradimus, ut fuit quondam Joſephi, cujus nomen cum Sponſa ipſa te oportet aſſumere.* Hæc ille. Quo autem in cultu poſt Hermannum Imago illa habita ſit, non habeo dicere. Veriſimile eſt, & Religioſos, & ipſum etiam populum hîc effectū precū ſuarum felicē otiùs ſenſiſſe, & miraculoſis beneficijs à Deip. eſſe honoratos. Surius in vita.

C M X.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE MIRACULIS.
Cellameæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Prædicatur una gemma vita ſine malo.*

1. Audax vetula Imperatorē affatur.
2. Trajani mira juſtitia.
3. Sepulchrum Imp. Trajani.

CEllamea Vrbs eſt Hiſpaniæ inter anriquiſſimas non ultima. Hæc in Templo parochiali Imaginem Deiparæ colit tam illuſtrem miraculis, ut à miraculis nomen habeat. Altiùs ab origine ſua hæc repetenda ſunt. Trajanus inter Imperatores gentiles & Idololatras optimus, ſi unum alterúmve excipias *Auguſtum* dico & *Antonium pium*, & panegyrico, quem Plinius biennio elaboravit dignus: laudibus quoque dignus, quas ei vetula in foro dixit roſtratâ eloquentiâ. Audax mulier Imperatorem inter Romanas aquilas cum exercitu ad bella longinqua iturum, affari, quin & ſiſtere clamoribus auſa eſt. Subſtitit cum Imperatore exercitus, auditurus, quid hæc Sybilla de futuri belli eventu eſſet præfatura. Cùm verò litem produceret faſtidioſam de equo ſibi ablato, & eum ſibi reſtitui longiſſima narratione non tam impetrare quàm imperare vellet, audiam te, inquit Imperator, cùm rediero. illa verò, quid ſi non redieris? aut lites, inquit, audi, aut noli imperare.

Trajanus ne tanti nominis famam per hanc mulierem perderet, aures dedit; & quod fœminæ debebatur dari juſſit, rarò regnanriū exemplo. Hic tantus Imperator ſepulchrum ſuum in hac Vrbe non invenit, ſed fieri curavit, hac inſcriptione poſita: *Hac eſt cellamea*, Vt ſcirent poſteri, quibus orbis Anguſtus nimis eſt, dum vivunt, mortuos brevi cella contentos fore. Cives ut Imperatorem ſibi charum, etiam poſteris redderent perpetuo acceptum, abolito nomine antiquo novum Vrbi dedere, & omiſſis primis duabus vocibus *Cellamea* quaſi una voce poſthac appellari voluerūt. Hoc fanum moli ſepulchrali ſuperſtructum (Chriſtianorū tempore in Templi formam ab architectis eſt accōmodatum: eſtq; hodie Templum Parochiale & præcipuum, Deiparę dedicarum, & propter inſignū miraculorum mulritudinem Titulū à miraculis habet. Atq; hoc Virgini glorioſum eſt, ſtare eo loco, ubi hoſtis jacet: hoc enim eſt dominari in medio inimicorum ſuorū Gonz. p. 3.

CMXI.

Imago B. V. Miraculoſa.
MACAENSIS.
Macai in R. Sina.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *O ſiderea gemma ut luna una pura micat.*

1. Columnæ fidei in Sina.
2. Apparitio facta nondũ comunicati.
3. Beati qui non viderũt & crediderũt.

MAcaum Vrbem in Sina ideò pono, quia à Sinenſibus accepere licentiam Luſitani ædificandæ Vrbis: quanquam locus à Sinenſi proximo portu multis millibus diſtat. Huc ob cauſas Regni, quas hic memorare non attinet, ad Luſitanos venere Legati Regis Sinenſis, duæ Chriſtianæ fidei Columnæ, Doctor Michaël & Doctor Paulus, uterque tam in Sinenſi litteratura quam in Chriſtiana ſapientia hoc titulo dignus. Hi vix Vrbem Luſitanorum Macaënſem ingreſſi ſunt, cùm Paulus graviter ægrotavit, jamque animam acturus, Patronæ ſuæ Virgini Deiparæ exitum commendabat, cujus præ oculis habebat Imaginem. At hic imminenti clariſſimi comitis jacturâ vehementer afflictus Michaël, faculas cereas coram Imagine Virginis accendit, procumbit in genua horarum ſpacio, & lachrymis pluribus quàm verbis vitam illi precatur: inter quæ poſtea retulit Moribundus, ſibi magna in luce Cœli Reginam adſtitiſſe cum Angelorum etiam famulatu, & vocem auditam jubentis, æquo animo eſſe, nec enim morbum hunc fore lethalem. Spectaculo eo evaneſcente, putavit Paulus Michaëlem, qui aderat, ejus viſionis fuiſſe participem, & exorſus cum illo, veluti conſcio, de majeſtate Virginis agere, & pulcherrima ſpecie obſequentium Angelorum, miratur ſe non intelligi: nec poteſt ipſe ſat intelligere, viſam ſibi Deiparam nondum ad S. Eychariſtiam admiſſo, Michaëli admiſſo & præſenti non viſam. Cæterùm ejus ſpectaculi copiam eſſe ſibi vitâ, quam ex eo receperat pretioſiorem, quod ne fortè viſum exiſtimaretur ita ſibi fingentis ægroti, poſtridie Medicus ſanum reperit & valentem.

Lætus ſingulari parentis optimæ in Paulum beneficentia Michaël, ſimul doluit vehementer, ſe quoque beato pariter aſpectu non eſſe dignatum, ſtatuitque illum quocunque tandem labore promereri. Ducere igitur jejunando & orando dies, noctes humi jacere, & in ijs durare, quoad ſenſit ſibi neſcio quid interius ſuggeri, & ſuggeri, & ſonare monito ſimili, quo Apoſtolum Thomam Chriſtus correxerat *Beati qui non viderunt & crediderunt:* præter quod nihil auſus ulterius petere, etiam cupere deſijt. Quo Imago hæc honore ſive Macai ſive in Regno Sinę affecta ſit, auctor non memorat. R. P. Daniel Bartoli parte 3. Hiſtoriæ Aſiaticæ S.I. lib. 3. num. 60.

CMXII

CMXII.

Imago B. V. Miraculoſa.
IN TEMPLO SOC. IESU.
Tunchini in Reg. Tunchinenſi.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Clara gemma, vita ſine mendo vita pura.*

1. Regis mutatio in manu Dei.
2. Statua B. V. læſa.
3. Pœna Iconoclaſtæ.

ANno 1628. eo res Chriſtiana à Patribus Societatis JESV deducta eſt, ut ipſe Rex, quamvis Ethnicus, Templum pro Dijs Ædificatum traderet Chriſtianis, priusquam ab Idolis contaminaretur. Hic Societatis JESV Patres omnibus ad uſũ Religionis Catholicę accommodatis, etiam aram poſuêre, & in hac Statuam Deiparæ JESVLVM tenẽtis. Hic ſumma quiete ſacra Chriſtiana magno Chriſtianorum ſolatio celebrabantur. Pœnam. Cùm feſto Trinitatis 18. Junij, dum ad ſacra fideles ſe comparant, adeſt ab aula Eunuchus cum armatis, in ædem ſacram irrumpit, Chriſtianos cædendo, vociferando, convitiando tanquam canes omni contumelia dehoneſtat; dum foris alij defigunt arborem, decretum Regium ſuſtinentem. Legebantur in multa in Deum, ſacrilega, multa Idolis glorioſa: edicebatur Ethnicorum ad Chriſtum converſionem poſſe Regno quandoque ingens afferre detrimentum; etſi qua e id foret, tunc parùm liquidò cerneretur.

Pœnâ mortis impreſſâ noſtrarum ædium Tunchinenſes omnes arcebantur, exeſſe jubentur, qui intus erant: juſſu Regis, aut ſuo veriſimiliùs ſemi viri genio, Arã imperat diſturbari ſpado. Obſtat Pater Alexander Rhodius noſter, & Regis dono templũ id aſſerit Arámque poſſideri: negat templo debitum altare & ſacros ornatus ablaturũ, niſi diſerto Regis Imperio: cui miles impudentior cæteris, en tibi! quod poſcis diſertum imperium: ſimul Aram impulſu impio evertit, fuſte in effigiem Virginis impacto, manum JESVLI Infantis, quem geſtabat, frangit. Statuæ. At quadrimeſtri pòſt ulta eſt crimen nefarium ſequax pœna: Furti damnatus carnifici traditur, qui præciſis ſacrilegis digitis, Chriſti percuſſi ream manum condigno ſupplicio mutilavit. Ethnicis quoque ſuo illo Pœna. trunco, futuram oſtentui, haudquaquam impunè violari Chriſtianorum Deum. Sedato poſtea tumultu Imaginem illam à Chriſtianis digno cultu honoratam, quanquam Auctor hoc loco non memorat, dubium non eſt, & quia Virgo in inimicos tam ſevera fuit, quod non ſolet; utique in amicos & ſupplices benigna fuit, quod ſolet. R. P. Daniel Bartoli Hiſt. Aſiat. Soc. Ieſu lib. 4.

CMXIII.

CMXIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE S. LIDWINÆ. *Alicubi in Germania Inf.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Una emicat pura gemma in ſalutari Deo.*

1. B. V. ſchedam dæmoni eripit.
2. Confeſſio relinquit ſcrupulos.
3. Oratio Liduinæ efficax.

QUanta Lidvvinæ Virgini cum Deipara interceſſerit, penè dixerim familiaritas, ex raptuum & revelationum frequentia in vita ejus, quam ſcripſit F. Ioannes Brugnianus, Ord. S. Franciſci, conſtat: vbi lector inveniet pleróſque raptus ante Altare quoddam Deiparæ contigiſſe. ut meritò imaginem illam, quæ illo tempore pro miraculoſa eſt habita, hic inter eaſdem ponam, ſolebat ab Angelo ſuo familiari ad hanc Imaginem deduci, quam ubi pro more ſalutavit, coram ea in raptu poſita, monſtrante Angelo viſiones ſuas videbat.

Atque ut unam prò omnibus apponam: mulier quædam poſt commiſſum flagitium, ad remedium confeſſionis confugit, non ita tamen feliciter quin à malo dæmone ad deſperationem uſq; tentaretur, & penè traheretur; hæ nempe ſunt peccatorum Reliquiæ. *Mea*, inquit, *es, neque enim ſcelus hoc (hoc quod charta inſcriptum monſtrabat) unquam tibi remittetur, neque in hac, neque in altera vita.* Iam mulier perierat, niſi à S. Lidvvina conſilium popoſciſſet. Hæc mulieris cauſam accipit pro ſua. Dum Deum orat, videt in raptu Matrē Chriſti choro Virginum cinctam, citatus quoque adeſt Dæmon cū ſcheda, quam ei Deipara rapit è manu, & dilacerat, & fruſta Chirographi Lidvvinæ ſervanda tradit. Viſio hæc ubi finem habuit, Confeſſario ſchedæ fruſtra monſtrat, & rem omnem, ut erat, denarrat. Apparitio.

Hæc dum peraguntur, adeſt mulier novis queſtibus antiquos cumulans. Lidvvina miſeram ſolata, confeſſioni peractæ nullam ſubeſſe mæroris juſti cauſam; ſed & ipſum quoque Chyrographum Deiparæ manu diſcerptum protulit: en, inquit, fruſta, quæ Deipara in hoc altari mihi ſervanda, tibique tradenda dedit. Hæc ſuprà citatus Auctor. Altare illud B. Virginis & eam Imaginem, coram qua hæc contigerant, fuiſſe in honore & publico ſalutare, non licet dubitare.

CMXIV.

CMXIV.

Imago B. V. Miraculoſa. AD PORTAM.

Alicubi in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *I, gemma ornata vita pura Diva clemens.*

1. B. V. liberalitas inſignis.

2. Fæmina in malo præpollent viris.

3. Deſiderium dilatum eſt loco ſupplicij.

PEtrus Cæleſtinus Sanctiſſimus Pontifex opuſcula ſcripſit, digniſſima lectu, in eorum opuſculorum ſexto cap. 12. ſcribit de Imagine Deiparæ, quæ adeò in amoribus fuit ipſi Deiparæ; ut levem honorem illi Imagini exhibitum ingentis utilitatis miraculo compenſaverit. Fuiſſe enim ait dictus Pontifex Sanctimonialem, quæ frequentius à malæ vitæ Clerico viſitata, demum in amores & fugam pertracta fuit. Non illa quidem, ut auguror, perpetuum, ſed tantùm ad paucas horas abeſſe Monaſterio conſtituit; ita tamen, ut quotidie voluptati tempus ſuum & locus eſſet. *Monialis.*

Aderat condicta nox, & puella claves Abbatiſſæ clausâ jam portâ ſublegerat, dexteritate, qua fæminæ in ejuſmodi caſibus præpollent viris. Iam dudum enim veterum fuit illud tritum, in conſilio malo valere fæminas; in bono, viros, Iámque in tenebris ſeram portæ tentaverat, ſed infelici ſucceſſu: nunquam illa invenire foramen ſeræ poterat; quantumvis nullam omitteret diligentiam, ita per plures horas fruſtrà cùm laboràſſet, tempúſque eſſet, quo reponere claves ſuo loco deberet, ni deprehendi in flagitio vellet, deſtitit, clavéſque ſuo loco reſtituit, multùm ſe poſtridie Clerico excuſans, eúmque in proximam noctem invitans, qua imperitiam ſuam correctura eſſet, & in tempore adfutura. Fecit itaque iterum, quod heri, & longè majore induſtria: ſed eadem iterum infelicitate plures horas ſudavit, nullo laboris fructu, niſi quòd deſiderium dilatæ voluptatis videretur habere pro ſupplicio. Ita iterum repoſitis ſuo loco clavibus abijt. *Deſiderium.*

Tanto temporis intervallo, inter peccati conſenſum & executionem poterat, imò debebat cogitare, quæ Virginem decebant; nec obliviſci mortis, judicij, inferni, cœli: ſed unus illi Clericus & mentem & cor ſolus totum jam occupaverat; quod illa poſtridie venienti & moram ſuam jam ſecundo exprobranti; ita teſtata eſt, ut Clericus fidem haberet verbis ſinceriſſimis, ideoque tertia nocte iterum ad Monaſterij portam præſtolaretur, ſive intromittendus, ſive exituram excepturus. Illa ſolicita ponderatione in examen vocavit omnes prætteritarum noctium errores: clavem ſeram, manúſque ſuæ robur probavit. Fallor, inquit, aut ego hac nocte aperiam; ita nihil eſt, quod mihi obicē ponere queat.

Sed obicem iterum invenit: nam ubi ſceleſta nocte quoque tertiâ omnium divinorum humanorúmq; oblita jurium, nec aliud quàm amores ſuos cogitans, cum ſublectâ clave iterum ſeram portæ tentâſſet, ad lumen inſolitum vidit manum tenerrimam foramini oppoſitam, in qua perforanda ſceleſta clavis laboraret, dum illa inſolitum lumen miratur, adſtantem ſibi Matronam videt, quæ manum ſuam ſeræ appoſuerat; quin etiam ſic audivit loquentem: quid manum meam niteris clave hac perforare? Deſine, malitioſa, deſine? ut quid enim deſerto Sponſo filio meo hunc Clericum ſequeris, & amore perſequeris! an tibi hujus forma præ filio meo placet?

Apparitio.

Illa ubi ex voce Deiparam agnovit, in terram corruit, & caſui indoluit, quo animam afflixerat: qui enim rarò cadunt, citò reſurgunt ex mente Sancti Bernardi. Jámque ſinceriſſimâ Contritione rectâ & erectâ, & ex tam ſuävi Deiparæ colloquio Cordatior: quo, inquit, meo merito hæc mihi gratia contigit, ô Mater! Ad quam Deipara, quia, inquit, paulò antè me ſalutâſti.

Pœnitentia.

Scire Lectorem oportet, eo in ambulacro, quod ad portam ducebat, tabulam pependiſſe ad murum cum Imagine Virginis, quam Monialis longo uſu, cùm præteriret, ſalutare conſueverat duobus Angeli verbis: *AVE MARIA.* Hoc quia conſueverat, hoc quoq; triduo non intermiſit. Hac Salutatione perfunctoria meruit tantæ utilitatis gratiam; licèt ipſa in ſtatu gratiæ non eſſet. Cadenti ſupponit Deus manum, ne collidatur, ſed juſto caſuro etiam peccatori Virgo manum opponit, ne deſtinatum ſcelus exequatur. Hæc Virgo miracula facit, ut Imagines ſuas honoret, quas nos priùs honoravimus.

Imago B. V.

Quid verò Clerico factum ſit, Auctor non memorat. Si & ipſe vitam mutâſſet, non eum præterijſſet, metuo ne in illo vera ſint facta Christi verba, quibus prædixit, quòd è duobus unus aſſumetur, alter relinquetur: neque enim ſemper uterque è complicibus convertitur, illo plerumque, qui alterum ad ſcelus induxit, relicto. Imaginem porrò miraculoſam in Templo collocatam, & majorib' affectam honoribus dubitare non licet. Petrus Cœleſtinus Opuſc. 6. c. 12.

I mpœnitens.

CMXV.

Imago B. V. Miraculoſa. DE TRASPASSO. *Madriti in Hiſpania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum

Anagr. *Ito una ſana Gemma pura redimita luce.*

1. B.V. Medicinam præſcribit.
2. Docti ægrè conſilia ſimplicium audiunt.
3. Sectio venæ prodeſt.

IMago hæc Virginis Deiparæ dolorem refert, quem Simeon prędixit. Gladium habet infixum pectori, éſtque in Monialium Cœnobio Ordinis Sancti Franciſci, quod de Immaculata Conceptione nomen habet. Monialium una pedem habuit carcinomate affectum, quod Medicorum artem fatigavit primùm; deinde etiam ſuperavit, ita ut à Chirurgis opem peterent ipſi Medici, & de reſcindendo pede ſententiam dicerent, néve malum ulteriùs ſerperet, & periculum vitæ augeret, craſtina dies carnificinæ deſtinabatur. Deipara, cui ſe Monialis impensè commendabat, ſub noctem ſpectabilis adfuit, & dolore ſuo ſolata dolores ægræ, medicinam etiam dignata eſt præſcribere: non opus eſt, inquiebat, tantâ laniena; Medici. mittatur ſanguis è vena, & pes ſanabitur, faciétque pes officium ſuum.

Satis dictum ægræ, ſed non Medicis, qui altero die cum Chirurgis convenêre feralis turba, daturi tormenta, & fortè pòſt hæc ipſam mortem, nam cùm ægra parére tam duris imperijs recuſaret, cogere nolentem ſtatuerunt, ne re infectâ diſcedendum eſſet. At illa cùm de venæ ſectione loqui inciperet, & Medicorum conſilia ſententiáſque corrigere, nauſeam movit non ſponte audituris, garrula Virgo, quæ tam inſipidè ſaperet. Tacuit nempe prudens Virgo, quæ viderat, quæque à Deipara audierat, mundanis & Cœleſtium rerum ignaris nunquam obtrudenda, ut qui Cœleſtes margaritas non cognoſcerent: perſtitit tamen in ſententia, & vim facientibus reſtitit inter lachrimas aſtantium ſororum; dum è Medicis unus, demus aliquid phantaſiæ, & in craſtinum ſectionem differamus: Phantaſia ipſa ſectio aliàs profutura mortem dabit, ſi perſuaſioni ægræ repugnet.

Annuit ipſa Virgo, ſpopondítque, ſe pedem cras ſponte porrecturam ad ferales cultros, & ſerram immitem, ſi Phlebotomia non proficeret, ita utrinque ſententiam in unam conventum eſt, & ſecta Virgini eſt vena: quo in opere Medicus litatum phantaſiæ credidit, & Monialis toti malo. Atque ita ſequenti manè malum omne ita fugiſſe Chirurgi aſſeruère, ut ſupervacaneam ſectionem dicerent: pes quoque ſenſim ritu, quo natura conſuevit, curatus eſt, nullo alio miraculo, ſic Deiparæ placuit exercere medicinam. Hæc Sacra & miraculoſa Imago, cui ſe Monialis devoverat, feriâ ſextâ majoris hebdomadæ in Templum è Cœnobio portatur populo ſpectanda, magnóq; concurſu honoratur.

Quintana lib. 5. c. 56.

C M X V I.

Imago B. V. Miraculoſa.
IMMACULATÆ CONCEPTIONIS.
Carmonæ in Luſitania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Numinis gemma Dei arca tota pura vale.*

1. Maritus malus, uxor bona.
2. Deſperatio facit cordatum.
3. Converſio impij nocte una.

QUomodo Maritus bonus uxorem malam convertere poſſit, exemplum ſi jam ſcribendum eſſet, menti meæ non occurrit; ſed quomodo uxor bona Maritum malum converterit dicere aggredior. Carmonæ in Luſitania vir fuit Doctoris gradu inſignis (facultatem quam doctoratu ſuo profeſſus eſt conſultò prætereo) & vir malus, maximé autem in pauperes durus: quod durius uxori quàm ipſis pauperibus accidit; ut quæ ſe bis miſeram ſæpe lacrymis deflebat: dolebat nempe cum dolentibus mendicis, quòd è pauperibus nullũ conſolari vel leviſſima eleemoſyna auderet in opulenta domo, cujus tamen tantum non omnes divitiæ eſſent collectæ è pauperum ſanguine. Quoties dedit, toties accepit, verbera nempe ad numerum obolorum rite adnumerata.

Miſericordia.

Lucia (nam libet nomen apponere), cùm neminem haberet, apud quem has querelas ſecurè deponeret, ad Deiparam converſa, ei omnem malorũ ſeriẽ muliebri eloquentia & longis precibus identidem expoſuit: illa quæ mater eſſet omnium, pauperibus & ſibi virum mitigaret, illa ex impio piũ faceret. Commodum in Vrbis pomærio Sacellum fuit Conceptioni Immaculatæ dedicatum; cui ipſa per ſe erat addictiſſima. Itaque nullo non ſabbato hoc breve iter inſtituit, & longâ prece Virginem fagitavit, idem identidem ingeminans & converſionem Mariti petens. Sed effectus precum nullus, nullus lachrimarum ſecutus. Semel tempeſtas exorta pluviam dejecit, quæ reditum in urbem impedivit. Noctem itaque exegit in ſacello inter longas & anxias preces, interpolato ſomno mixtas.

Oratio.

Tempeſtas.

Timoris cauſa Maritus fuit, nimiùm quantùm Zelotypus, omnia alia cogitaturus, quàm quod erat; nec aures loquenti, nec locum excuſationi daturus: jamque non verbera ſed mortem Luciæ mente volvebat, plus de genere mortis quam ipsâ morte ſolicita, quam Maritus indubiè eſſet illaturus. Quod ſi, inquit, moriendum eſt; ad mortem ut parata ſim, S Viaticum accipiam. Itaque facto manè confeſſa, S. Communionem in ſacello rite accepit, vovitque huic ſe ſacello adjuncturam Cœnobiũ ære ſuo; ſi mariti præcipitem iram & mortem evaderet: nam de verberibus evitandis nec cogitare quidem auſa eſt. Ita nempe miſeri, nec à Superis quidem multa & magna vel petunt, vel ſperant.

Timor.

Co-

Cogita lector, redeuntem fœminam, ſolius mortis Imagine plenam: ibat tamen: & ubi domũ ingreſſa in conſpectum Mariti venit, collegit, quidquid virium natura habuit, quidquid Conſtantiæ innocentia naturæ timenti dedit in ſubſidium, & fronte quam vel Periculũ. ipſa vitæ deſperatio impavidam fecerat ſic Maritum affatur: redire me domum heſterna pluvia vetuit; noctem in Virginis ſacello exegi: & nunc quia per Cœlum licet, me tibi ſiſto: ſi alia cogitas & mortem minaris, habes paratam: nam priusquam oculos tuos ſubirem, facta confeſſione SS. Evchariſtiam ſuſcepi tanquam moritura. Feri, ſi placet, & innocenti ſanguine ſuſpiciones tuas ablue.

Maritus non tam uxoris inſoliſolito & cordato affatu, quàm præteritæ noctis cogitationibus jam alius, deſine, inquit, Lucia, deſine vereri ſuſpiciones, verbera, mortem. Alius ſum, & multùm mutatus ab illo, qui fui: alium me Deipara hac nocte fecit. Non illa mihi quidem apparere dignata eſt aut loqui, ſed, ò Deus! quos timores nõn ſenſi, quæ non mente evolvi vitæ præteritæ pericula. Tace, Correctio. alius ſum, & utique tuis precibus alius. Vitam poſthac agam ad tuæ pietatis regulas. Vt promiſit, fecit: vitam vixit Chriſtiano dignam, quam non ita multò pòſt etiam morte Chriſtianâ clauſit.

Lucia voti memor Cœnobium Monialibus Sancti Franciſci ære ſuo in loco ædificavit; & quantum ex Auctore colligo, ipſa inter eas vixit, & morte piâ obijt. Tanti eſt, ſi Maritus etiam malus uxorem bonam bona ſorte nactus eſt. Hodie Deipara hoc in loco omnibus afflictis, maximè tamen uxoribus, quas mali Mariti affligunt, eſt propoſita: F. Gonzaga 3. p. fol. 919. & Joannes Moyza in Cœlo Stellato l. 4. c. 1.

C M X V I I.

Imago B. V. Miraculoſa. DE NATIVITATE. *Madriti in Hiſpania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum:
Anagr. Roſa Gemma, una invalidet pactum iræ:

1. Vrbs privilegiata Madritum.
2. E Templo ſtabulum.
3. Avium Cantus mirabilis.

SI Madritum dixerim Vrbem Marianam, non aberrabo à vero, ſi vera ſunt, quæ Quintana & alij tradiderunt. Viva adhuc Deipara in hanc Vrbem delata eſt ex Vrbe Antiochia illa, quæ hodièque titulum ſuum ab illa Vrbe retinet & vocatur *S. M. de Atboca.* Toto tempore, quo Saraceni Hiſpaniam omnem afflixere, cùm Vrbs quæque ſuas Deiparæ Imagines alio Securitatis causâ deportaret, nul-

nullam Madritenſis Urbs extra mœnia ſua portari ſuſtinuit;omnes tamen manſerunt integræ & illæſæ. Multæ aliunde huic Urbi ſunt importatæ, & majorem hîc cultum invenêre. Quæ verò hinc pietatis futuræ intuitu aliò delatæ ſunt, Angelorum manibus iterum huc delatæ, probârunt, ſibi Urbem hanc præ alijs placere. Multæ alibi miraculoſæ hîc ectypon ſuum habent. Sola hæc Urbs plures habet miraculis inſignes, quàm fortè una ex parvis Provincijs aut Regnis. Hæc, inquam, apud Zintanam, & alios Scriptores reperiuntur.

Imagines.

Unam ex miraculoſis habet Societas noſtra in domo profeſſa S.Franciſci Borgiæ, olim Gandiæ Ducis, poſtea Tertij Generalis noſtri, & in Sacello Sodalitatis B.Virginis, à quibus in maximo cultu habetur, porrò quo modo huc advenerit dicendum eſt. Fuit cùm vir pius Madritum iter haberet: is non procùl à via Regia, congeriem lapidum vidit reliquias collapſæ domus, ut exiſtimabat, impulit hominem curioſitas capiendi umbram: nam ſol altus ingreſſum Urbis facilem promittebat. Acceſſit, & vidit Sacellum eſſe non domum, etiamnum ſtabulantib⁹ jumentis non incommodum: vidit quoque hanc Deiparæ Imaginem integram; niſi quòd aranearum telis & ſordibus alijs, à ſitu & tempore contractis, multum eſſet devenuſtata, hanc ille ablatam Madritum tulit, amico purgandam dedit, & in domo ſua, quantum privato Civi licuit, ornatam coluit, magno facultatum ſuarum incremento: nempe Arca fœderis domum ingreſſa, non aliter hoſpitem ſuum habere debuit.

S. Borgia

Civis iſte Congregationis ſupradictæ Sodalis cùm eſſet, & B. Virgini addictiſſimus, non obſcurè intellexit, & alijs quoq; Virginem beneficia facturam, ſi proſtaret in Templo quopiam. Ne itaq; tot bona, & ipſam Virginis gloriam impediret, eam dictæ Sodalitati obtulit, & dono dedit: quæ Imaginem in Altari Sacelli ſui decorè collocavit, ubi ſupplicibus quàm primùm propitia eſſe cœpit. Bis in anno ſolenni ſupplicatione per compita circumfertur, & ante domum, in qua primas contulit gratias, ſiſtitur, & à Muſicis quædam in Virginis laudem cantantur.

Cærimonia.

Fiunt hæc præcipuis B. Virginis feſtis, Nativitatis ſcilicet, & Aſſumptionis: quod cùm vice prima feſto Nativitatis fieret, & Muſici pleno concentu Mariæ laudes dicerent, ingens diverſarum avicularum multitudo advolavit, quæ Muſicorum vocibus miſcuerunt ſuas, & feſtum auxerunt, quod quamquam ſine miraculo accidere potuit, cùm & aves à muſica trahantur, & cantantibus hominibus nunquam taceant; quia tamen hoc alijs in ſupplicationibus nunquam viſum ſit, ab omnibus pro omine acceptum eſt, Virginem his honoribus delectari, & propitiam ſe futuram his vocibus

Aves.

bus ſpondere. Vnde crevit in hanc Sanctam Iconem populi affectus, & in Virginem honor, maximè poſtquam intellectum eſt, Bruxellis apud Reverendos PP. Franciſcanos ejuſmodi Deiparæ Imaginem (de qua ego ſuo loco) à tali avium cantu originem cultûs ſui accepiſſe. Hæc ad me R. P. Michael de Arbicu.

CMXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE CAPITE. *Madriti in Hiſpania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *It alti Gemma pura viva candens amore.*

1. Sacerdos à Beatiſſima Virgine honoratur.
2. Pœna peccati juſta.
3. Sacerdos contemptus temerè.

SUmma in veneratione eſt hæc Sanctæ Virginis Statua in Templo SS. Juſti & Paſtoris. Oſtendit hîc Deiparâ Anno 1540 qua in veneratione Sacerdotes ipſa habeat, & haberi ab alijs velit. Adoleſcens Madritenſis nobili genere natus, Feria quinta majoris hebdomadæ, facta ritè Paſchali confeſſione in hoc Deiparæ Sacellum ſe contulit, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum de manu Sacerdotis ex præcepto Eccleſiæ ſumpturus. Interea dum inter acceſſuros flecteret, & Sacerdotem intueretur, maculas in ejus facie obſervavit prioris morbi reliquias: *Iudicium* & peſſima quæque mente volvens, virum ſprevit tanquam Altari indignum, & intermiſsâ Communione domum redijt, & pœnam temerarij judicij in via invenit, etenim ſimiles repentè maculas in facie contraxit, quales in presbytero contempſerat, nullo titillantis cutis dolore, ubi verò in matris conſpectum venit, rogatus ab illa eſt, in quos leproſos incidiſſet, riſit ille ad matris, ut opinabatur, deliria.

Speculo opus fuit, ut mater *Pœna.* fidem inveniret, quo conſulto vera eſſe vidit, quæ mater dixerat, & ſubitò doloribus correptus, morior, exclamat, vocate Confeſſarium. Interea ille inter extremos dolores amicis refert, ut Sacerdotem vidiſſet, ut ejus in facie maculas non morbi reliquias eſſet interpretatus, ut denique noluiſſet de manu ejus Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum accipere: quæ ipſa etiam Confeſſario, qui vocatus quamprimùm aderat, ritè confeſſus eſt, & accepto Sanctiſſimo Viatico, non poſt multas horas è vivis exceſſit. Egregio ijs do- *Viaticum* cumento, qui malè de vita Sacerdotum ſine fundamento judicant; in hoc tamen felicior hodiernis, qui ſimilibus judicijs ac ſermonibus Sacerdotium vituperant, quòd ei Deipara

Con-

Confeſſionem & Communionem Sacram indulſerit; quando forſan Criminatores hujuſmodi ſine Sacramentis è vita excedant.

Gonzalvus Fernandez de Oviedo.

CMXIX.

Imago B. V. Miraculoſa. NISSENSIS.

Niſſæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plenâ; Dominus tecum.

Anagr. *Anima pura Gemma orta in lucida veſte.*

1. Cardinalis Auſtriaci pietas.

2. Monaſterium novum.

3. Metus prudens & pius.

EST in Templo Reverendorum Patrum Bernardinorum (ita S. Franciſci PP. de obſervantia appellantur) Imago Deiparæ jam ab antiquo celebris. Primam originem negant ullis in Scriptis reperiri. Avorum memoriâ ſtetiſſe in Templo antiquiſſimo memorant ſingulariter à Civibus cultam: quæ cauſa fuit Templi, quod ruinam minabatur, deſtruendi, & hoc quod hodie videtur ædificandi.

Porro propter hanc S. Imaginem Sereniſſimus Archidux Carolus Ferdinandi II. Imperatoris frater Monaſterium Bernar- (Frãciſcani.) dinorum, quod extra Urbem erat, reſtaurare cogitabat, eóq; deferre S. Imaginem, ut meliùs haberet, & haberetur: quam etiam ſemel juſta & copioſa populi ſupplicatione ipſe Carolus loci Epiſcopus, neſcio quam ob publici neceſſitatem, eò deportavit, ſed quia optimus Princeps metuebat, ne iterum rediret ad ſedem ſuam, Monaſterium novum à fundamentis hoc in loco erexit, ut B. Virgini bene eſſet, (Translatio.) & Templum, quod, ut antè dixi, ruinam minabatur, inſtauravit. Hinc auctæ devotionis principium, opem Deiparæ hic maximè afflicti experiuntur. Feſtum celebratur Viſitat. B. V. Ita ad me R. P. Joan. Scheſtak Soc. JESU.

CMXX.

Imago B. V. Miraculoſa. AD S. DEODATUM.

Deodati in Lotharingia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *En auri ſana gemma dicite à luto puram.*

1. Statua magna lapidea.

2. Cultus Statuæ antiquus.

3. Concurſus hodiè magni.

VOſagia Lotharingiæ pars hunc theſaurum habet. S. Statua lapidea eſt, alta pedes duos cum dimidio. Pallium exterius eſt deauratum & ſuffultum colore cæruleo, veſtis rubra roſis argenteis inſperſa. Ipſe

JE-

JESULUS roſas manibus tenet, opus manûs bonæ, quantùm illa ferebant tempora, miraculoſa à Sæculis fuit, & etiamnum eſt, magnis concurſibus celebris, & quanquam nullum ex miraculis ad me perſcriptum ſit, multum tamen de his miraculis ſcribit Joannes Ruyr in libro Antiquitatum Voſagiæ, ut ad me perſcripſit Reverendus Pater Petrus Corcier Societatis JESU Collegij Societatis JESU Nancejani Rector.

CMXXI.

Imago B. V. Miraculoſa.
WAZERIANA.
Duaci in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *O Gemma clarè pura, divinitus emanata.*

1. Pharmacopæum pro pecoribus.
2. Fons ſalubris.
3. Populi liberalitas.

WAzeria Duacenſibus notus eſt vicus à frequenti Belgarum peregrinatione. Clarus jam ab antiquo locus hîc fuit, & divinis beneficijs, quæ per Deiparam impetrantur, Nobilis. Templum vaſtum & venuſtum ſola piorum liberalitate extructum eſt, hodiéque ſtat. Firmitatem fabricæ addit lapis vivus, è quo totum penè cum turri fecit architectus. Huc trahuntur, quotquot in vicinia morbis remedium non inveniunt.

Puteus. Puteus in Cœmiterio eſt limpidiſſimæ ſcaturiginis, ex quo agricolæ vicini certatim aquam hauriunt, hauſtamque pecoribus quoque propinant, & ſi quam fortè pecudem lues corripuit, ſanari aſſerunt: jámque illis in partibus res certa plurimum honorem Virginis auget, de hoc Sancto loco ad me perſcripſit Reverendus Pater Hubertus Wildheim Societatis JESU Rector Collegij Duacenſis.

CMXXII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE POPULO.
Bononiæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Eja vitas noctem Gemma auri pura luna.*

1. Homines ut canes,
2. Impietas quorundam.
3. Optatis majora dantur.

DIſce tandem, ô impie, etiam parietes, quos Deipara ſuos fecit, honore ſuo dignos eſſe. Ignoſce lector, quod moris mentionem faciam, quem præſtaret ſilentio præterire, niſi apud populos quoſdam Chriſtia-

nos invaluiſſet mos ille, & Virgo ſibi diſplicere grandi miraculo demonſtrâſſet.

Mos, inquam, nonnullis eſt facere, quod canes ſolent, & quomodo canes ſolent, eo nimirum loco requiſita naturæ exequi, quo lubet, nullo nec hominum nec Superûm reſpectu. Ita nullus fere paries ab his ſecurus, quem non ſordidis aquis in horas reſpergant; nempe è Cynica Diogenis Philoſophia hoc paradoxum traxêre, ita hi nullo diſcr mine quoſvis parietes inſuper habent; & (quod in canibus Turcæ non ferrent) etiam ſacros.

Bononiæ ſub annum milleſimum quinquageſimum decimũ quintum miles de palatij cuſtodibus unus ad murum, quæ dixi, naturæ ſecreta executus eſt, in quo Deiparæ Imago jam dudum erat. Præterijt quiſpiam, qucm altior Virginis Religio tangebat: Militis itaque proximam injuriæ incuriam, verbis modeſtis ſed acribus inſectatus, *Vide*, inquit, *quid agas: Superi hæc vident & Superum Regina.* Ille, *Deipara*, reponit, *in Cœlo eſt.* Et verò Deiparam in Cœlo eſſe, & è Cœlo in terram uſque ultrices extendere manus poſſe, ſenſit, nam & repentè oculis inducta nox omnem homini viſum abſtulit, & dolores ſenſit ijs in partibus, quibus peccavit, quos immanes vociferationes non bene lenirent. Profuit homini intellexiſſe flagitium, & à quo puniretur.

Itaque palinodiam quamprimùm cecinit, veniam delicti non ſine clamoribus à Virgine precatus, & veniam (quæ Virginis bonitas eſt) obtinuit majorem, quam popoſcit: nam & ab his & à majoribus eum Virgo malis liberavit; ſiquidem facta ritè confeſſione, à conſcientiæ quoque doloribus exivit liber. Imagini Sacræ honores poſtea dati, & ex piorum ſubſidijs erectum Sacellum hodie ſic colitur, ut nullo non die Miſſæ ſacrificium celebretur. Felices erunt, quos aliena mala reddent poſthac cautiores, & Superûm reverentiores. Felix Aſtolfi. lib. 11.

C M X X I I I.

Imago B. V. Miraculoſa. DE REMEDIIS. *Antiqueræ in Hiſpania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Tu cara pura Gemma data in monile JESU*

1. *Eques S. Jacobus Apoſtolus.*
2. *Imago B. V. ab Apoſtolo culta.*
3. *Verba Sacerdotis confirmata miraculis.*

HÆc Sacratiſſima Virginis Imago colitur in Vrbis *Antiqueræ* Cænobio tertij Ordinis S. Franciſci, Originem accipe lector lectu dignam, cui & Annales Ordinis & picturæ Templi antiquiſſimæ ſuffragantur. Sacerdos *Joannes à Crucibus* vitam ſolitariam duxit in ſpe-

ſpecu ſemileuca ab Vrbe diſſita: hunc Sanctus Apoſtolus Jacobus equo albo ſublimis evocat è ſpecu, ſtatuamque Virginis cubitalem in manus tradit, ritè colendam: nec plura locutus brevi ex oculis Joannis evanuit.

Ille Sacellum ſtruxit eorum ære, qui fidem narratis dederunt: hinc accurſus & miracula, ſi uſquam alibi multa. *Jacobum* Hiſpaniæ benevelle, nemo Hiſpanorum eſt, qui non ſciat. *Jacobum* Apoſtolum equo vehi, & quidem albo, novum nón eſt. Integri exercitus hoc ſæpe viderunt. Denique Patrono Hiſpaniæ & fidei Chriſtianæ primo prædicatori curæ eſſe honorem cultúmque Deiparæ, in Imagine ſua Cæſaraugustanis à tot ſæculis notiſſimum fuit, ità ut hæc tota narratio, ut alijs fortè nationibus difficilis ſit, Hiſpanis ſit certa.

Titulum *de Remedijs* accepit à populo, qui remedium hic invenit cuicunque malo, ita & narratio ſacerdotis his miraculis abundè confirmata eſt, & Miraculoſa imago in ipſam urbem ad majores honores translata eſt. Vbi hodie ſumma veneratione colitur. Ita ad me R. P. Chriſt. Fernan. de Azevedo S. I.

C M X X I V.

Imago B. V. Miraculoſa,
APUD MONIALES S. DOMINICI
Romæ in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
An. gr. *Gemma realis munita pura cui nata? Deo.*
1. *Iudex Ethnicus pro Chriſtianis.*
2. *Fons olei fluentis.*
3. *Ordo S. Dominici.*

PRima omnium ſedes, quam D. Dominicus ordinis ſui Monialibus attribuit, fuit illa, quæ prope templum S. Mariæ trans Tiberim, eſt, ſeu, ut antiquo utar nomine, ad Tabernam meritoriam; non longè, inquam, ab illo loco in quo, ut alibi fuſiùs memoro, pro fluvio diurno qui tam ebullijt oleum naſcituri Dei poſtremum omen: nam non tantum eodem die 25. Decembris, ut Baronius, ſed & eodem anno portentum hoc contigit, uti nunc omnibus Chronologis palàm eſt, nec ampliùs antiqua traditio correctione noſtra indiget, eâdem, inquam, in taberna meritoria ſub *Alexandro* Imperatore Ethnico, non tamen tyranno, Chriſtianis, & militibus Ethnicis lis fuit de loco, cui cederet, militibus merita ſua jactantibus, cultum ſuum Chriſtianis, quem eſſent hìc daturi Matri Dei cordatè fatentibus.

Porrò Chriſtiani locum jam penè totum emerant hypothecæ, ut ajunt, titulo, militibus, ut ſolet, ſolutionem nullam præſtantibus, quam Chriſtianis pacti ſunt, præter hanc præſentem quoque pecuniam pro reliquo tabernæ pretio Chriſtiani objecerunt, & migrare milites juſſerunt. Tanti erat Chriſtianis, locum hunc ſuum facere,

& Deiparæ dicare. Lis ab Imperatore in hanc ſententiam deciſa eſt: quandoquidem Chriſtiani nihil contra jura petant, inſuper divorum honorem cogitent; ipſis taberna cedat: melius enim eſſe Vrbi, Dei alicujus matrem in loco honorari, quam milites gręcari. Ita Taberna Chriſtianis ceſſit, qui Templū Deiparæ erexerunt quod hodie Templum S. Mariæ trans Tiberim appellatur.

Moniales. Juxta hoc Templum prima incunabula fuere Monialium S. Dominici, quas tamen ipſe paulò poſt ad Cænobium S. Sixti tranſtulit, ubi ante viris ejuſdem Ordinis habitatio fuit. Tulere ſecum Sacræ Virgines hanc, de qua loquor, Imaginem priore loco juxta Templum S. Mariæ trans Tiberim jam publico honore cultam & miraculoſam. Vnde autem ad eas, aut per quem pervenerit, non legi. Majorum noſtrorum ætate Pius V. in monte Eſquilino Cænobium Pontificia munificentia ſtruxit. Iterúmque à S. Sixti Cænobio jam tertium tranſtulit, ſemper Comite individua hac S. Deiparæ Imagine, ubi hodiéque quinque jam ſæculis, diverſis tamen in locis, in honoribus habetur. Ita Octavianus Pancirola. Pius V.

C M X X V.

Imago B. V. Miraculoſa
DE ROCCAVILLA.
Rocavilla in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Pura nata Nivalis gemma, cui mater? Deo.*

1. Collis monte ſecurior.

2. Civitas infelix.

3. Remedium malorum.

Colles amat Virgo Deipara, quæ eſt deſiderium collium æternorum. Iſte, de quo loquor, quarto ab Vrbe Toloſa lapide ſe erigit, habéque Templum, in quo Statua Virginis eſt miraculoſa, atque etiam miraculoſo modo reperta. Quodringentos annos jam hoc in loco coli aſſerunt periti, utique ſemper miraculoſam, quando nulli, nec Superis quidem, gratis fiunt honores.

Anathemata. Toloſani Rocavillam iniquis Temporibus confugiunt, remedia malorum à Virgine poſcunt & accipiunt. Tabularum ingens modus eſt, quæ pictura ſua beneficiū acceptum teſtantur. Modus miraculoſæ inventionis ad me perſcriptus non eſt, uti nec miracula ad me miſit R. P. Petrus Poſſinus S. J.

C M X X V I.

Imago B. V. Miraculoſa.
CLUNIACENSIS.
Cluniaci in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *I. Mera gemma ſana, rutila, cui nupta? Deo.*

1. Hæreticorum Impietas.
2. Sabathi cultus.
3. Lingua miraculoſa.

HÆreticis Albigenſibus omnia pene Sacra ad rapinam patuere; nec placet Hæreſis illius ferociã atque crudelitatem deſcribere, quia vel majora vel certè paria ſæculo elapſo vidit ipſa Gallia in Calviniana.

Contigit, ut duo vitæ probæ Clerici, iter haberent per infeſta latrocinijs loca, Templum ingreſſi, quod jam direptum etiam beſtijs patuit, quieſcunt. Tum unus ſabbathum, inquit, eſt, nec tempus dicendi ſacri adhuc elapſum eſt; adhæc quæ ad miſſam neceſſaria ſunt, nobiſcum detulimus, honoremus Matrem Dei: placuit ſocio Conſilium, & ilico (in altari Deiparæ) miſſam Sacerdos inchoavit: (Miſſa.) ſed ſupervenientes hæretici raptum de altari, poſt liberale fuſtuarium linguâ radicitus evulsâ ſemianimẽ deſeruere, quem Socius ad Cluniacenſe Monaſterium quod in conſpectu erat, ægrè deduxit, viriſque religioſis ægrum commendavit. Illi Sacerdotem ſibi aliâs notũ humanitate, qua decuit, exceptũ, vel ideo etiam bene habuerunt, quòd propter Deiparam hæc paſſus eſſet, & in loco ei dedicato. (Latrocinium.)

Vigilia Epiphaniæ pulſato pariete æger fratrem advocat, petitque in Templum ad Virginis altare deduci. Negat ille tempus eſſe afflictum tot malis corpus, in tanto frigoris rigore, vel pedem extra lectum deferre: ſed inſtat ille, & inſtanti obſequens infirmarius ſupponit humeros, ægrúmque ad altare Virginis deponat. Vbi poſtquam Matrem Miſericordiæ tota mentis devotione (ut verbis utar Auctoris) invocâſſet, illa ſe homini viſibilem ſtitit, & hæc quæ ex ipſo Auctore admetior verba dixit: *Quia propter fidem filij mei & honorem mihi exhibitum lingua tua privatus es, ecce novam tibi reſtituo; aperi ergo os tuum:* quod cum feciſſet, digitis ori ejus immiſſis radici linguæ carnem, quam ſecum attulerat, conjunxit & univit, & videri deſijt. Ille probaturus linguã ſuam, in ea primùm verba erupit, quæ Virgini ſunt gratiſſima, *Ave Maria gratia plena,* totámque ſalutationem Angelicam quàm diſtinctiſſimè pronuntiavit. (Ave Maria.) Accurrere è choro Monachi, & eadem frequentiús repetentem audiere, miraculô attoniti. Ille ne loci mutatione memoriam beneficij perderet, Monachis aggregari petijt, & obtinuit. Cæſarius l. 7. c. 24.

Statuæ porrò Virginis habitos honores, non eſt cur dubitemus, quando certũ eſt, hoc primũ Deiparæ beneficium nõ fuiſſe ultimum,

CMXXVII.

Imago B. V. Miraculoſa. WALTERIANA.

Alicubi in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Io Gemma nude i; i ſupra naturam lactea.*
1. *Nobilitatis decus Walterus.*
2. *Gloria appetens gloriæ capax.*
3. *Audita Miſſa merces.*

VBi ubi Templum illud ſit in Germania Inferiore, magnum olim fuiſſe certum eſt, quia miraculoſa Imagine Virginis inſigne. Notiſſimum Walteri de Birbach factum breviter repeto. Eluxêrunt in hoc juvene præter Nobilitatem & opes, etiam amabilitas morum, ſpecies, & corporis firmum robur, in quo virilis animus ludos alios ſprevit præterquam militares, gloriæ appetens atque etiam capax. Olim Germanos ad bella gerenda aptavit Torneamenti ludus nihilo ipſis prælijs mitior.

Torneamentum. Ferro tectus Eques cum Equite curſu effuſiſſimo congrediebatur, quo congreſſu raro uterque lanceam nullo impetu curvandam tam imperitè geſſit, ut neutri malum eveniret: ſæpe uterque ephipio excuſſus ad multos paſſus ab equo ſuò ſe in terra explicuit, atque inter ſuorum manus ex arena eductus eſt. Hi tam ſeveri ludi ab Eccleſia prohibiti licèt, tamen exercebantur. Hos inter nunquam non viſus eſt Walterus, fuit, cùm iter ageret ſocijs pluribus comitatus, gloriam in arena quæſiturus. Templum Deiparæ proximum viæ prætedituri erant ſocij, quos ille rogavit, ne gravarentur Miſſæ Sacrificio intereſſe, parvi temporis moram nihil utique obſuturam futuro ſpectaculo. Negârunt illi, & relicto monitore importuno, iter ſuum ſunt proſecuti. Walterus Templum ingreſſus, porrectâ pecuniâ etiam Miſſam cantatam, id eſt, longiorem ad Deiparæ honorem conſtituit, cui etiam ad finem uſque interfuit. Miſſa. Tum enim vero cùm ad locum Torneamenti pergeret, obvios habuit, qui jam omnia fervere dicerent, atq; omnem laudem Domino Waltero de Birbach cedere, illum illum ſolum acclamanti populo placere, atq; in ore eſſe, quod cùm alij atq; alij Waltero dicerent, nemo melius ſcivit, Angeli. ubi Walterus fuerit, quàm is ipſe, qui in tabula ludebatur.

Locum ille ſanè acceſſit galeâ ſuâ tectus; nihil tamen egit tantis laudibus dignum. Supervenêre milites devicti, & dura imperia ritu captivorum deprecabantur. Omnia hæc Waltero nova, neque ſibi, ſuæque virtuti hæc imputari ſuſtinuit, apertè liberèq; profeſſus, Virginis Deiparæ hoc beneficium eſſe, quæ per Angelum quempiam hanc ſtragem feciſſet, dum ipſe divino Sacrificio, quod ad Altare & in honorem

ipſius celebrari feciſſet ſolenni cantu, omitto diſputationem Cæſarij, quam narrationi huic ſubjungit: mihi & altare & Deiparæ illa ſtatua ad rem eſt, quæ honores ſibi factos tam luculento miraculo compenſavit, utique & alijs quoque benigna, & in majore cultu poſthac habita. Cæſar. lib. 7. cap. 39.

C M X X V I I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
R E G I A.
Alicubi in Vngaria.

Progr. AVE MARIA, gratià plena; Dominus tecum.

Anagr. *Tu gemma ſita in corde, anima pura vale.*

1. Votum felix & B. Virgini gratum.
2. Virtus Celata clareſcit.
3. Fuga matrimonij.

PRæterire non debeo ſuavem Deiparæ vocationem à ſtatu matrimonij ad Cælibatum & piam exhortationem ad feſtum Cõceptionis celebrandum. Temporibus Caroli Regis Francorum, Regis Vngariæ Frater Deiparæ addictiſſimus nunquam menſæ aſſedit niſi prius Officij Mariani horas dixiſſet, is lapſus in morbum Virgini Caſtitatem vovit, ſi ſanitatem reciperet. Recepit illico, quin etiam cubiculum cæleſti fulgore illuſtratum vidit, non obſcurum ſignum, placuiſſe votum Deiparæ. Apparitio Sed fratre ſine hæredibus defuncto, Magnates Regno neceſſarium, & paci publicæ vnicum remedium judicarunt, ut vnicus Regni hæres, hæredes quoque ipſe procuraret.

Ita neceſſitas voti catenas rupit, & Puella inventa eſt tanto rege digna, jamque omnibus ad regiam pompam paratis ad templum eſt proceſſum, in quo ſolitis Eccleſiæ ceremonijs benedictionem Sacerdos impertiretur novis Sponſis, dúmque Chorauli varijs concentibus præluderent tanto feſto, Officium Deiparæ de libello precatorio recitare cæpit Regius ſponſus: cum Deipara in altari ſuo apparens: *Si pulchra ſum*, inquit, *& decora, ut dicis, cur me dimiſsâ aliam ſponſam accepiſti?* Ille, *quid me*, inquit, *ò Virgo jubes facere?* ad quæ Virgo: *ſi ſponſam*, ait, *Carnalem mei amore dimittis, me in ſponſam in Cælo habebis: & ſi feſtum Conceptionis meæ annuatim celebraveris, mecum in Regno unigeniti mei laureatus eris.* Conceptio.

Rex jam inchoatas ceremonias fuga deſtituit, cum ſponſâ regnum deſeruit, in ipſam uſque Italiam abijt Aquileiam: ubi in rupe vicina tugurio extructo, vitam aliquamdiu egit eremiticam nunquam non Virgini addictiſſimus. Hæc principia ſanctitatis fuere, quæ ubi indies crevit, famam latere vir tantus non potuit. Populo Cleróque eligendo Patriarchæ intentis, Eremita nonnullis viſus eſt muneri aptus, ut quem virtus jam dudum commendaſſet, quem ubi etiam litteris inſtructiſſimum intellexere, nemo fuit, qui alium proponeret. Coronidem tantæ Eremita.

læti-

lætitiæ ſuperaddidit ſtemma regium, quod tot annis celaverat viri virtus. Felix fuit Aquileia ſub tanto paſtore, qui Feſtum Immaculatæ Conceptionis inſtituit, & ad poſteros propagavit. Auctor Pomerij cap. 60.

CMXXIX.

Imago B. V. Miraculoſa. DE PATROCINIO. *Madriti in Hiſpania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *En tota mira! Gaude ſine impura maculâ.*

1. Venuſtas & vetuſtas commendant.
2. Furtum ex omni parte pium.
3. Sententia Senatus juſta.

HAbet in hac hiſtoria Lector juſtiſſimam in cauſa Mariana Sacri Senatûs Hiſpanici ſententiam. Stabat olim hæc S. Statua in Sacello pagi cujuſdam deſerto octo circiter leucis ab Urbe Madritenſi, ubi Sacellum hoc vetuſtum ita neglectum erat, ut Deiparæ Statua nullo prorſus in pretio haberetur ab incolis, uni è Religioſis, quos vulgus Cordonarios vocat, viſa eſt vetuſtas ſimul & venuſtas Statuæ digna cultu majore: nam in angulo quopiam non in Altari ſtetit, imò ut Auctor ait, etiam cœli injurijs expoſita, & telis aranearum tantùm non tecta. Statua. Hanc, inquiebat, Religioſus ſocio, S. Statuam ſi Madriti in Conventu noſtro exponeremus publico, nec illa brevi inter miraculoſas cenſeretur: hoc meus mihi præſagit animus, ſed quo modo meam facere queam, non perſpicio: ſi dono mihi dari à Parocho petam, negabit: & tamen nihilo meliùs hîc loci erit S. Statuæ, ſupereſt ut eam pio furto rapiam: ſolitudo eſt, hominum nemo videt: ac etſi cœlites videant rapinam, tamen etiam mentem quoque bonam vident. Furtum eſt, ſed pium, ſed Virgini honorificum, & ut opinor gratum: ſi non diſſuades, frater, auferro. Quin, inquit alter, & eadem mihi, quæ tibi mens eſt, ſimul Statuam brevi pallio abſconſam auffert, & paſſu, quo ſolent, qui talia faciunt, Madritum cum ſocio petit, ibi ſordibus purgata decenter impoſita Altari eſt in Templo S. Michaëlis; ubi brevi populo pietatem conciliavit.

Concurſus ad rem novam, Novitas. etiam ex illo pago nonnullos, qui ad mercatum venerant, accivit. Hi priùs Statuam ſuam coli viderunt, quàm ſcirent amiſſam. Tum enim vero Statua ante vilis nunc pretioſa illis viſa eſt, cùm in aliorum manibus eſſet, quam neglexerunt in ſuis, uti quædam cùm habemus, vilia nobis ſunt; cùm amiſimus, pretioſa.

Litem ſuasêre utrinque, qui è litibus vivunt, qui ruſticorum cauſam ſuſceperant, nihil differendum ſuadebant: ſi jus perpetuum triurn obolorum relinquendum non eſt, quantò minùs tantus cum

S. Ima-

S. Imagine theſaurus. Anathemata & donaria; ſi ſapimus, noſtra erunt, ad nos peregrini excurrent, pane noſtro vivent dum redeant: quæ lucra, ſi repetimus? quæ damna, ſi jura noſtra negligimus? ad hæc furto ablata eſt inſcio & invito domino: quid ceſſamus inceſsere coram judice ſacrilegum furem? ſententia noſtra eſt, quid hæremus? facilè ruri natis cauſidicus iſte ruralis perſuaſit, ut litem moverent Religioſis Cordonarijs in Senatu Sacro Regni Caſtellæ.

Conteſtatam litem illi recepêre, Judicem rogantes, conſideraret an non S Statuę hic meliùs eſſet, quàm ibi fuiſſet; nunc auro ornari, quæ antè inter telas aranearum penè perierat: nunc in altari ſtare, quæ ibi in angulo jacebat: nunc coli, quæ ante negligebatur. Hîc deniq; Deiparā dare beneficia, quę ibi pœnam fortaſſis & vindictam meditabatur.

Dixit ſententiam Senat⁹, maneret S. Statua apud Cordonarios: Sententia ſibi adſcriberent ruſtici, quòd Deipara aliam & meliorem ſedē quęſiviſſet; nec quid ultra contra S. Statuam aut ejus cuſtodes moverent. Ita vacui diſceſsêre illius pagi ruſtici, non obſcuro documento, eum Virgini locum præ cęteris placere, & deberi, in quo decentiùs colitur. Blaſcus.

CMXXX.

Imago B. V. Miraculoſa. DE SANITATE.

Alicubi in Germania Weſtphalia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Veni dum amata pura Arca è ligno Setim.*

1. *Merces pro dicta ſalutatione Angelica.*
2. *Apparitio puero facta.*
3. *B. V. medicinam præſcribit.*

JUcundum eſt & pietate plenum, quod Cęſarius de puero quodam ſcribit: & quia ipſe Auctor virum jam Sacerdotem & Monachum de ſe loquentem introducit, ne gratiam ſæculi illius obſcurem ipſa Adami (hoc enim Sacerdotis nomen erat) verba, quantum licet, apponam. Cùm, inquit, eſſem puer, ita caput ſcabioſum habebam, ut præ fętore Scabies. putredinis ejus mecum ſedere ſcholares recuſarent. Porrò prima oratio, quâm didici, ſalutatio erat Angelica, quam adhuc puerulus non raro dicebam. Interea miſere me parentes ad Monaſterium Weſtphaliæ, ut litteris incumberem, in via fuit Templum Monachorum, quod quia quotidie tranſeundum mihi erat, flexo genu, & tribus ſalutationibus Angelicis Virginem, cui erat dedicatum colui.

Contigit, ut maturiùs Templum accederem, pulſu campanę deceptus, quem exiſtimabam dediſſe ſignum ad preces matutinas: quod quia clauſum adhuc reperi, flexis ante fores genibus

Ave Maria. penſum meum, id eſt, tres ſalutationes Angelicas perſolvi. Surgens verò inveni portas apertas, & totum Templum inſolito lumine fulgens, miratus ego, non tamen territus, majus altare accedo, videóq; Virginem Deiparam, (quanquam adhuc ignotam) ſedere in medio non ſine comitatu gynęcei cœleſtis, tres enim à dextra & totidē à ſiniſtra aſtabant cęleſti ſpecie Virgines.

Vocatus ab illa, quæ mediam ſedem occupaverat, acceſſi intrepidus, tum illa: *bone puer*, inquit, *quare non adhibetur cura capiti tuo?* reſpondente me: *Domina ſatis circa me laboraverunt amici mei, ſed nihil profecerunt*, ſubjunxit illa: *Noſti, quæſim?* cui cùm dicerem, *Non*, Domina reſpondit: *Ego ſum Mater Chriſti, & Domina hujus Templi. Quia mei memoriam ſolitus es habere, ego tibi curam adhibebo: accipe fruct⁹ ligni fuſilis, & fac tibi hodie ex eo lavari caput tribus vicibus ante Miſſam in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs ſancti; ſtatimq; curaberis, ad me accede. Adam*; quod & feci. Flectente me coram ea genua, manũ ſuper caput meum ponēs ait, *ab hac hora uſq; ad diem mortis tuæ non dolebis capite*. Manè verò cuidã Fratri, qui me nutrivit, omnia retuli: qui in vallem proximam deſcendens, & oſtenſos fruct⁹ colligēs, prędicto modo caput meũ lavit, ſtatímq; convalui: dolorem verò capitis nunquã ab illa hora paſſus ſum; cùm tamen hoc in ordine ſit ſatis miraculoſum. Cęſari⁹ l.7.c.25. Hoc ſequentiũ miraculorũ principiũ. Caput.

CMXXXI.

Imago B.V. Miraculoſa.

INCLUSA.

In Monte Olivarum in Palæſtina.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plenâ; Dominus tecum.

Anagr. *O munda Margarita vivaclemens & pia,*

1. *Monachi vocantur certatores.*
2. *Tentatio propter cultam Imaginem.*
3. *Tentationem aperire eſt vincere.*

INter Monachos eximij prę cęteris fuêre, quos vocabant incluſos, eam ob cauſam, quod cellæ ſuæ incluſi, non niſi conſilij causâ exibant. Eorum unus in Monte Olivarum ſtationem ſuâ habebat, certator maximus, ut verbis Moſchi utar, & multarum palmarum victor. Feſſus ille aliquando dæmonem nunquam non impuras cogitationes ingerentem ſic allocutus eſt: & *quando aliquando recedes? mecum conſenuiſti, & jam ſcis, nunquam me tibi conſenſurum: abi igitur, & deſine mibi eſſe poſt hac moleſtus.* Vix hæc edixerat cùm dęmon viſibili formâ ſe homini ſtitit, nec diſtulit reſpondere &, *Jura*, inquit, *nemini te dicturum, quæ ex me audies.* Juravit ſenex. Juramentum. Tum dęmon: *Noli*, ait, *honorare hanc Imaginem, & ultra te non oppugnabo.*

Habuit autem ſenex perelegantem in cella Imaginem Deiparæ ge-

geſtantis in brachio filium, unicum vitæ ſolitariæ ſolatium. Bonũ Seni fuit, quod deliberandi tempus à Dæmone petierit, quapropter manè altero, nulla juramenti ratione habita, ad ſenem abijt, quo uſus jam dudum erat Conſiliario, rémque omnem detexit. Adhæc ſenex improbato juramento, facti tam ſinceram revelationem ſincerè probavit, addidítque minus malum eſſe quodvis, quam Cultum Imaginis Domini noſtri JESV Chriſti & Matris eius ejurare, ita ſenem meliùs inſtructum domum remiſit. Imaginem illam poſthac honores accepiſſe majores quamquam Moſchus c. 65. non dicat, tamen dubitare nos non ſinit pientiſſima antiquitas.

Tentatio.

C M X XXII.

Imago B. V. Miraculoſa.
BÜRGLANA.
Friburgi in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Te ſingularem puram vitio Ada canam.*

1. Via crucis expreſſa figuris.
2. Concio ſub Dio in hyeme.
3. Templum leproſorum miraculoſum.

PRæter Lauretanam B. V. ædem, de qua ſuo loco, habet Civitas Friburgenſis adhuc aliam quæ quadrante uno à porta Vrbis diſtat, quæque ipſi portæ nomen dedit, unde Porta Bürglana vocatur: Cæterùm latinâ linguâ appellari debet B. V. in Monticulo. Leprodochium illic poſuere majores, quod etiamnum ibi ſtat plus uno ſæculo, fortè pluribus, à quo paucis paſſibus templum non magnũ diſtat Leproſorum in uſum conſtructum.

Leproſi.

Credibile eſt, Chorum ſolummodo initio fuiſſe totum templum, uſque dum propter miracula templum utrinque propter duo altaria lateralia diductum, & in hanc longitudinem promotum eſt: ſed nec ulterius potuit propter viam publicam, quam propter montes alio divertere nimis incõmodũ & ſumptuoſum eſſet. Quod miraculorum primum fuerit, ignoratur? quotidie accipi à Deipara gratias, populus loquitur per montes & cæli injurias ad templum accurrens, & munera cerea offerens. Singulis Deiparæ feſtis hora poſt meridiem prima extra Templum ſub dio habetur concio ad populum frigidiſſimo Februario inter nives. Populus porrò tantus eſt, ut nec ſenatores deſint, quoſcunque vel ægritudo vel grave ſenium non prohibet. Finita concione cantantur Litaniæ, quibus finitis per planam viam quindecim Myſterijs inter columnas lapideas diſtinctam reditur.

Nives.

Sed & alia quoque pietatis nova ſpecies ad ipſam portam hujus templi terminatur, à termino longè hinc diſtante inchoata: figuræ namque penicillo non imperito expreſſæ, ſex vel ſeptem pedum latitudine tres circiter cum dimidio

Hhhhhh 2 altæ,

altæ, quævis tecto ſuo ligneo cuſtodita ea commoditate, ut tres quatuórve juxta ſe flectere queant, & Chriſto patienti exhibere honorem, diſtant hæc Paſſionis myſteria tot inter ſe paſſibus, quot Doctiſſimus Adrichomius diſtare Jeroſolymis ea ſpacia ſcripſit, quæ inter Pilati palatium & locum montis Calvariæ etiamnum in honore ſunt. Denique ut dixi, terminantur ad Crucifixum per antiquum quem majores, ante portam templi collocârunt. Credi non poteſt quanta devotione hanc viam Crucis pertranſeant pij cives: augetúrque indies. Vidi ipſe ego & veneratus ſum tantam populi pietatem.

Paſſio Chriſti.

CMXXXIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
SILVERIANA.
Monomotapæ in Cafria.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *En dico te Reginam puram avitâ maculâ.*

1. Veritas nobilitate major.

2. Contemptus mundi Ethnicis admirandus.

3. B. V. Imago ab Ethnico honorata.

CONſalvus Silveria Soc. JESU nobilis in India operarius, qui ſanguinem ſuum in Vrbe Monomotapa inter Cafres profide fudit; cùm anno 1561. Januarij Vrbem Monomotapam intrâſſet cum paucis Luſitanis, miſit confeſtim Rex, qui eum cum muneribus viſeret, auri pondere, ingenti bobusque permultis, & famulatu ad miniſteria quotidiana: quippe qui ex Luſitanis mercatoribus jam ante cognoverat, Conſalvum non modò vitæ Sanctitate virtutéque præſtantem, ſed etiam generis claritate ac nomine imprimis eſſe conſpicuum.

Divitiæ.

Conſalvus gratijs actis, muneribúsque repudiatis, ex ipſo legato Regem cogniturum eſſe reſpondit, quod genus auri, quáſve divitias quæſiturus, in ea loca veniſſet. Obſtupuit ea animi magnitudine Rex, veniéntémque ad ſe deinde Conſalvum tanta gratulatione & ſignificatione honoris excepit, quanta neminem unquam antea. Nam & in ipſa penetralia, quo nulli eſt aditus, introduxit, & aſſidente matre conſidere Conſalvum etiam in tapete juſſit, Antonio Cajado, é conclavis janua interprete adhibito.

Rex quatuor continuò ſciſcitatur, quot fœminas, quid auri, quid prædiorum quid boum denique vellet, quos incolæ non minoris quàm aurum ipſum æſtimare dicuntur. Cùm nihil ſe præter ipſum Regem reſpondiſſet optare, converſus ad interpretem inquit Rex: Profectó neceſſe eſt, qui nihil horum accipiat, quæ à cæteris tantopere adamantur, longo intervallo à reliquis diſtare mortalibus. Et nihilominùs ad extremum multa benigne pollicitus, amantiſſimis verbis Conſalvum ad hoſpitium

Abſtinentia.

tium remiſit. Ibi dum ille manè rem facit divinam, è principibus quidam prætereuntes cúm è foribus aſpexiſſent in ara propoſitam perelegantem Mariæ Virginis Imaginem, quam in tabula depictam ex India Conſalvus advexerat, ſpecie decepti, ad Regem deferunt, Conſalvum egregiâ formâ puellā apud ſe habere: hortantur, ut ab illo depoſcat. Nec mora: mittit ille, qui Conſalvo renuntiet, audiſſe ſe, illum uxorem ſecum adduxiſſe: vehementer cupere, ut eam ſibi ſiſtat.

Imago B. V.

Tum Conſalvus tabulam, pretioſa veſte involutam ad Regem affert. Cuius deſiderium quo magis exacueret, præfatur, illam eſſe effigiem Matris Dei, cujus in ditione ac poteſtate ſint omnes Reges & Imperatores orbis terræ totius, ac tum denique tabulam aperit, Regis quoque Matre præſente. Rex Imaginem veneratus, Conſalvum etiam atq; etiam obſecrat, eam ſibi largiatur, domi habere ſe velle. Libenter verò Conſalvus annuit, quin etiam ipſemet in Regio cubiculo collocat, ibidémque quaſi ſacellum quoddam, precandi cauſa periſtromatis pretioſis exornat.

Apparitio

Narrant, qui inde venerunt Luſitani, noctibus deinceps circiter quinque Reginam Cæli ea ipſa ſpecie quam tabula oſtenderet, divina circumfuſam luce ſuavíque ſplendore fulgentem, auguſtiſſimo ſimul ac jucundiſſimo aſpectu dormitanti Regi aſtitiſſe: quod ille manè Matri narrabat, rei novitate vehementer attonitus, itémq; Luſitanis, qui ſtatim id Conſalvo renuntiabant. Poſtremò Rex Conſalvum ipſum accerſit, ait ſe mirum in modum angi, quòd ſermonem Reginæ eius, quæ ſecum ſingulis noctibus loqueretur, non intelligeret, cui Conſalvus, cùm eam eſſe linguam divinam dixiſſet, quam nemo noſſet, niſi qui ſacroſanctis Filij eius legibus pareret; quippe qui Deus eſſet generiſque totius humani redemptor, Rex in præſentia quidem, ſi minùs verbis, vultu certè ac ſignificatione; ſe Chriſtianum velle fieri, oſtendit. Bidui deinde ſpacio interjecto per Antonium Caiadum Conſalvo apertè denuntiat; certum eſſe ſibi Matrique, Chriſtiana ſacra ſuſcipere: proinde ad ſe baptizandum quamprimum veniret. Conſalvo tamen dies aliquot ſuper ſedere ſatius viſum, dum Rex Chriſtianæ fidei præceptis ac rudimentis imbuatur. Quibus cùm ſatis operam dediſſe videretur, quinto circiter & vicesimo poſt adventum ſuum die Conſalvus Regem ſimul & Matrem, non ſine ſolenni pompa & gratulatione baptizat: Regi, Sebaſtiani, Reginæ Matri Mariæ eſt inditum nomen.

Baptiſmus.

Eo ipſo die Rex Conſalvo, quoniam aurum reſpuerat, boves centum donavit: ille ad Antonium Caiadum miſit, ut in fruſtra diſſecti diſtribuerentur in pauperes. Quam ejus liberalitatem ac beneficentiam populus ingenti cum admurmuratione ſuſpexit. Regem imitati trecenti ferme è Regni proceribus, Chriſto ſeſe pariter addixere: hi nunquam à Conſalvi latere diſcedebant.

Iámq; ſpectata vitæ morúmq;

ſanctimonia ſtudióq; ſalutis humanæ tantam ſibi ſummorum infimorúmque benevolentiam conciliaverat, tantóſque in omnium animis effecerat motus, ut in Chriſtanam Religionem univerſa multitudo videretur incumbere. Tantum in fide progreſſum fecit unica Deiparæ Imago, oppido miraculoſa, & jure inter miraculoſas numeranda. Joannes Petrus Maffejus Societatis JESU Epiſtolarum indicarum libro ſecundo. Epiſtola de Patre Conſalvo Silveria.

C M X X X I V.

Imago B. V. Miraculoſa. ROSENTALENSIS. *Mechliniæ in Germania Inf.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Te Virginem ut puram à malis Adæ cano.*

1. Apparitio mirabilis.
2. Pia pugna Ida cum B. Virgine.
3. Officium S. Joannis Baptiſtæ.

EST Cœnobium Virginum Ciſtercienſium ad *Netham* fluvium juxta pagum Duffelenſem primo lapide à Mechlinia in Valle Roſarum. Hìc Deiparæ Imago creditur à B. Ida Moniali originem ſuam habere, vel certè inſtaurata pietas. Idæ enim cum die quadam Sacroſancto Miſſæ officio eſſet intenta, apparuit Deipara, S. Joanne Baptiſta, S. Eliſabeta comitata, ille vas aquâ calidâ plenum ferebat; Maria verò cum Eliſabeta denudabat cœleſtem ſuum puſionem JESUM eúmq; balneatum miro cum favore in gremium *Idæ* deponebant, quæ ardentiſſimis oſculis divinum hunc puſionem excipiebat. Apparitio. Cúmque Virgo Mater tandem filiolum ſuum repeteret, præ amoris magnitudine & ſacro cordis liquamine, ut Auctor loquitur, *Ida* ſuaviter reluctabatur, quo in pietatis jucundo certamine, Virgo hęc piiſſima, cum Deipara, ad inſtar Jacob cum Angelo pro benedictione luctantis, ſeſe exercebat; quoadúſque in Sacro Miſſæ officio *Agnus Dei* caneretur: quo audito cum dulciſſimo ſuo Agnello totóq; comitatu S. Dei genitrix diſparuit. Exinde loco acceſſit veneratio & cultus major, major quoq; Virginis Deiparę in ſupplices liberalitas. Wikmans l. 3. c. 17.

C M X X X V.

Imago B. V. Miraculoſa. EMBRICENSIS. *Embricæ in Germania Inf.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Te Agna JESU ter mali puram Divam cano.*

1. Exaudita preces ignorantis.
2. Gratiæ actæ pro miraculo.
3. Imago effundens lachrimas.

INitium ſuum hujus Sacræ Imaginis cultus accepit anno 1527. Odilia fœmina in paucis pia, membris capta, & multum de ſanitate ſolicita, hoc Templum Religioſorum S. Aldegundis acceſſit manibus alienis delata, & coram Deiparæ Virginis Imagine provoluta preces fidei ſpeique plena fudit: nihil divinæ opis omnino ſenſit, uſque dum finitis precibus ſurgere conata, vidit ſe ſurgere, & perfecta ſanitate recepta etiam abire ſine fulcris & aliorum manibus poſſe. Gratiæ

Secutæ ſunt miraculum pulſationes campanarum, quibus accitus populus ad ſimilia petenda, & obtinenda invitatus eſt. Hæc ipſa Deiparæ Imago vim lachrymarum effudit; quibus abſterſis ſucceſſerunt aliæ atque aliæ, ita ut Statua Sacra maduerit, contigit hæc lachrimatio anno 1527. Cladis præſaga, quam Belgium ab Hæreſi accepit, in qua Embrica non adeo multum beneficio Deiparæ paſſa eſt. Tillemannus l.3. cap.19. Lachrimæ.

CMXXXVI.

Imago B. V. Miraculoſa.
CONCILIATRIX.
Alicubi in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Veni pia Gemma munda, cœlitus rorata.*

1. Imago Beatiſſimæ Virginis aſpecta mitigat iras.
2. Odium implacabile.
3. Condonatio ſpontanea.

REfero, quæ narrat Reverendus Pater Franciſcus Benzius in annuis Societatis è Provincia Auſtriæ. Quidam, inquit, ardebat in inimicum odio ita implacabili, ut ſubtraheret aures ſermonibus, hunc convenit unus è noſtris, orat, ut, quandoquidem aures habeat obſtructas, oculos tamen ſibi clauſos eſſe ne patiatur, in Templum noſtrum concedat, & ante Virginis Altare genuflexus aliquamdiu fixo obtutu intueatur Imaginis vultum, fecit ille, quod noſter rogabat: & ecce vix aliquamdiu Imaginem intuitus, ita perculſus eſt, ut in hæc verba magnis clamoribus eruperit: *Da veniam, libens obliviſcor injuriæ, condona tu mihi, ô Deus peccata mea;* quæ etiam ſtatim confeſſione expiavit. Tantum poteſt aſpectus Imaginum Beatiſſimæ Virginis. Pœnitentia.

Hoc primum miraculum ſecuta ſunt plura.

CMXXXVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
MIRTILLANA.
Conſtantinopoli in Græcia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Tu alma pura ave nocti diem geminas.*

1. Servus in Dominum ſuum impius.
2. B.V. benefica regibus non Tyrannis.
3. Translatio miraculoſa Imag. B.V.

MIrtillum Nicetas vocat ingratum & impium ſervum, quem licèt ex plebe in Palatinam dignitatem evexiſſet Imperator, tamen filium ejus Alexium cum veneno non poſſet, propria manu trucidavit, & Coronam Imperij ſibi ipſi impoſuit. Nempe fidelitas & gratitudo illiberalibus ſervorum ingenijs nec infundi quidem poſſunt: quia nunquam conveniunt nec in una ſede morantur fidelitas & illiberalis indoles. Hanc injuriam cùm Palduinus Comes Flandriæ ultum iret cum exercitu, etiam ſe præbuit cum ſuo Mirtillus extra Conſtantinopolim, & quidem cum Deiparæ Imagine more veris Imperatoribus Conſueto: ſed durante pugna miraculosè hæc Deiparæ Imago in aciem Balduini tranſijt, & una ſecum victoriam tranſtulit. Coactus nempe eſt Mirtillus ſe cedere in urbẽ, quam poſtquam Balduinus obſediſſet, ſexageſimo die ſuam fecit, & Imperij Orientalis coronam ab Innocentio III. Pontifice accepit. Pancirola rer. Mem. l. 1.

CMXXXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE ARBORE.
Cæſarauguſtæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Inviolata paries tu carè munda gemma.*

1. Apparitio dæmonum.
2. Terror populi in templo.
3. Converſio mirabilis.

ANtiquæ & miraculoſæ Imaginis langueſcentem pietatem renovavit S. Dominicus: cùm enim hoc in templo diceret è pulpito, & ea verba explicaret: *qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*, intravit templum Nobilis, ſed impiæ vitæ vir *Petrus de Urrea* Sancto notiſſimus, eo viſo Deiparam invocat Sanctus, in cujus templo hæc fiebant, rogàtque, ut hic homo talis populo appareat, qualis in oculis Dei erat. Factum Legio dæmonum viſa eſt ab omnibus: hæc catenis vinctum duxit; quin ipſe quoque dæmonibus vultu non abſimilis, penè ſolum ſe vidit in ampliſſimo templo; ita omnes horror in fugam compulit, qualem

Timor. lem videmus in loco, quem populus implevit.

Horruit homo, cùm intellexit, ſetanti timoris & fugæ cauſam eſſe, & quamprimum vitæ mutationem ſpopondit factáque Confeſſione ſibi ſuæque formæ redditus ſine catenis & infauſtis comitibus ſolus ire domum viſus eſt: unde S. Statuæ crevit cultus.

Franc. Diagus l. 2. c. 32.

C M X X X I X.

Imago B. V. Miraculoſa. VULNERATA. *Alicubi in Germania Inf.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plenâ Dominus tecum.

Anagr. *O puram! Tu mundi Cœli amata Regina es.*

1. Scriptorum antiquorum fides.
2. Jejunium latroni utile.
3. Converſio mirabilis.

HOc ſcriptoribus ſæculi prioris indulgendum eſt, quod res quidem ſcriptu dignas litteris commendârint, ſed non eo modo, quo nos poſteri optaremus. Loci perſonarum & temporis rara mentio, etiam multis ſuſpicionem facit, fabulas potiùs quàm hiſtorias ſcripſiſſe. Cæterùm qui & Auctorum inſignem doctrinam & notiſſimæ virtutis vitam conſiderat dubitare non poteſt, quin vera ſint, quæ ſcribunt, etiamſi rerum locorumque circumſtantias non ita exactè producant.

F. Joannes Griths Ordinis minorum ſingularis doctrinæ & pietatis, in ſuo Promptuario exemplorum, militem fuiſſe ait, qui bello finito ad latrocinia & rapinas ſe convertit, vixítque ex rapto. Felicitatis pars magna fuit, habuiſſe uxorem Virgini Deiparæ devotam, quæ id unum viro perſuadere potuit, ut ſalutationem Angelicam diceret, quoties Templum quodpiam Virginis præteriret, & Ave Maria. Sabbathi devotum Deiparæ diem jejunio honoraret. Satis mulier egit; quamquam & integram viro vitam & ſceleris puram optaret. Felix caſus, qui homini ad ſanguinem & rapinas properanti Templum ſuaſit, quod jamjam prætererat: hoc ingreſſus ad altare ſe contulit, ſtatuáſque ligneas contemplatus, vix cæpit ſalutationem Angelicam, cùm vidit integros ſanguinis miraculoſi rivulos per omne JESULI corpus defluere in Matris gremium, quos Mater admota manu non ſatis vel tergere vel ſiſtere poſſet. Ille, quis, inquit, *ò Virgo hoc fecit.* Tum lignea Virginis Statua: *Tu*, reſpondit, *& alij peccatores tui ſimiles, à quibus æquè ac à Judæis filius meus crucifigitur.* Miles jam longè alius. *O Mater inquit Miſericordiæ! intercede pro me.* At illa: *vos me Matrem Miſericordiæ vocatis, & facitis matrem Miſeriæ.* Tum miles; *memento tamen, te eſſe Advocatam peccatorum.* Sanguis.

His mota Mater filium rogavit, facta jam militis Advocata. Negavit JESULUS Matri, quod peteret, &, *ne mireris*, inquit, *ſciot* Statua.

quòd & ego patrẽ rogaverim, ut transferrem à me tam amarum calicem, & exauditus non ſum. Ter Mater militi veniam petijt, ter filius militi veniam & matri petita negavit: dum illa depoſito ſuper Altare filio in genua procidit, proteſtata non ſe ſurrecturam, dum petitam obtineret militi veniam. Hìc enim verò JESULUS, tantis flexus precibus militem accedere, & oſculari ſua juſſit vulnera: & quia ſingula poſt pium oſculum coaluerunt, ſenſit miles peccata quoque ſibi remiſſa eſſe, vidítque, quod pauci credunt, non adeò facilem eſſe JESUM, ut in amicitiam recipiat peccatores obſtinatos. Miles reverſus domum, conjugem converſione ſuâ non parùm recreavit, & ne in priora mala relaberetur factus Monach⁹ vitam poſthac vixit piam, & morte ſãctâ finivit: quod, & uxor mariti exemplum ſecuta fecit.

C M X L.

Imago B. V. Miraculoſa.
MESCHLINIENSIS.
Meſchliniæ in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Averno mugiente, micas data pura mali.*

1. Pietas Auſtriaca.
2. Regnum Hiſpaniæ merces pietatis.
3. Sodalitas numeroſa.

SI de Templo quęſtio eſt, perantiquum eſſe conſtat, creditúrque à D. Lamberto Deiparæ dedicatum, olim miraculoſam Deiparæ Statuam fuiſſe, quanquam litteris probari non poſſit; plùs tamen quàm probabile eſt; priore tamen ſæculo, quia ſummos honores accepit, etiam beneficia, quæ rependit Virgo, ſumma fuère & miraculoſa. Ita nempe, à nobis ut plurimum pendet, sítne Deiparæ aliqua Imago miraculoſa: ſiquidem nunquam illa gratis ſibi honores exhiberi ſinit, ſemper beneficia rependit honoribus majora.

Sodalitas Hìc Sodalitas inſtituta B. Virginem ad miraculoſos favores ſollicitavit. Philippus Auſtriacus Dux Brabantiæ, filius Maximiliani Primi, & Pater Caroli V. hanc Sodalitatem inſtituit ſub titulo *ſeptem dolorum B. Virginis.* Princeps. Rependit abunde honores exhibitos Virgo: ſiquidem Philippus non ſolùm exinde Belgicas Provincias pacificè poſſedit, verùm etiam primus Hiſpaniarum Regna Auſtriacæ domui adjunxit, propè miraculum quoque fuit, quòd hæc *ſeptem dolorum Mariæ* Sodalitas per omne, quàm latè patet Belgium, diſperſa nuſpiam non Marianis favoribus inclita fuerit, ac hodiéque ſit. Auſtriaci.

Miracula ab Ordinario approbata, & juſſu Caroli V. conſcripta etiamnum extant, eo in libello memorantur ope Virginis adjuti cæci undecim, claudi novem, ſurdi & muti quatuor, Carolus V.

mortui reſuſcitati quindecim. Hæc de Meſchlinienſi Deipara. Wikmannus. l. 2. c. 64. ubi addit anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſexto, huic Sodalitati, ad decem millia hominum eſſe inſcripta. Feſtum celebratur fer. 6. ante Dominicam Palmarū.

CMXLI.

Imago B. V. Miraculoſa. VETERIS CAPELLÆ. *Ratiſponæ in Germania Sup.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Tu magna Cœlo mirante jam purè vadis.*

1. Antiquitatis honor.

2. Hæreſis omnia corrumpit.

3. S. Rupertus Bavariæ Apoſtolus.

IN Urbe Ratiſponenſi Imperiali nunc, olim Reſidentia Ducum Bavariæ, Templum eſt, quod veterem Capellam ab antiquo vocant. Cauſa hujus tituli eſt, quòd antiquiſſima ſit, & conſtans traditio habet, hìc loci primum omnino in Bavaria Templum à Sancto Ruperto Bavariæ Apoſtolo ædificatum: quod quia mole ſua Templum juſtæ magnitudinis non æquavit, Capellæ nomen à poſteris accepit. Quod eam S. Rupertus Deiparæ dedicaverit, apud omnes Auctores certum eſt; cùm ei totam Bavariam ſolenni pompâ dicavit, dedicavítque.

Deiparam tantos Neophytorum honores liberaliter beneficijs miraculoſis compensâſſe, nemo dubitat, niſi qui Mariam non diligit. In ſumma ſemper veneratione fuiſſe certum eſt, & ex omni latè Bavaria peregrinos huc confluxiſſe, ad quærenda miſeriarum & morborum remedia. *Capella.* Ceterùm ubi illa ſteterit, vel etiamnum ſtet ignoratur: quis enim per tot ſæcula chartas & libros conſervet, & per tot Urbis incendia illæſos poſteris tradat. Credibile eſt, ultimam Lateralem Capellam è ſiniſtro latere, illam eſſe, vel certè illius fuiſſe: tanta murorum antiquitas & ſoliditas eſt, quæ reliquum Templum ætate plurium ſæculorum ſuperare videtur, utique non relinquenda, niſi antiquitatis honor & ſanctitatis opinio id poſtulâſſet, hæc ſenum opinio fuit, cùm in ea Urbe verſarer: nec mirari lector debet, harum rerum monumenta & pietatem jacuiſſe, quando Catholicis in Lutheranæ hæreſeos Cataclyſmo ſtare non licuit. *Antiquitas.* Cæterùm olim unicum in Bavaria aſylum, & omnium neceſſitatum remedium hìc fuiſſe, certum eſt; ſi Ætinganum Deiparæ Templum excipias, quod & ipſum à Sancto Ruperto Deiparæ dedicatum fuiſſe, ex omni Hiſtoria conſtat.

CMXLII.

Imago B. V. Miraculoſa. S. LUCÆ.

Ratiſponæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *O pia immunis à maculâ terra gaudente.*

1. Imago à S. Luca picta.
2. Profeſſio Societatis IESV.
3. S. Henricus Imperator.

EST in hoc eodem Templo alia & grandis picta Deiparæ Imago Græcæ manus, quam Sancti Lucæ opus eſſe, à pluribus ſæculis creditum eſt, & etiamnum creditur. S. Henricus Imperator & Dux Bavariæ illam à Summo Pontifice accepit, & in hoc antiquiſſimo totius Bavariæ Sacrario repoſuit. Adſunt alæ altaris duæ, quæ S. Imaginem claudunt perantiquæ picturæ, quarum una Sanctum Lucam repræſentat cum epigraphe: *Hanc Imaginem ego pinxi*, altera Sanctum Henricum cum epigraphe: *Hanc Imaginem ego huc tuli.* Imago.

Hodie dum in honore eſt: ſiquidem Epiſcopus cum Clero Cathedralis Eccleſiæ ſingulis Deiparæ feſtis ſupplicationis ordine huc venit toto Catholico populo comitante atque Sacrificio ſolenniſſimè cantato, & Concione, aliàs in Cathedrali habenda, hunc locum honorat. Præterire non debeo; quod Reverendus Pater Orlandinus in prima parte hiſtoriæ Societatis JESU ſcribit, Reverendum Patrem Petrum Fabrum è primis ſocijs unum imò primum, profeſſionem ſuam Ratiſponæ, Sancti Ignatij juſſu emiſiſſe, & ad tam ſublimem actum præ omnibus Templis hoc elegiſſe; ut vel inde ſciremus, ſi cætera abeſſent, eum B. Virgini fuiſſe addictiſſimum. R. P. Petrus Faber.

CMXLIII.

Imago B. V. Miraculoſa SOCCOTORANA:

In Soccotorâ in India.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Tu amata pura Gemma unio Cœlridens.*

1. Chriſtiani defenſi.
2. Fanum redactum in Templum.
3. Ignorantia excuſat.

TRiſtanus Luſitanorum in India Chiliarchus juſſu Regis Luſitaniæ Emmanuelis Chriſtianorum maximè protectionem in ſe ſuſcepit. Is ubi in Soccotoram Inſulam venit, Chriſtianos offendit, qui eam jam ab

Apoſtoli Thomæ temporibus incolebant. Cæterùm propter Æthiopiæ vicinitatẽ vitia multa traxere ex Jacobitarum hæreſi: nam & à Romani Pontificis auctoritate ſejuncti ſunt, & circumciſionem, aliósque ritus Judaicæ ſuperſtitionis uſurpant. Hi ad pedes Triſtani cum lachrymis acciderunt, per Chriſtum JESUM obſecrantes, ut è tam acerba ſervitute Regis Arabis, iiſdem ſacris deditam ejuſdémque conſortem ſpei nationem eriperet. Quibus ille, ſe vel ob id ipſum ab Emanuele Rege ſalutis eorum cupidiſſimo, in ea loca deſtinatum eſſe, reſpondit; quamobrem & præſidium ad Mahometanos arcendos, & ſacrorum Antiſtitem ad curandos incolarum animos libentiſſimè relicturum. Judaizantes.

Itaque Fano Arabum expiato, & in cultum Virginis Mariæ converſo, arcis cuſtodia cum idonea manu Alfonſo Noroniæ Luſitano concredita eſt. Et ope Deiparæ Chriſtiani ſervati ſunt ab hoſtibus illæſi: quos utique Deipara etiam in aliis neceſſitatibus ad ſe confugientes liberaliter & miraculosè adjuvit. Cur enim id ſine malitia ignorantibus non præſtaret, quod malitioſiſſimis peccatoribus paſſim præſtat? Jo Pet. Maff. l. 3. Hiſt. Ind. Fanum.

CMXLIV.

Imago B. V. Miraculoſa.

VICTRIX,

Cananore in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Gaude mei numinis arca, tota almè pura.*

1. *Claſſis navium formidanda.*
2. *Victoria miraculoſa.*
3. *Cibus locuſtarum ſalubris.*

Barbari claſſe ingenti, prope Cananorem Urbem Laurentium Almeidam Luſitanum petierunt. Ea fuiſſe dicitur celſarum Navium ampliùs ſexaginta lemborum ac paronum, biremiùmque ad centum & triginta, omni telorum genere & numero militum inſtructiſſima. Ad ejus famã naves non plus undecim, admiſtis triremibus paucis, raptim adornaverat, Luſitanis præter nautas impoſitis octingentis. Ut ad ictum bombardæ ventum eſt, conſpicatus Laurentius tantam hoſtium multitudinem, expiatis de more noxis primùm omnium ædem Mariæ Virgini victirici vovit, ſi ea pugna Barbari fuſi ac fugati eſſent: dein paucitati ſubveniendum ratus, arte, ne à Malabaribus circumveniri poſſet tormentis, qua parte virium longè præſtabat, eminus rem gerere inſtituit: atque ob idipſum ex alto directis in prælium navibus, leni auſtro flante, ſimul & venti beneficium, & congrediendi Arbitrium, hoſti præripuit. Votum.

Omitto certaminis longam deſcriptionem, quam auctor fusè proſequitur. Almeida Dux voti reus eſt factus: nam tribus circiter

ter millibus cæſis, ſex tantùm è ſuorum numero deſideratis (quæ Victoria. res divinum Deiparæ Auxilium ſine ulla dubitatione monſtravit) captivas trahens onerarias novem, ingenti parta præda ſimul & gloria Cananoris portum, cujus urbis in conſpectu res erat geſta, magna cum totius populi ac Regis Zamorini gratulatione ſoſpes introijt. Ac primum omnium Mariæ Virgini Victrici, quam initio prælij voverat, ædem, in extrema arce extruxit. Vbi Deipara propter miraculoſam Victoriam jam ſuos honores habebat, qui non ita multò poſt vehementer aucti ſunt, cùm Luſitani fame preſſi in eadem arce à barbaris obſiderentur. Locuſtæ. Nam ad id templum, deſperato pænè omni humano ſubſidio Luſitani quotidie confluebant, opem cùm à Deo cælitibúsque tum præſertim à Dei Matre Virgine enixè petentes, ne ſe in alieno ac barbaro ſolo, tot undique junctos anguſtijs, tot preſſos malis, fame ipſa denique enectos, Chriſtianos ipſos & à filio ſibi commendatos Clementiſſima Regina Cæli deſpiceret. Suis peccatis noxiſque quas ipſi innumerabiles faterentur, ab irato Deo veniam & pacem expoſceret, neque jam de corporis modò, ſed etiam de animorum ſalute periclitantibus in tempore ſubveniret.

Haud incaſſum miſſæ preces. Ipſo feſto Aſſumptionis die, ne quid miraculo rem poſſet eximere, ſolito vehementiùs intumeſcens pelagus, ingentem locuſtarum numerum ad ipſas Templi radices ejecit, quæ à Luſitanis gratulabundis avidè collectæ, in multos dies abunde ſuffecerunt, nec validos tantùm ſæva fame verum et am (ut ſalubris eſt cibus) ægros diuturno morbo levaverunt. Inde acuta in Virginem pietas miraculoſa Virginis beneficia P. Io. Petrus Maffeius Soc. I. l.3. Hiſt. Ind.

CMXLV.

Imago B. V. Miraculoſa.
SCODRENSIS,
Schodræ in Epiro.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Vige, ô patris Nata, mirè munda macula.*

1. Obſidio urbis mirabilis.
2. Defenſio urbis mirabilis.
3. Sagittæ numero penè infinita.

TRecenta millia obſidebant Vrbem Scodrenſem, quibus animos addidit præſentia Machometis Turcarum Imperatoris. Nullus à condito orbe locus eſt majore mole, quàm Scodra, oppugnatus, nullus magis ſtrenuè defenſus inquit Sabellicus t. 2. lib. 7. decade 10. bis ſubijt hoſtis muros, bis vim ingenti ſtrage eſt à mænibus repulſus. Vix fidem inveniat apud poſteros, quod oppugnatione illa accidiſſe ajunt, tantam Sagittarum vim in urbem conjectam, ut non uno loco plures ſagittæ ſint repertæ, quàm potuerint pluribus menſibus abſumere in furnis calefaciendis

endis & coquendis cibis.

Cauſa defenſæ tam fortiter Urbis fuit Civium pietas in Beatiſſimæ Virginis præcipuam Urbis Imaginem, quàm ſic Virgo rependit, ut ipſa ſit viſa defendere mœnia; & Turcas abigere: quin quod etiam quamplurimi Civium digni ſunt habiti, quibus ipſa Deipara in ſomnis appareret, eóſque excitaret, adderétque animos, jam jam deditionem cogitantibus. Turcæ quoque faſſi ſunt, magnos præliatores ſibi obſtitiſſe; à quibus ad fugam compulſi eſſent. Hanc Deiparæ Sacram Iconem, ſervata Urbe, majores adhuc honores accepiſſe, non eſt dubitandum; quando nemo minus ingratus eſt, quàm qui é periculo liberatus à timore ſuperſtite ad gratitudinem ſtimulatur. Tamajus ad annum milleſimum quadringenteſimum ſeptuageſimum ſeptimum.

C M X L V I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE CERUO.
Alicubi in Vngaria.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. ***Tu purè jam renides, ô Agna immaculata.***

1. Perfidia Aulica.
2. Inauditum exemplum humilitatis.
3. Cervus luminibus illuſtratus.

GEiſa, Ungariæ, Dalmatiæ, & Croatiæ Rex, cui Ladiſlaus frater Germanus in Regno ſucceſſit, magnus Mariæ Virginis cultor fuit. Aulica perfidia inter Salomonem Ungariæ Regem & Geiſam atque Ladiſlaum patrueles nondum ullo ſceptro conſpicuos, diſcordias miſcuit, res ad arma pervenit: fratres auxilia amicorum Principum defendebant; longè tamen horum exercitus fuit inferior, quàm illius.

Votum. Vovit Geiſa Templum Virgini, ſi victoriam ei Virgo daret, data eſt, occiſo Salomone, & quanquam vidiſſet Ladiſlaus Angelum è Cœlo delapſum imponere fratri Geiſæ coronam, hócque audito Geiſa in genua prolapſus Virgini egiſſet gratias, tamen omne regni arbitrium populo reliquit, eligerent ſanè, quem vellent; ſe cum fratre vitâ privatâ contentum fore populus tamen elegit Geiſam.

Inter Regni primas curas fuit, Humilitas. eligere locum Templo Mariano: cúmque hæc colloquij materia eſſet, inter fratres ad Danubij crepidinem ambulantes, cervus ab ijs viſus eſt pluribus luminibus ex apicibus cornuum inſignis: qui poſtquam à fratribus viſus eſt, eóſque viciſſim eſſet intuitus, Danubio ſe præcipiti curſu commiſit, eóque ſuperato videri deſijt. Quamobrem Ladiſlaus rem divinam reputans, *verè, ait, non cervus, ſed Angelus Dei fuit, ſed quid tot fa-* Angelus. *ces in cornibus*, inquit Geiſa? tum ille

ille: *non cornua, ſed alta, & quæ faces ardentes viſa, fulgentes pennæ fuerunt? porro ubi ſubſtitit, & à nobis viſus eſt, locum exſtruendæ monſtravit Eccleſiæ.* Quam mox Geiſa Rex Vngariæ jam inauguratus ædificavit, & magnis theſauris ditavit, ſeptimus, à S. Rege Stephano Rex Vngariæ. Joannes Thomas Marnavivus in vita S. Ladiſlai Regis Vngariæ Romæ Typis vulgata anno. 1630.

CMXLVII.

Imago B. V. Miraculoſa.

AFFLIGEMYENSI.

Affligemij in Germania. I.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *O regalis anima, pura & munda emica.*

1. Bernardus Deiparam ſalutans.
2. Statua Bernardum reſalutans.
3. Populi pietas avita.

STatua hæc Deiparæ à S. Bernardo ſui cultûs originem olim traxit. Appono verba Chryſoſtomi Henriquez in faſciculo Sanctorum Ordinis ſui Ciſtercienſis. Contigit ergo, inquit, S. Abbatem Bernardum, dum in Flandria negotiorum cauſa exiſteret, Affligemienſe Moxaſterium intrare, in quo dum glorioſæ Virginis ſtatuam haud exiguæ magnitudinis conſpexiſſet, eam ſolito pietatis ſuæ officio & affectu prioribus ſalutationis Angelicæ verbis *Ave Maria* ſalutavit. Ave Maria. Tum ecce mirabile dictu, eadem Deiparentis ſtatua eum quoque protinus reſalutavit; dicendo, *Salve Bernarde*, ſtupentibus omnibus, qui aderant. Ex quo tempore non ſolum à Religioſis iſtius Cænobij, ſed & ab alijs omnibus, ad quos fama tanti miraculi pervenit, ſingulari devotione coli vererique cæpit. Hæc ille.

CMXLVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.

AFFLIGEMIENSIS.

Bruxellis in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *O nivea agni Mater Deum iratum placas.*

1. Hæreſis vaſtans templa.
2. Statuæ plures ex una.
3. S. Bernardus miraculoſus.

MOnaſterio Affligemienſi ab Hæreticis deſtructo S. Statua, de qua paulo antè dixi, diſtracta eſt, ſculpta fuit ex candido & molliore lapide arena nigra nonnihil inſperſa longa pedes quinque ligneam eſſe iconoclaſta exiſtimavit & foco aptã, ideo eam ſede ſua dimovit, & caſu confregit. E qua duæ factæ ſunt maiores Deiparæ ſtatuæ, quarum major ſuo loco

eſt

eſt reſtituta, quæ hodiéque in honoribus eſt. Altera verò, de qua hîc loquor, Societatis JESU Templo Bruxellenſi à Priore loci donata eſt, quam in ſummo honore haberi à populo, ſcribit Wikmans l. 3. c. 4. aliunde etiam intellexi, miraculis clarere, quid mirum? Cùm omnia, quæ à S. Bernardo ſunt, miraculo non carent.

Statua.

C M I X L.

Imago B. V. Miraculoſa. AUXILIATRIX. *Oeniponti in Germania Sup.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum
Anagr. *Mater Adæ Agni perimmaculatus unio.*

1. *Colentium B. Virginem commune deſiderium.*
2. *Ambulatio Sabatina.*
3. *Ectipon, & Protothypon miraculoſum.*

VT bene hanc Imaginem miraculoſam Lectori proponam, remittendus eſt ad Imaginem centeſimam nonageſimam quartam, ubi de Beatiſſima Virgine Auxiliatrice, quæ Oeniponti in Parochiali Templo colitur, dixi. Illa, inquam, quamprimùm à Sereniſſimo Archiduce Ferdinãdo è Palatio deportata eſt inter populi plauſus in Templum Parochiale, & publico cultui expoſita ad dextrum ingredientibus latus, ac Sacello venuſtiſſimi operis honorata, quamprimùm tot editis miraculis inclaruit, ut de alia & ampliore ſede cogitatum ſit, non ab uno hominum ordine, ſed à quatuor hominum ordinibus, ſeu ſtatibus, ut vocant: ne nullus eorum vel beneficiorum Deiparæ expers eſſet, vel inter ejus cultores non numeraretur.

Status.

Status hi quatuor, quibus omnis Provincia Tirolenſis conſtat, ſunt Status Clericorum, Nobilium, Civium, agricolarum. Hi quatuor ſtatus collatis multis florenorum millibus, locum elegerunt juſtà ambulatione diſtantem ab Urbe ad celeberrimum fluvium Oenum in amœniſſimo totius vallis proſpectu, ad crepidinem venuſtiſſimi collis, & quod rei caput eſt, & augendæ pietatis ingens incitamentum, propè viam publicam.

Hîc inquam ære publico rotundum cum ſua cupula Templum ſtat, nullo non die à pijs Civibus frequentatiſſimum: in ara Principe optimæ manûs tabula eſt, quam pictor Germanus, Urbis Romanæ Civis pinxit. Imaginem geſtant Angeli, & ipſi venuſtate ſuâ viſendi, infra quatuor viri Epiſcopus, Nobilis Eques, Civis, atque agricola: ſuo quiſque geſtu Imaginem Sanctam venerantur, hoc inquam Templum deſtina- Templum.

tum ei eſt Imagini, quæ tot jam annis in Parochia colitur, variáſque ob cauſas in Urbe retenta, vix unquam in deſtinatum ſibi Templum emigrabit. Interea & illa foris tantarum gratiarum, & clariſſimorum miraculorum fons eſt, ut omnes circum muri tabulis beneficia repręſentantibus ita veſtiti ſint, ut vix locus ſuperventuris ſuperſit, eóque beneficio cœleſti Urbs Oenipontana ſit beata, quod in eadem penè Urbe & Ectypon & Prototypon habeant, utrumque miraculoſum. Vidi locum ipſe, & frequenter magno animi mei ſenſu acceſſi.

Miracula.

CML.

Imago B. V. Miraculoſa. DE COLUMNA. *Viennæ in Germania Sup.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Ea pura in Adamo ter immaculata viget.*

1. Statua in foro.
2. Pietas Ferdinandea.
3. Pietas Leopoldina.

CRedi non poteſt, quantum fiduciȩ Domus Auſtriaca in Virgine Cellenſi hactenus poſuerit, quanta, quámq; grandia in tempore experta ſit auxilia. Hinc mirum non eſt, Ferdinandum III. nuper cęlo, ut ſperamus, receptum, Immaculatȩ Virginis Conceptioni defendendȩ, publico, nec uſitato ritu, Sacramento ſe obſtrinxiſſe. Viennæ in præcipuo foro eximiæ molis columnam, ad imitationem Monacenſis, quam in Bavaria vidit, erigi Deiparæ curavit, Statuámq; imponi. Sed, ne in re nova quidquam ſtatueretur, quod ætatem non ferret, placuit coactis in conſilium Auſtriȩ ordinib⁹, Provinciæ, ac Urbis Senatu, Religioſorum Superioribus, Epiſcopo & Clero, ea, quæ publicum contingerent, & non niſi conſpirantibus capitibus ægrè perennarent, in deliberationis argumentum proponi. Ea verò erant: veniſſe ſibi in mentem, diu amatam, & privato ſemper honore cultam Immaculatam Virginis Conceptionem, in publicam etiam venerationem proponere. Hanc in rem erectam à ſe columnam, quæ Virginis Statuam ſuſtineret, quam etiam ſolenni ritu ab Epiſcopo velit dedicatam. Velint proinde, jubeántque, diem Decembris Octavam Immaculatæ Conceptioni ſacram, non ſolùm feſto ritu à ſtatibus, ac univerſo populo celebrari, quòd jam pridem glorioſiſſimæ memoriæ parens Ferdinandus Secundus decreviſſet; ſed pridiano etiam jejunio coli, ac omnium Voto Auſtriæ Patronam dici. Neque difficile fuit impetrare ab ijs aſſenſum, quibus exemplum Principis eſt Imperium. Proni iverunt omnes in ſen-

ſententiam, in quam prævivit Imperator. Dicitur ergo Dedicationi dies decimaoctava Maij anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſeptimo, quæ, ubi illuxit, univerſam prope civitatem ad pietatis obſequia excitavit. Convenerant ſub horam octavam matutinam, Cæſaris non tam Imperio, quàm exemplo provocati Sereniſſimi Archiduces Filij, Ferdinandus IV. tunc Bohemiæ, ac menſe pòſt Vngariæ Rex ſolennibus comitijs inauguratus (qui non multò pòſt, inter totius Imperij applauſus, Romanorum Rex Ratisbonæ coronatus, denique innocentiam ſuam cœlo inferens, toti Imperio luctum intulit) Sereniſſima Maria Anna nunc Regina Hiſpaniarum; Sedis Apoſtolicæ, Catholici Regis, ac Reipublicę Venetæ Legati, Aula Cæſarea, ac Regia, Reginæq; Gynecęum, & omnis ſummi medíí que nominis nobilitas, religioſi Ordines, omnis hominum conditio, ordo, ſtatus, & ſexus, ad ſacras Ædes RR. PP. Diſcalceatorum S. Auguſtini, Aulæ Cæſareæ continentes; quas cùm confluentium multitudo feciſſet anguſtiores, effuſus in plateas populus innumerus, vias ipſas & fora arctabat, gaudebàtque, vel ſic in pietatis partem venire. Exinde ergo per inſtratas æquali ponte vias, non minùs modeſto, & ad pietatem compoſito, quàm Auguſtâ Majeſtate verendo ordine, proceſſum eſt ad Templum RR. PP. Societatis JESU Profeſſorum, in ſummo foro ſitum: ubi, ad quietem compoſito ſubeuntium ſtrepitu, R. P. Jo: Gans è Societate JESU Sacræ Theologiæ Doctor, & Sacrę Cęſareę Majeſtatis Confeſſarius, ad ſtipatiſſimā concionem eā facūdiæ ubertate de laudibus ſine macula Conceptę Virginis præſentíq; ejus in rebus calamitoſiſſimis patrocinio dixit, quàm vehemens animorum motus, ac certa omnino in auditorum pectoribus impetrandę per ejuſdem auxilium tranquillitatis ſpes conſequeretur. Dictionem excepit ſacra ad ſummam aram Liturgia, faciente ad Cæſareos ſymphoniacorum choros Illuſtriſſimo ac Reverendiſs. Principe Philippo Friderico, Epiſcopo Viennenſi. Jámq; ad eam partem deductum erat ſacrificium, quæ pacis oſculum præſenti Principi per Subdiaconum deferri conſuevit; cùm Auguſtiſſimus ipſe Imperator, diſſimulatâ Majeſtate, toto oris corporíſq; habitu ad pietatem æquè, ac demiſſionem compoſito, in publicum egreſſus ad cancellos ſummæ aræ, ad quam ſolennis pompa agebatur, conſtitit, & in genua provolutus manſit, donec ſacra Hoſtia à ſacrificante Antiſtite abſumeretur. Tum verò poſito gladio in manu Illuſtriſſimi Comitis Joannis Rudolphi à Puechaim, intimi ſui Conſiliarij, ac ſupremi Camerarij, intra ipſos cancellos progreſſus, obviam habuit cùm Clero conſcientiæ ſuæ arbitrum Reverendum P. Joannem Gans, qui impoſitam Evangeliorum libro Voti formulam tenebat. Immolans autem Pontifex ad

proſtratum Cæſarem converſus latentem in Euchariſtia DEVM, cui votum ediceretur, proponebat. Tum voce, quæ à circumſtante populo facilè exaudiretur, votum auſpicatus eſt Cæſar, in hæc verba:

Omnipotens ſempiterne DEVS, per quem Reges regnant, in cujus manu ſunt omnium poteſtates, & omnium jura regnorum: Ego Ferdinandus coram divina tua Majeſtate humiliter proſtratus, meo, meorúmque ſucceſſorum & inclytæ hujus Provinciæ Auſtriæ nomine, Immaculatam Filij tui Matrem, ſemper Virginē MARIAM, hodie in peculiarem Dominam, & Patronam huius Archiducatus invoco, & aſſumo. Inſuper voveo, ac promitto, ejuſdem Immaculatæ Conceptionis feſtum, quod cadit in diem octavum Decembris, in hac Provincia etiam jejunio, ejuſdem pervigilio celebrandum. Te deprecor, ſupreme cæli terræq; Imperator, qui, quod Matri tuæ impenditur, tibi impenſum reputas, Votum hoc meum, quod ſuggerere clementer dignatus es, benigno favore proſequere; atq; ad protegendum me, domum meā, populóſque mihi ſubjectos, dexteram tuæ Majeſtatis extende, Amē. Die 18. Maij anno 1647. in Eccleſia domus profeſſæ Soc. IESV, ante aram ſummam in manus Principis & Epiſcopi Viennenſis Philippi Friderici.

Exactum jam erat ſacrificium, ſed necdum pietatis officia finita; placuit enim Auguſto poſt adoratum DEVM, ſecunda religionis obſequia in ejus abſque maculâ Conceptam Matrem conferre. Aſſumptâ ergo in pietatis conſortiū utrâque Sereniſſimâ prole, Vngariæ, Bohemiæque Rege Ferdinando, ac Hiſpaniarum regis Sponſâ Mariâ Annâ, comitante Epiſcopo, & Clero univerſo, de anguſtis Eccleſiæ parietibus in forī patulum ad erectum ſine maculâ Conceptæ Virginis tropæum accedit Imperator. Effunduntur ſimul Religioſi Ordines omnes populíque multitudo conferta. Accedit vicinior ſtatuæ ſacrorum Pontifex, & conceptis eandem verbis, ac ſolito ritu DEI, Immaculatæq; Virginis Matris honori conſecrat, dedicátque. Inſecutus eſt ſynphoniacorum omnium, è tota urbe collectorum, & in plures, qua vocum, qua inſtrumentorum muſicorum, ac etiam tubarum militarium, ac tympanorum choros diviſorum plauſus: qui, cùm Lauretanam elogiorum ſeriem Auguſtiſſimæ Matri cantarent, ſingularem in populo pietatis ardorem, certámque præſidij fiduciam excitārunt. Aſcenderat jam non tam ſuo, quàm pietatis calore fervidior dies in meridianam ſtationem, cùm dimiſsâ matutinâ Imperatoris, veſpertinam cœpit Imperatrix Eleonora ſolennitatem meditari. Iuſſit enimverò poſt ſolis occaſum ita forum omne illuſtrari, ut nulla circum pateret feneſtra, quæ non geminato luminari illuſtrata Auguſtiſſimæ familiæ inſignia illuſtraret.

Cancellos deinde, qui Coloſſum ambiunt, totidem reſplendere lampadibus, quot ipſi columellis aſſurgunt: ac demum penſilibus lucernis in vaſtæ magnitudinis coronam, aut plenam iridem elegan-

ter

ter ductis ſtatuam ipſam redimiri. Valuit ea quidem res ad amænum oculorum ſpectaculum, ad quod plebs omnis, omníſque civitas effundebatur; ſed vel maximè ad incendenda novæ pietatis officia, ad quæ meritò Auguſtiſſimus ipſe Ferdinandus III. Auguſta Eleonora, Rex Bohemiæ Ferdinandus, ac Hiſpaniarum ſponſa Regina Maria Anna, obductis jam cælo tenebris, Majeſtatis ſuæ lucem conferrent. Tenuit ea pompa in alteram noctis horam, neque priùs ſpectatorem dimiſit, quàm poſt imploratum melico concentu per auguſtiſſimos Virginis titulos cæli præſidium, impertita, Pontificis, manu, ac voce, benedictio populum ſignâſſet. Sic terminatus eſt dies ille, perpetuâ apud poſteros luce radiaturus; quo Auguſtiſſimus Ferdinandus Immaculatè Conceptæ Virginis imaginem populorum Religioni propoſuit, ipſæ ſecuturæ poſteritati pietatis exemplar proponendus. At verò, ne uno die nata, denaſceretur ſequentibus veneratio; placuit Sacratiſſimo Cæſari de pietatis conſulto imperare, ut occidentis hebdomadæ veſper, hoc eſt, Sabbathi crepuſculum, decantato Lauretanæ Virginis encomiorum ſyllabo, & dictis per ſacerdotem de B. Virginis Immaculata Conceptione, pro Imperatore, & pro pace, orationibus, celebretur. Atque, ut juſſum promoveret liberalitate, ſtatuit æterna fundatione eam pecuniæ ſummam, quæ in ſplendidum muſices apparatum ſufficere poſſit. Hoc ita in perpetuum ritè ſanctéque ſtabilito, ſub veſpertinum ſabbathi crepuſculum, poſt datum diuturniorem campani æris pulſum, magna ſemper plebis, civium, mediæ ſummæque nobilitatis multitudo in forum congregatur, & dum Lauretanis ſalutatur Immaculata Virgo elogijs, in genua provoluta ſuas publicaſque rei neceſſitates deprecatur. Accedunt & pervigilia, feſtíque omnes Auguſtiſſimæ Virginis dies, quibus ſanctiùs finiendis eadem ſemper celebritate convenitur. Auſpicium his datum eſt ipſo Viſentis Eliſabetham Virginis feſto die, quo Auguſtæ Eleonoræ pio voto ac deſiderio obſecutæ omnes urbis Sodalitates partito cultu ſibi octiduum totum unà cum pervigilio piè obeundum diviſêre. Ipſa Auguſta totius celebritatis principiũ pridie feſti præſens honoravit, quando ſex Congregationes in domo Profeſſa Patrum Societatis JESU inſtitutæ, quæ ex proceribus Auſtriacis, civibus Viennenſibus opificibus Germanis, Tyronibus Mechanicarum artium, ac Italis coaluerunt, diem ſeptimam conſueta cærimonia Virgini ſolennem fecêre.

Porrò hanc Epigraphen Columnæ inſcribi Cæſar voluit.

D. O. M.
Supremo Cæli terræq; Imperatori,
Per quem Reges regnant.
VIRGINI DEIPARÆ
Sine maculâ Conceptæ,
Per quam principes Imperant
In peculiarem Dominam
Auſtriæ Patronam
Singulari pietate ſuſceptam
SE LIBEROS.
Populos, Exercitus, Provincias,
Omnia denique,
Confidit Donat Conſecrat.

Et
STATVAM HANC
EX VOTO PONIT.
FERNANDVS AVGVSTVS.

Ferdinandi III. glorioſiſſimæ memoriæ Parentis non tantum Majeſtatis ſed & pietatis hæres Leopoldus, & à prima Infantia Deiparæ addictiſſimus, inter primas ſuſcepti Imperij curas, numeravit augmentum honoris Mariani. Quapropter veſtigijs Auguſtiſſimi Parentis inſiſtens, ante omnia ad hanc Deiparæ ſtatuam, columnæ inſiſtentem, reſpexit & Regiè ſic adornavit, ut inquilinis pietatem, advenis unà cum pietate etjam admirationem moveat. Ita paſſim leguntur inſcriptiones quæ Auguſtiſſimi Leopoldi affectum in Virginem publicè teſtantur. Harum porrò inſcriptionum præcipua eſt. Leopoldus

Rom. Imp. ſemper Auguſtus
Statuam hanc
Honori
VIRGINIS
Sine maculâ conceptæ
Ab Auguſto Parente ſuo
Erectam
Pretio auxit,
Et
Immortalitate donavit
Nam
Quam Lapideam invenit
Auſtriaca pietate & voto
æream fecit
Et
Æternam
Ut cuius Beneficio
Coronas, Victorias, Pacem,
Et
Succeſſionem accepit,
Eidem
Hæc omnia, ac
Seipſum
Debere teſtaretur,
M. DC. LXVII. die VIII. Dec.

Reſpexit Deipara Viennam & à peſte hactenus liberam tenuit, reſpexit quoque tanti nominis Imperatorem tantæque pietatis Auctorem. Teſtati ſunt teſtes tres, (& ſi teſtimonium inimici duplex eſt ſex) omni exceptione majores, voce elatâ, & ſanguine in conſpectu populi effuſo, curæ filio Virginis fuiſſe ſacrum Leopoldi caput & vitam.

Teſtantur populi, in veneratione eſſe eius Imperia. Teſtatur Eccleſia Catholica eius fidem, & in fide promovenda fortitudinem. Teſtatur Turca, pace petitâ, confirmata, & ſervatâ, malle ſe Leopoldum pacificum, quam belliコſum, quem quia revereri non vult, vereri debet. Nempe omnia hæc Deus habere Leopoldum voluit ex D. Bernardi ſententia per Mariam. Ipſe ego hoc opus à tot centenis Patribus Societatis probatum, juſſu duorum A. RR. PP. Generalium à tribus RR. PP. Provincialibus approbatum ſuæ Majeſtati dedicaſſem, niſi id B. V. Lauretanæ ante plurimos Annos ex voto præſtitiſſem.

Placet ſubjūgere orationē honorandæ Immaculatæ Conceptioni compoſitam, quam A. R. P. Hipp. Marraccius in Pontificibus Marianis cap. 72. Sixto IV. adſcribit, aitque, ab ijs undecim millia annorum Indulg. obtineri, qui eam in gratia conſtituti piè recitant, ex ejuſdem Sixti IV. conceſſione. Sic autem habet. Ave

Ave Sanctiſſima MARIA Mater DEI Regina cœli, Porta paradiſi, Domina mundi: tu es ſingularis Virgo puriſſima: TU CONCEPTA SINE PECCATO ORIGINALI, & ideo Immaculatiſſima: tu ſine macula concepiſti IESUM Salvatorem: Tu fuiſti veriſſimè ante partum, in partu, & poſt partum inviolata, & illibata. Fac, me tuis ſanctis precibus purè, piè, & ſanctè vivere, & ora pro nobis IESUM Filium tuum dilectum, & poſt mortem me ſuſcipe: ab omnibus malis mentis, & corporis libera me, & alios fac me liberare, opera miſericordiæ acquirere, & in gloria Paradiſi in æternum tecum gaudere. Amen.

CMLI.

Imago B. V. Miraculoſa. DE GAUDIO.

Alicubi in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Tu amanda jam cælum nites ergo pura.*

1. Antiquorum fidelis ſimplicitas.

2. Oratio in tranſitu.

3. Gaudia B. Virginis Mariæ.

SÆpiús memoravi, fidem hiſtoricis Antiquis non negandam, quòd temporis loci & perſonarum mentionem non fecerint. Genius illorum temporum ſincerus ita tulit, ut qui ſcriberent viri pij, mentiri nec vellent nec crederentur. Eos inter eſt B. Petrus Damianus vir omni exceptione major qui lib. 3. c. 10. refert memorandum Deiparæ favorem. Monachus fuit, qui in Templo ſui Cœnobij Statuam Deiparæ impensè coluit. Cultus verò totius hæc ratio fuit, ut nunquam præteriret, quin Deiparam in hac S. Statua ſalutaret.

Juvat ipſa verba brevis colloquij adjungere, ſi forte imitatorem quempiam reperiant ad ſimilia obſequia propenſum. *Gaude,* inquieba *Dei genetrix Virgo Immaculata! gaude, quæ gaudium ab Angelo ſuſcepiſti! gaude, quæ genuiſti æterni luminis Claritatem! gaude Mater gaude S. Dei genitrix Virgo! tu ſola Mater innupta. Te laudat omnis factura, Genitrix lucis intercede pro nobis.* Salutatio.

Audijt hæc frequenter Virgo, & auditum ſe pius precator credidit: ſed ut fit, non ſcivit, dum aliquando eadem verba dicendo prætetiens, audiret hanc è Statua vocẽ: *gaudium mihi annunciâſti gaudiũ tibi eveniet.* Qua perfuſus ac delibutus ſit cæleſti lætitia horum verborum perattentus auditor, ij ſoli capere poſsũt, qui ſimilia expertiſunt; reliquum vulgus nec credere. Altare illud poſtea majore in cultu habitum fuiſſe, dubitare non ſinit antiquorum in Virginem pietas. Gaudium

Et quia Deiparæ tam gratum eſt, ſi ei gaudia ſua revocentur in memoriam, non ingratum erit lectori, ſi memoriam Gaudiorum B. V. ijs rytmis apponam, quibus eos comprehendiſſe traditur S. Thomas, Cantuarienſis Epiſcopus, B. Virgini apprime Charus.

Gau-

Gaude Virgo Mater Chriſti,
Quæ per aurem concepiſti
Gabriele nuncio.
Gaude, quia Deo plena
Peperiſti ſine pœna,
Cum pudoris lilio.
Gaude, quia Magi bona
Tuo nato ferunt dona,
Quem tenes in gremio.
Gaude, quia juxta legem
Obtuliſti mundi Regem
In templi ſacrario.

Gaude, quia tui nati,
Quem dolebas mortem pati,
Fulget reſurrectio.
Gaude Chriſto aſcendente,
Qui in cælos te vidente
Motu fertur proprio.
Gaude Virgo, quia miſit
Paraclerum, quem promiſit
Sanctorum Collegio.
Gaude, quæ poſt ipſum ſcandis,
Et eſt honor tibi grandis
In Cæli Palatio.

C M L I I.

Imago B. V. Miraculoſa.

L A U R E T A N A.

Madriti in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Cælum aperuiſti ergo: animata munda.*

1. Multorum votum; paucorum ſpes.
2. Benedictio S. Pontificis potens.
3. Pietas laborioſa.

INſolitum aliquid habet hæc Deiparæ ſtatua, quia mirabile conſecuta eſt iter. Madriti à ſculptore facta eſt ad omnes menſuras ejus, quam veneramur Laureti in Nazaretana Deiparæ domo. Iam deſtinata erat templo; cui adjacet domus puellarum orphanarum. Miraculis ut clara fieret, optabant omnes: ſperabant pauci: cùm Frater Ioannes Garzia de IESV Franciſcanus Laicus, *fallor*, inquit, *aut ego hanc Virginis ſtatuam facio Miraculoſam. Romam vado, & ſuavi pondere humeros onerabo, ac* Peregrinatio. *ipſi ſummo Pontifici offeram, ut eam benedictione ſua ſanctificet, ſanctam ego reportabo: reportatam populus colet: culta Virgo Cultores reſpiciet, & miraculoſa dabit beneficia.*

Viſus eſt bene loqui Frater Ioannes, data ei ſtatua eſt, quam ille ubi per terram iter eſt, in jectam humeris portavit. Romam ventum eſt, ubi cùm ille de obtinenda apud Pontificem audientia, quę per multas ambages quandoque fruſtra quæritur, deſperaret, eam diem venatus eſt, qua Pontifex Sixtus V. in Baſilicâ S. Mariæ Majoris Pontificia ſolennitate S. Miſſæ Officium celebraturus erat. Sacro finito cùm Pontifex ſublimis in throno ſpectaretur per gladiatos & haſtatos, per loricatos & cataphractos ſatellites, non ſine admiratione aſtantium irrumpens monachus, & ad ipſum Pontificem penetrans, S. Statuam elatis brachijs ſuſtulit, & faſſus breviter, ſe ab ultima uſque Hiſpania eam attuliſſe, etiam illuc reportaturum, ſi ſanctiſſimus benedictionem Apoſtolicam ei priùs impertiviſſet.

Fidem miratus Pontifex conſue- Benedictio.

to

to more magno amici ſui ſenſu ſacro ligno benedixit fratrémque conſolatum dimiſit. Ita ille redux in Hiſpaniam, in Templo Orphanarum Virginum Statuam depoſuit, quæ quamprimùm miraculis inclaruit. Tantum fides valet Fidelium, ſi Pontificis benedictio accedat, & quia de Summi Pontificis benedictione & fide Fidelium mentio facta eſt, in mentem mihi venit Arnulphus Dux Bavariæ, qui nullo exemplo nulloque imitatore fide ſuâ ſi non Montes, certè Filium ſuum per Montes tranſtulit, & ab uſque Ratiſpona Ducali ſua reſidentiâ ad ipſam uſq; Romam deduxit, conveniente, non tamen maximo comitatu virorum mulierúmque ſalvúmque ac ſanum per tam aſperas vias Romæ Summo Pontifici obtulit baptizandum.

Benedictio.

Infantem Summus Pontifex ſummâ ſolennitate Baptiſmo abluit, fidem tanti Ducis miratus, iterúmque ſalvum ſanúmque faventibus tantæ Fidei Superis reduxit, tantæ in Sedem Petri Reverentiæ exemplum non habuit Arnulphus, ſed nec Imitatorem: merces in hac vita fuit Imperium. Qintana l.5.cap.6. de Imagine Lauretana, de Arnulpho Reverendus Pater Andreas Brunnerus in Hiſt. Bavarica. Hæc fuit olim in Urbe Ratiſponenſi Summi Capitis æſtimatio, cui fuit & etiamnum eſt pro ſigillo Sanctus Petrus in Throno Pontificio ſedens, tenénſque claves.

Inſignia.

CMLIII.

Imago B. V. Miraculoſa. HAMEKANA.

Mechliniæ in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Age caſta, altum mare, invium prædoni.*

1. *Statua Beatiſſimæ Virginis ſiſtit Navem.*
2. *Cultus ſpontaneus placet.*
3. *E Sacello Templum.*

Magna olim in veneratione fuit, atque etiamnum eſt miraculoſa Deiparæ Statua *Hamekana* propè Mechliniam, ad ripam fluminis *Senne* Huc appulſa olim Navis, ita littori adhæſit, ut nulla vi dimoveri poſſet; non illam funes, aut eminens quodpiam è fundo ſaxum remorabatur; nec tamen aut vento, aut remis promoveri poterat, divinam eſſe remoram nemo non vidit. Credebatur vehere navis aut ſacrum quid, aut profanum, quod navim ſiſteret: ſed inter ejectas merces atque etiam navis retrimenta nihil repertum eſt, ſtante ſemper immota cimba; dum curioſior quiſpiam in fruteto proximo, exiguam Deiparæ Statuam conſpexit.

Navis.

Sacellum.

Probiores quique & in Virginis cultum proni, quamprimùm

è ſaliceto erigunt tuguriolum, quod Sacellum appellare placuit, quanquam adhuc nil haberet ſacro loco ſimile, & quantum locus tempúſque ferebant, coluêre. Placuiſſe Virgini non imperatas preces, cultúmq; extemporaneum, indicavit navis moveri ſponte cœpta, à nullo
Miracula amplius retenta termino. Paulò pôſt accepta à Virgine prima beneficia, è tugurio ligneo fecêre Sacellum lapideum; dum Mercator quiſpiam Antuerpienſis receptâ hîc ſanitate, Sacellum hoc diffracto frontiſpicij muro Chorum vocari juſſit, & muris duobus altaribus capacibus ad latera diductis Navem juſti Templi ad plurimos paſſus produxit, & frontiſpicio ad artis regulas facto clauſit.

Wikmannus.
l.2.

CMLIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
MAZANGANA SOC. IESU.
Mazangani in India.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plenâ; Dominus tecum.
Anagr. *O alti via munda argenteum pacis mare*

1. Exercitus Xerxiano major.
2. Theſſera belli Maria.
3. Tela in hoſtem regrediuntur.

Rex Angolæ anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo tertio Luſitanis bellum obtulit ſanè terrificum: exercitum quippe eduxit, qui duodecies centenis millib⁹ hominum conſtabat, Xerxiano exercitu majorem ſi Auctori Balthaſaro Tellez, l.2. Chronic. Luſit. l.6. credimus, atque ut de numero hoſtium non diſputem, cæterorum, quæ ſequuntur, rerum teſtes omni exceptione majores fuêre Reverendus Pater Hieronymus Vogadus Prępoſitus Provincialis, & Reverendus Pater Balthaſar Barreyra Societatis JE-
Exercitus. SU, qui tres & viginti annos in Angolæ Regno propagandæ Fidei impenderant.

Videbatur Barbarus nullo negotio deleturus cohortes Luſitanas; trecentorum numerum non excedentes, & hinc flumine Coanza inde hoſtibus coërcitas, terrebant noſtrorum oculos ſtrati ampliſſimi Campi ferociſſimis Barbaris aures inconditus; & propter ambientes Montes multiplicatus clamor, ſolus terrendis populis ſufficiens, verùm Voto facto ad Beatiſſimam Virginem Mazanganam Pater Balthaſar Barreyra, victoriam reportandam Luſitanorum Duci Paulo Diaz aſſeveranter ſpopondit, affuturam Deiparam prælio Religionis cauſâ ſuſcepto, maximè cùm feſtum Purificationis immineret. Preces. Ita animatis Luſitanis ſolis, ſine Chriſtianorum regulorum auxiliaribus copijs pugnandum erat: hos enim deſperatio victoriæ domi continebat.

Unus eorum Paulus cum ſuorum quinquaginta millibus adfuit, qui certam Chriſtianis victoriam aſſerebat. Dato ſigno noſtri prælium auſpicantur, Patre Balthaſare coràm omnibus preces Deo & B. Virgini fundente elatis ad Cælum manibus. Antecedebat omnes Dux Paulus Diaz, nomen Mariæ inclamans, quem ſui cordatiſſimis vocibus ſecuti ſunt Primus telorum nimbus nullo è Chriſtianis læſo ſuperatus eſt; quin tela in hoſtem miro modo regeſta ſunt, non exigua eorum clade.

Sagittæ.

Credebatur jam obtenta Victoria, cùm Barbari occiſis ſeptem Luſitanis iterum ad preces coëgerunt Patrem Balthaſarum, is Virginem elatis manibus effuſiſque lachrimis rogat, dignetur dare integrum beneficium. Cùm ecce panicus inter hoſtes timor exoritur, vertítque & ſubvertit totam aciem: proprijs ſe armis ad fugam promoturi à fuga retraxerunt, & in cumulos collecta cadavera omnes fugientibus viam clauſère.

Timor.

Memorant, per tenebras profundiſſimam foveam fugientib' ita repletam fuiſſe, ut ſequentib' planum ac tutum iter præberetur. Omnes Deiparæ Mazanganæ, quam poſthac appellàrunt *de Victoria* gratias egère, & P. Balthaſarum velut alterum Moyſen venerati ſunt. Mazangani, ait Auctor, celebratur in hodiernum uſque diem tanti prodigij memoria ſingulis annis, feſto Purificationis B. Virginis, quo die hæc Victoria obtenta eſt.

C M L V.

Imago B. V. Miraculoſa.

D E H O Y A.

Hoyæ in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *O Agna, at nivea Templum, Sacrarium Dei.*

1. Duo contra quinque.

2. Religioſus miles.

3. Ictus tormenti felix.

HAbuit hæc S. Deiparæ Imago jam dudùm ſuos honores, neq; originem indagare potui. Colunt eam, & cultum ejus ſingulariter promovent RR. Patres Benedictini eo in Cœnobio, quod Hoya vocatur, & ad litus Gallecianum jam olim ædificatum eſt.

Cultus ille, quem dixi, ingens incrementum accepit, cùm ætate noſtrâ duæ Naves Chriſtianæ à quinq; Turcicis infeſtatæ ad litus Gallecianum confugerunt: interea è Religioſis unus in nomine Beatiſſimæ Virginis de Hoya tormento curuli dedit ignem, & unam è Turcicis navibus ſubmerſit: unde territæ reliquæ fugâ ſibi conſuluerunt, ut tradit Joſephus Pellicerius in ſua relatione impreſſa. Hinc aucta pietas.

Tormentum.

C M L V I.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE VICTORIA.

Ingolſtadij in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Cæli margaritum pates, ô munda navi.*

1. Pugna Navalis ad Neupactum.
2. Nuncij mali bonus effectus.
3. B.V. mirandum auxilium.

CIvica B. V. Congregatio præclarum habet oratorium, multis Templis præferendum, cui titulus de victoria, & à Templi titulo etiam titulum habet ipſa civium numeroſa Sodalitas, quæ totam ferè Vrbem complectitur, ita quidem, ut & fœminæ albo Sodalium inſcribantur, atque oratoriū ſeu Templum, cùm voluerint, frequentent; nunquam tamen Congregationis conventibus interſint. Templum hoc cum ſuâ Congregatione erectum eſt, illius victoriæ occaſione, quam anno 1571. Joannes Auſtriacus ad Naupactum de Turcis obtinuit. Huic Templo tantum B. V. beneficium aſſigno, quia nullum in Orbe ſcio, in quo hoc Deiparæ beneficium frequentiùs memoretur. Non ignoro feſtum annuum S. Mariæ de victoria celebrari, at ubi ſanctiſſimi Roſarij Congregatio locum habet, quod & Ingolſtadij ab hac Congregatione tanta ſolennitate peragitur, quanta nullum aliud feſtum. Si porrò Communicantium numerū ſpectes, Paſcha videbitur, ita rari ſunt etiam ex ijs, qui Congregationi non ſunt inſcripti, qui Dominica illa Octobris SS. Euchariſtiæ Sacramentum non acci- (Communio.) piant, quia ergo pro tanto beneficio nulla ratione à me omittendo, Templum aliquorum certum & unum aſſignare debeo, hoc cum bona venia lectoris Aſſigno, quod ad hujus pugnæ memoriam & gratiarum actionem cum ſua Congregatione erectum figuram prælij in Altari ſummo habet, & frequenter per Annum ejus mentionem facit; ut ſciatur quomodo Deipara ſole id eſt ſtatu Eccleſiaſtico amicta & corona duodecim ſtellarum ſeu Regum Chriſtianorū Coronata, Lunam id eſt Turcam ſub pedibus habeat. Itaque.

Anno 1569. Turca pactus eſt Inducias cum Venetis, (Turca.) pacem hanc ſecuta eſt ingens Venetorum Calamitas, quando Arſenale ſeu Nauticum Armamentarium totum, ſive injuriâ, ſive incuriâ Conflagravit. Italiam quoque totam dira fames tantùm non omnem exhauſit. Eam ob rem non parùm indoluit Turca. Italiam ſibi his inducijs eripi, quæ ſua jam eſſet, commeatu & armis deſtituta. Itaque rumpendi fœderis cauſas quærens, Iura neſcio quæ ad Regnum Cypri obtendit, bellúmque Venetis miſſo Cubare indicit. Imperterritè (Legatio.) à Venetis reſponſum Legato eſt, ſe fidem ſemper coluiſſe, multa paſſos, non paucas occaſiones pacis amore omiſiſſe, liminibus non ex-

eſſe, Cyprum octoginta annis pacatè & jure poſſediſſe: defenſuros annis, quam fœdere non poſſent tueri pacem. Hæc Veneti Legato.

Tum Michaelem Surrianum mittunt ad Pium V. Pontificem auxilia petiturum, quæ Pontifex abundè promiſit, gaudens adeſſe occaſionem terræ ſanctæ recuperandæ: mittitque quamprimum Ludovicum de Torres ad Philippum II. in Hiſpania, is quinquaginta triremes duce Joanne Andrea Auria ad nutum Pontifici offert, eique ſubijcit. Commeatum porrò è ſicilia & Regno Neapolitano ſubminiſtrat. Pio V. erant triremes duodecim, quibus Marcus Antonius columna præfuit, ſolenniter ad hanc expeditionem in Capella Pontificia Vaticana inauguratus, accepto de manu Pontificis vexillo rubro, in quo Chriſtus crucifixus ex una, ex altera parte duo principes Apoſtolorum Phrygio opere viſebantur, cum Epigraphe. *In hoc ſigno vinces.*

Pontifex.

Interea Ludovicus Torres etiã à Sebaſtiano Rege Luſitaniæ Pontificis nomine auxila poſtulat, à quo in præſentiarum quidem nihil obtinet, propter peſtem, quæ Vlyſipponem affligebat; Cæterum anno ſequenti quinquaginta magna navigia ad bellum inſtructa Regia fide ſpondet. Interea tretenſem portum ingreſſæ ſunt anno 1570. Navium noſtrarum non paucæ, onerariæ undecim Galeacæ duodecim, Triremes centum octoginta.

[illegible]

Libeat intueri, quid Romæ, quid in caſtris, quid per omnem Orbem Chriſtianum, quid apud Turcas actum ſit, Romæ ſolicitus Pontifex ad omnes Orbis Chriſtiani principes petitum auxilia legatos miſit omnes promiſere præter tres, qui inducias cum Turca pactas rumpi non poſſe obtenderunt. In caſtris diſſidium inter Auriam Hiſpanæ Claſſis Chiliarchum & Columnam Pontificiæ, cui Auria nec ſemper, nec in omnibus ſubeſſe voluit. Reliquum orbem totum terror ingens occupavit, & ad preces coëgit non perfunctoriè fundendas, præſertim Deiparæ Virgini, in qua omnis ſpes ſalutis publicæ erat.

Diſſidia.

Interea dum Chriſtiani inter lites conſultant, Turca Capit Nicoſiam Cypri Vrbem præcipuam & Pragadinum nonagenarium Nobilem Venetum Vrbis defenſorem Vivum in foro excoriari jubet, tumidus potentia ſua, ut qui jam trecenta omnis generis navigia haberet in Mari, nuſpiam adhuc comparente vel uno Chriſtianorum Navigio: quanquam nec apud nos feriatum eſt. Sexaginta millia ſcutorum in menſes ſingulos decreta, è quibus triginta millia ſpopondit Pontifex, reliquam ſummam confecere Hiſpanus cũ Venetis, quanquam plus pecuniæ Hiſpanus contribuebat.

[illegible]

Sed difficilior quæſtio erat de Duce totius Claſſis. Hiſpanus è ſuis unum objecit, tum quia plus Venetis contribuebat, tum etiam in mercedem Societatis initæ, ut quẽ nulla ad id neceſſitas coëgiſſet. Contra Chiliarchum Venetum optavit reſpublica. Veneti, inquiebant, illo in mari peritiam habente

[illegible]

Venetorum naves numero ſuperant Pontificias & Hiſpanas; Venetis denique indictum bellum eſt, & Venetorum res agitur. Pontifex neminem è ſuis obtruſit. Volentibus, ut tres eſſent ſummi duces, obſtitit, & Emmanuelem Philibertum Sabaudiæ ducem propoſuit. Recuſarunt Hiſpani, ne Vicinus aucta potentia fieret moleſtus Hiſpaniæ: recuſarunt eum & Veneti; ne forte ſibi potiùs quam Venetis bellaret, & jure ſuo, quod habet, uteretur in Regno Cypri. Conſenſere in Joannem Caroli Imperatoris Filium, nec Hiſpano, nec Venetis aut gravem, aut metuendum, ea Conditione, ut tres in concilium ſemper vocaret, & duorum Votum ſequeretur. Dum hæc bene Conſultantur à Chriſtianis, & tres trium Claſſium duces eliguntur Columna, Auria, Venerius, & horum caput Ioannes Auſtriacus, Turca Metropolim Regni Famaguſtam capit, & quindecim millia hominum abducit in Captivitatem.

Ioan. Auſtriacus.

Famaguſta.

Circa finem Auguſti 1571. venit Genuam ex Hiſpania Ioannes Auſtriacus cum quadraginta triremibus, acceptaque ex urbe Pontificia benedictione Meſſinam navigat, ubi eum cæteri duces expectabant. ubi exploratores retulere Turcam habere triremes decē ſupra centum, & biremes centum nonaginta. Sed fefellerunt, atque etiam ipſi falſi ſunt exploratores; etenim ut poſtea compertum eſt, habuit Turca tunc biremes triginta, quinque, triremes ducentas viginti quinque, minores plurimas, præter parvas innumeras.

Claſſis.

Pontifex tempori conſulens, mittit Meſſinam Joannem Paulum Adeſcalcum, qui Ducibus perſuaderet, ut pugnam quærerent; victoriam fore Chriſtianorum, tum etiam ut ſacerdotes adeſſent exercitui magno numero; cera inſuper benedicta & roſaria inter milites diſtribua. Duces demum monuit licentiam vitiorum ne indulgerent militibus. Fuere in Conſilio, qui cunctandum eſſe judicarent; Cæteri verbum Pontificis pro Imperio & bono ſuſceperunt omine, & pugnam decrevere.

Sacra

Notatu dignum eſt, triduum illud, quod feſtum Nativitatis Deiparæ præceſſit, Promulgatæ ſunt Exercitui Indulgentiæ plenariæ, depoſitæ militum ſimultates, diſtributi Benedicti à Pontifice Cerei & coronæ precatoriæ. Nemo in toto exercitu fuit qui hoc triduo peccata ſua non confiteretur, & SacroSanctam Euchariſtiam non ſuſciperet. Hoc enim vero eſt ſe ad pugnam præparare. Ita poſtridie ad naves itum eſt, ubi nemo aut ludo aut otio intentus fuit, nemo impunè blaſphemavit. Duo blaſphemi ex antennis ſuſpenſi ſuffecere reliquis ad Exemplum.

Pœnit.

Priuſquam de loco pugnæ & ipſa pugna memorem, Chriſtiani exercitus robur propono. Triremes omnino fuerunt novem ſupra ducentas è quibus Pontificis fuere duodecim, Hiſpani Regis una ſupra octoginta, Sabaudi duæ, Genuenſium tres Venetorum octo ſupra centum.

Claſſis.

Præ-

Præter has habuere Veneti Galeacias ſex oneraria navigia viginti quatuor, Celoces ſeptuaginta univerſim naves novem ſupra trecentas.

Non ſine ſingulari diſpoſitione Dei fuit, quòd noſtri vires Turcarum ignorârint: non credebatur multum ultra ducenta omnis generis navigia habere: habebat autem ille jam aucto in dies navium numero, Triremes non multò pauciores trecentis, minorum navium nunquam initus eſt numerus. Si de loco quæritur, (fuit is Mare Jonium, cujus longitudo ad triginta ſex horaria milliaria ſe extendit, ſex vix ſuperat. Hoc mare ingreſſa Claſſis noſtra Turcas invenit. Vtque ad pugnam aptiores eſſent, fecit Nuncius Cyprius, qui fide publica miſſus retulit, captas Vrbes Nicaſiam & Famauguſtam, excoriatum Bragadinum, capta quindecim millia Chriſtianorum, omnem oram Maritimam miſerè vaſtatam. Hæc, inquam, plurimum valuere ad pugnam, adeoque quamprimùm naves in aciem ordinatæ ſunt. Primam lineam obtinuere ſex Venetorum Galeacæ ita ab invicem ſeparatę, ut quævis ab altera mille minimum paſſus diſtaret. Nová.

Secundam lineam mille minimum paſſibus à prima diſtantem in medio occupavit Joannes Auſtriacus cum triremibus ſexaginta: ad ſiniſtram ejus Barbadicus Venetus cum triremibus quinquaginta quatuor, ad dextram Joannes Andreas Auria Hiſpanus item cum quinquaginta quatuor triremibus. Inter Joannem de Auſtria & Barbadicum Venerius Ad miralis Venetus in triremi patrona inter Joannem de Auſtria & Auriam, Columna Admiralis Papæ in triremi patrona. Atque hic ſecundæ lineæ ordo fuit, Navibus in rectam lineam, & juſto intervallo diſpoſitis. Tertiam lineam, quæ paulò plùs centum paſſibus diſtabat à ſecunda, non niſi tres triremes patronæ à tergo Joannis Auſtriaci ſunt collocatæ, Sabaudica à ſiniſtra, Genuenſis à dextra, in medio Hiſpana. Acie.

Quartam & ultimam lineam mille minimùm paſſibus diſtantem à tertia extendit, quantum potuit, Alvarus Bazanus cum reliquo Navium numero. Atque hæc tota erat Chriſtianorum potentia. Hoc ordine Naves ferebant exercitum irarum plenum ob acceptum, de quo ſupra dixi, Nuncium, & deſiderium referendi hoſtibus paria & majora.

Sed Turcarum quoque Conſilium memorandum eſt, quod in ſinu Corinthiaco celebrârunt. Siroccus omnium primus & præcipuus pugnam diſſuaſit, Turcas à Chriſtianis cogi non poſſe, neſciri vires Chriſtianorum, utique magnas, quòd hoſtem laceſſerent, rupta denique fœdera felicitate ſemper caruiſſe: & habuit ſanè non paucos, qui ſecum ſentirent. At Ali Baſſa pugnandum dixit non aliam ob rationem, niſi quia id Selimo Imperatori placeret, hunc major pars ſecuta eſt: hic nempe jubebat Selimus quieſcere. Omine non caruit, quòd utrinque tam ex parte Chriſtianorum, Omen.

rum,

rum, quàm Turcarum prælium ſit concluſum, non aliam ob rationem, quàm quòd placeret hero.

Sed diſpoſitionem aciei quoque videamus. Primam lineam, ſeu potiùs velitum ritu hinc inde diſcurrentium Navium parvarum ingentem numerum Dux Caracoſſa produxit. Lineam ſecundam oppidò multum à prima diſtantem occupavit in medio Portaus cum nonaginta ſex triremibus; ad ejus ſiniſtram Ali Baſſa cum nonaginta quinque triremibus ad dextram Siroch Baſſa cum triremibus quinquaginta ſex. Lineam tertiam confecit Amurates Baſſa cum triginta triremibus: Aciem claudebant navigia minora, quorum numerus nunquam iniri potuit. Ita utraque acies ferebatur: cùm 6. Octobr. Anno 1571. hoſtes ſibi invicem in conſpectum venère.

Auſtriacus quamprimùm jubet ſigna attolli, in ſua vexillum Pontificis. Sacerdotes, poſt Confeſſiones breviter & more militari auditas, altâ voce promulgant verè contritis Indulgentias plenarias. Joannes Auſtriacus navi parva circumvectus, aciem mediam ſecundæ lineæ verbis ſuis potenter animat, quod etiam utrinque fecerunt Columna & Requiſenius, rati verba Ducum non parùm militi prodeſſe ad Victoriam. Inter tympana & tubas reverſus ad navim ſuam Auſtriacus initium dat clamoribus, MARIAM ultra nubes extollentibus, ex Pontificis mandato, Turca ſignum

Ioan. Auſtriacus.

dat Tormento bellico, reſponſum à noſtris ter. Dum conveniunt, meridies eſt, Sole tunc neutri parti favente: non ita ventus, qui cùm Orientalis eſſet, & Turcis à puppi, non parum noſtris proris & vultibus pugnantium obſtabat: quid quod & ipſum mare vento hoc inquietatum fluctibus ſuis in noſtros pugnabat, ſed Superi Chriſtianorum partibus non defuère: initio pugnę imperatum ventis & mari, ut quieſcerent; & paruerunt, & Sol nobis à tergo conſiſtens Turcarum oculos afflixit: quæ Cœli auxilia non parum noſtros animârunt.

Sol.

Pugnæ initium ſtrages fuit, Victoriam non obſcurè promittens: ſiquidem tormenta bellica, è ſex Galeacis velut arcibus nullo negotio, ſilvam navium minorum turbârunt primùm, deinde etiam diſcerptas demerſerunt, nullo noſtrorum damno, quando minora Turcarum tormenta nihil in noſtras Galeacas poterant. Animadverſum eſt, conatos eſſe Turcas aciem noſtram circumvenire; non tamen potuère, quòd noſtra acies eum in finem ultra quinq; millia paſſuum eſſet extenſa.

Pugna.

Itaque claſſis claſſem adorta: proræ proris hærebant, & itum utrinque in naves hoſtiles, pauca è telis cadebant in mare, ita omnia inter ſe navigia hærebant, manibus res acta eſt, ſilentibus tormentis. Primus in ſiniſtro cornu vicit Barbadicus Venetus, ſiniſtro oculo ſagittam circumferens, quam extrahi

ve-

Signum. vetuit, ut ſaltem oculo dextero fuſos Turcas & victores Chriſtianos videret: & verò voti compos factus eſt: ſed ubi finitâ pugnâ telum eſt oculo exemptum, exempta quoque ſimul è corpore anima eſt generoſi & pij Ducis. Interea in dextro cornu Venerius Venetus Admiralis ſeptuaginta ſex annos natus, prætoriam Turcicam cœpit, & vulnus in crure accepit; quod tamen ad finem uſque pugnæ forti animo diſſimulavit, ne alios terreret, in acie media Duces cum Ducibus congrediebantur: Patrona Columna Romanus Caracoſſam urgebat, Auria Hiſpanus Portaum inſequebatur Joannem Auſtriacum Ali Baſſa, fortiſſimè oppugnabat, tribus integerrimis horis: vicit tandem, quadringentis Hiſpanis ex inferiore tabulato in navis ſorum eductis Auſtriacus ipſe quoque, niſi prohibitus ab amicis fuiſſet, nonnunquam in hoſtes facturus impetum. Demum ramento tabulæ, quam globus è triremi Pontificia ruperat, caput fractum eſt Ali Baſſæ, & quamprimùm cadentibus Turcarum animis ipſa navis in poteſtatem Auſtriaci venit, cujus Imperio & navis poſt prætoriam ſuam remulco acta eſt, & caput Ali Baſſæ abſciſſum erectúmq; eſt ad malum prætoriæ, ut ab omnibus videri poſſet. Ramentum.

Timor. Tum enimverò quantùm Chriſtianis creverunt animi, tantùm Turcis decreverunt: maximam, quę ſecuta eſt ſtragem, ipſi Turcæ ſecerunt, quos deſperatio in fugam, in ſervitutem ſpontaneam, quoſdam alios, ne ſiccâ morte perirent, præcipites egit in mare, Virginis beneficio tota hæc Victoria quatuor horis ſtetit. E noſtris deſiderati ſunt ſepties mille quingenti ſexaginta ſex: quam cladem abundè compenſarunt, quæ à Turcis ad nos devenêre manubiæ & ſpolia. Turcarum triginta millia interijſſe judicatum eſt à peritis. Sunt, qui ſcribant, captivorum fuiſſe octodecim millia, redemptorum è tranſtris captivorum millia quindecim. Triremes integrę captæ centum triginta, naves omnis generis ſemideſtructæ ſexaginta, depreſſæ octoginta, fugatę cæteræ. Numerata inſuper ſunt tormenta majora ſedecim ſupra centum, minora ducenta quinquaginta ſex, è triremibus patronis 40, & captæ integræ 39. B. Virgo. Spolia.

Creditur Pio V. ipsâ pugnę horâ revelata omnis geſtarum rerum ſeries. Inde Virgini actæ per omnem Chriſtianum orbem gratię, feſtúmq; perpetuò inſtitutum S. Mariæ de Victoria, à Congregatione Roſarij Dominicâ primâ Octobris celebrandum. Revelatio.

Hanc hiſtoriam, quam è præcipuis Auctoribus in mea verba coëgi, ne periret, hoc loco recenſere volui eo jure, quòd Templũ aliud ignorem, cujus Altare Princeps hanc pugnam repræſentet ſub titulo S. Mariæ de Victoria, habeátq; hujus tituli Congregationem tam numeroſam, ut civem & ſodalem eſſe penè habeatur pro eodem: quaſi munitiſſimæ ac fortiſſimæ Urbis civis eſſe

Mmmmmmm non

non poſſit, qui non ſimul & S. Mariæ de Victoria ſodalis ſit. Certè Congregationi adſcripta eſt ſoluta à Rege Guſtavo poſt cladem ſuorum quatuor millium quatriduana obſidio, qua ipſe globo tormentario unà cum equo ad multos paſſus excuſſus eſt innoxiè in gramen, equum ab ictu mortuum intulère cives Urbi, pellèmque tomento fartam vident hodiéque, qui volunt.

Obſidio.

CMLVII.

Imago B. V. Miraculoſa. ULIERBECANA.

Vlierbecæ in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Tu creata mera Dei Agna immunis à lupo.*

1. *Virgo barbata.*
2. *Virgo crucifixa.*
3. *Pater Tyrannus.*

VLierbecanum Cœnobium ædificatum eſt anno 1125. RR.PP. Benedictinis à Godefrido Duce Brabantiæ Templúmque B.V. dedicatum, quos honores B.V. ibi acceperit, quæq; illa ſupplicibus beneficia dederit, ſcire nos vetuit hereſis Iconoclaſtica, nimiùm quantùm Virgini Deiparę prę ceteris Superis moleſta. Et quia de Deiparę Virginis Imagine nihil nobis ſupereſt dicendum, præbebit nobis materiam Sacellum vicinum Virginis cujuſdam Martyris, cujus effigies per omnem, quàm latè patet, Germaniam præſertim inferiorem in plurib⁹ Templis videtur. Eſt ea S. Wilgefortis Regis Luſitaniæ filia propter Virginitatis ſtudium barbata & crucifixa. rem ad verbum adſcribo uti eam accepit Wikmannus l. 3. c. 5. ex M.S. perantiquo, ſic habet.

Hæreſis.

B. V. Wilgefortis filia fuit Regis Portugalliæ Pagani, qui bella gerens contra Regem Siciliæ, nullo modo huic potuit reſiſtere. Tandem pax componitur inter eoſdem hac conditione, ut Rex Portugalliæ daret filiam ſuam Wilgefortem Regi Siciliæ in matrimonium: erat enim pulchra valde, verùm cùm hoc Wilgeforti à patre proponeretur, coram duobus bis Regibus, aliiſq; reſpondit, nunquam ſe velle alicui viro conjungi, niſi tantummodo Regi crucifixo, unde ab irato patre in carcerem conijcitur, ut vel hoc pacto à propoſito revocetur, ipſa verò in carcere Deum rogavit, ut vellet ſe caſtam & immaculatam ab omni viro conſervare, & ſic in corpore deturparetur, ut ampliùs à nullo viro appeteretur. Hinc factum, ut ei barba creverit in facie valde prolixa, quaſi fuiſſet vir ruſticalis.

Pax

Oratio.

Tandem ejus pater volens ſcire, num à propoſito reſilijſſet, juſſit eam ſibi ſiſti: quâ veniente ſic barbatâ, pater multùm excanduit, & per artem magicam, hujuſmodi barbam contra uſum muliebrem, eam ſibi excreſcere feciſſe aſſeruit. Illa autem non per artem magicam boc factum reſpondit, ſed quòd Deus ſuus id ſibi conceſſiſſet, ut ſic caſtitatem ſuam conſervaret, Cui pater,

Magia.

ter, niſi Deum crucifixum abneget, & Deos ſuos adoret, cum Deo crucifixo crucifigendam eſſe dixit. Ipſa vero conſtans in propoſito juſſu Patris crucifixa eſt, & variæ tribulationes ei illatæ. Morti autem propinquans, oravit pro omnibus, paſſionis ſuæ memoriam agentibus, & Deum crucifixum obſui memoriam invocantibus, ut ab omnibus moleſtijs Anguſtijs & tribulationibus cordis & corporis ſua interceſſione liberarētur, & habita reſponſione, de cælo, quod ita fieret emiſit Spiritum. Quo peracto facto ſunt tonitrua & palatium patris ejus igne conflagravit paſſa eſt 13. Kal. Aug. quo die Martyrologium Romanum ſic habet. *In Luſitania S. Wilgefortis Virginis & Martyris, quæ pro Chriſtiana fide ac pudicitia decertans, in cruce meruit glorioſum obtinuere Triumphum.* Ita etiam Martyrol. Vſuardi Carolo M. inPictura. ſcriptum. *13. Kal. Aug S. Wilgefortis Virginis & Martyris filiæ regis Portugalliæ.*

Monachi Chartuſiani in ſuo officio Eccleſiaſtico hanc habent orationem: *Deus, qui B. Eutropiæ in cruce pendenti barbam mirabiliter excreſcere feciſti &c.* Quæ, an eadem ſit cum hac S. Wilgefortis alijs examinandum relinquo. Pingitur Cruci affixa, lumbos fune ſuccincta, prolixè barbata, & coronam capite geſtans, cincinnis utrinque dependentibus. Paſſim per omnem germaniam hæc pictura in Templis præſertim ruſticorum extat: in pago Waërtano etiam confraternitatem habet.

Invocatur *in cordis & corporis, moleſtijs anguſtijs & tribulationibus*, quæ Germanica lingua dicuntur, *Kümmernus*. Ita ut à pleriſque vocetur Germanicè S. Kummernus, quaſi verò hoc, non aliud fuerit S. Virgini nomen. Hanc digreſſiunculam facile mihi Germanus Lector ignoſcet.

C M L V I I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE BONO CONSILIO SOC. IESU.
Madriti in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Agepia amata munda, cælum terris uni.*

1. Vſus aulæ tædioſus, hero.
2. Vſus orationis tædioſus famulis.
3. Imago loquens.

NOtiſſimus juventuti ſcholaſticæ per omnem Orbem Catholicum Aloyſius Gonzaga olim Caſtilionis Marchio, poſtea Societ. JESU Religioſus, & à ſede Apoſtolica Beatis Adſcriptus. Is à Marchione Patre in Hiſpaniam ad aulam Catholici Regis ductus, Madriti aliquamdiu inter aulicos verſatus mundi faſtidium ex ipſo Aulæ uſu concepit. Longum eſſet & otioſum vocationis ejus ordinem relegere; cùm ipſius vita ubique lecta eam fusè & egregie exhibeat, à R P. Virgilio Cepario ſcri-

pta. Hoc mihi ad rem eſt, quo ab hac S. Imagine ultimum divinæ bonitatis placitum acceperit.

Stetit hæc S. Icon in altari ſummo Templi noſtri veteris, nullo tamen, quod ſciam, beneficio miraculoſo inſignis; uſq; dum Marchio Aloyſius & loco & S. Imagini nomen fecit. Is poſtquam ſemel iterùmque inter orandum hìc plures quàm alibi delicias expertus eſt cæleſtes, ſæpiùs, quantum per negotia licebat, huc oratum venit, & horas genibus flexis orando traduxit, ad faſtidium usque famulitij expectantis finem tam longarum precum. Et oportuit ſanè preces non eſſe breves, quando de totius æternitatis negotio juvenis cum Deipara conferebat, id unum ſcire cupiens, an è placito eſſet divino, relinquere mundum & Soc. JESU ingredi, quod cùm ei Virgo ex hac Imagine diſertis verbis edixiſſet, ille fideliſſimè poſt longam & gravem cum Patre Marchione luctam executus eſt. Sanctam in Societate vitam vixit, & vitam ſanctam ſanctè finivit Romæ in Collegio Romano Soc. JESU, ubi id divinâ providentiâ factum (& poſteritati tradendum) eſt, ut eo in cubiculo veteris collegij moreretur, quod in novo S. Ignatij Templo, locum dedit Sacello, in quo ejuſdem B. Aloyſij altare eſt, ut ibi munificus ſit ſupplicibus è cælo unde ipſe ad cælum evolavit.

Oratio. *Vocatio.*

Imago Deiparæ hoc primo miraculo indicatæ vocationis divinæ ſibi viam fecit ad plura non abludentia à primo: neque enim intellexi alia petentibus hic Virginem propitiam; quanquam id non negaverim: at ubi de eligendo vitæ ſtatu hìc à juvenibus Sanctiſſima Virgo convenitur, & interrogatur, nomini ſuo, quod habet *de bono conſilio*, reſpondet, & petentibus, quem ſtatum vitæ debeant ingredi clarè reſpondet non quidem verbis, quæ aures humanæ percipiant, ſed quæ cor divino deſiderio inflammatum intelligat. Hinc pro miraculoſa meritò habetur ab ijs, qui hæc beneficia ſpiritualia contra mundi ordinem præponunt corporeis & temporalibus. Sed ut etiam ab illis miraculoſa habeatur, quibus omne miraculum in ſenſu eſſe debet, nonnunquam ſupplicibus Imago immutatione vultûs, & hilariore aſpectu, quàm à pictore acceperat, annuit & arridet. Hinc hodieque ob hoc inſingulari honore habetur & colitur. Ita

Miracula

R. P. Benedictus Vaſquez
Soc. JESU.

C M L I X.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE IESU.
Alicubi in Germania. J.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Tu in origine tam pura es macula Adam.*

1 *Que-*

1. Querela B.V. de injurijs.
2. Puella lupo erepta.
3. Cicatrix ſignum miraculi.

HÆc Deiparæ ſtatua duplici miraculo innotuit, & ad ſuos honores pervenit. Primum eſt, quòd cúm Calumnijs peteretur à Balſphemo quopiam, utique luſore, hanc injuriam ſibi illatam non aliter, quod ſciam, ſit ulta, quàm quòd Juttæ honeſtiſſimæ & ſibi addictiſſimę matronę ſit conqueſta. Dolor. Alterũ eſt, quòd filiolam ejusdem à lupo abreptam reddiderit ſalvam & incolumem. Triennem aggreſſa eſt beſtia, & dentibus ipſi gulæ infixis rejectam in tergum avexit ritu, quo ſolet oves, ſteterunt ſane non pauci, & quantis potuere clamoribus juverunt puellam, nemo manu aut fuſte: ſic abreptus in ſilvas infans eſt, magnos parenti dolores daturus ſubinde Mater, quod contigerat, per fidum intellexit nuncium, ſedebat Mater in menſa, cùm hæc nuncius narraret, diceretque: *Domina lupus comedit filiam veſtram.* Lupus. Magnamina & Deiparæ chariſſima fæmina nihil indecorum elocuta, hæc verba reſpondit: *Certè lupus non comedit filiam meam*, mox tamen amotà menſà ſurrexit, & ad hanc Deiparæ S. Statuam quam in templo caſtri habebat, ſe proripuit queſtura Virgini dolores ſuos, quales illa ſibi paulò antè longis queſtibus explicuerat.

Audi lector, quid auſa ſit fæmina, quam fiducia ſingularis fortem fecerat. JESULUM ligneum de ſinu Matris rapuit, & Virginem his verbis allocuta eſt, quæ ex Auctore appono, quia placet ſæculi illius ſincera pietas: Simplicitas. *Domina* inquit, *nunquam rehabebitis puerum veſtrum, niſi mihi reſtituatis puellam meam.* Hæc eſt illa vilis & à mundo deriſa ſimplicitas, ſuperis tamen gratiſſima: quisquis ſic pugnat, vincit.

Non ceſſerunt interea ſubjecti pagi incolæ, ſecuti ſunt lupum, collecturi fruſta diſcerpti infantis tumulo inferenda: cùm eam ſalvam, & incolumem, & ſponte ſuâ redeuntem non ſine admiratione viderunt, non ignari, ſuâ ferociâ eam lupus primo ſtatim morſu exceperit, & verò fecit Deipara, ut dentium veſtigia remanerent in gutture, teſtatura, dum viveret puella, miraculum. Mater redditâ ſibi filiâ, non diſtulit Mariæ quoque filium ſuum reſtituere, ſtatuámque JESULI reponere in ſinum Matris. Adjungit c. 43. Cæſarius alia de hac ipſa S. Statua, quæ prætereo, contentus dare lectori initia hujus miraculoſæ Statuæ, quam ideo de JESU vocavi, tum quia aliud nomen non inveni, tum quia titulum hunc ex ipſa hiſtoria acceptam judicavi alijs commodiorem.

C M L X.

Imago B. V. Miraculoſa.
BRACHARENSIS.
Bracharæ in Luſitania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Tu cara nam tu ager ſine lue pomi Adami.*

1. Tempeſtas exitialis.
2. Fulminis reverentia erga B. V.
3. Statua B. V. honoribus aucta.

EST hæc S. Deiparæ Statua in templo Societatis JESU, quæ ipſa natalis Chriſti die cæpit eſſe miraculoſa. Stetit olim in Capella domeſtica auro quidem & gemmis hodie hoc die veſtita, nullo tamen huiuſque miraculo clara. Cùm tempeſtas, qualem ætas illa non vidit, exorta grandinem fudit & pluvias, quas plerique ſine lachrimis non ſpectarent, fulmen impactum noſtræ turri campanariæ altiſſimum u bis ædificium graviter vulneravit, primum decuſſo everſóque faſtigio, æra campana loco movit nec confregit, fornices tamen Campanarum, ſaxáque inuſitatæ magnitudinis quaqua verſum latè diſiecit, deinde fæda ruentium lapidum ſtrage, intra quidem pate fecit comminuítque contignationes, ubi aliqui de noſtris habitabant, extrinſecus verò murum turris à pinnis ad fundamentum uſque horribili ſulco aperuit, labe facta etiam portæ urbanæ, quæ ſuberat, concameratione, in omnes partes volantium lapidum fragmenta flammæque, ac præcipuè in Collegium, cubiculorum tectis fœde diſſipatis, ſubierunt, quo minus verò noſtri aut fulminati aut ſaxis obtriti miſerabiliter interierint, Deiparæ beneficium fuit.

Turris.

Miraculum.

Sacerdotes in templo procurandæ rei divinæ, & confeſſionibus excipiendis, reliqui in Sacello ad cunas Chriſti orationi vacabant, uterque locus à turri procùl abeſt. Illa etiam res accidit digna litteris, in ædificata turri eſt tecta ambulatio qua è Collegio patet tranſitus in Gymnaſium, in altero ambulationis pariete eſt fornix cinctus columnis, ibi in Capella domeſtica fuit perelegans Virginis ſtatua, quæ eo die, ut dixi, veſtibus auro gemmiſque intextis ſplendebat. In hanc maximè partem ſaxorum fulminiſque vis incubuit. Major ambulationis pars lapidum pondere flammiſque ad terram afflictâ, ſtratum è tabulis pavimentum minutatim diſcerptum, Columnæ ambuſtæ comminutæque, ingentis lapides ampliùs quindecim ad pedes Virginis ceciderunt. Inter ruinas ac flammas perſtitit incolumis Statua, ita ut ne veſtibus quidem, minima ignis alteriuſque rei nota fuerit inuſta. Exterrita fragoribus urbs, & quorſum flammæ evaderent, ſollicita occurrit in Collegium ad ferendam perditis rebus opem præter ſpem noſtros ſalvos & incolumes, & integram in-

Statua.

ter

ter ruinas Virginis Statuam vidit. Tum enim verò obortis lachrimis edere clamores lætitiæ indices, beneficia in nos mirari Virginis Deiparæ providentiam, venerandâ intuendâque Virginis effigie animum oculóſque vix explere. Statua poſtea' expoſita populo, majores accepit, honores beneficia rependit, quæ quidem R. P. Bencius hoc tempore proſequi nondum potuit in annuis.

***

C M X L I.

Imago B. V. Miraculoſa. DE GRATIIS. *Alicubi in Burgundia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *En tu in Adam à vitio pura gemma clares.*

1. Virginibus periculoſum eſt, amari.
2. Canes & impudici redeunt, abacti.
3. Amor verſus in Tyrannidem.

INfandum militis Burgundi facinus, quia ad Deiparæ honorem cedit, præteriri à me non debet. Perierat ille jam dudum amoribus impudicis, & ne ſolus eſſet, Virginem viri honeſtiſſimi deperierat, ad hæc Virgo voto Deiparæ ſacra erat. Invenit ille diem, & Virginem invenit in domo ſolam, & quidem coram Deiparæ Imagine orantem, mirata illa hominis impudentiam reſponſo, quo Virgines ſolent & debent, inpudicum canem abegit, *Reſponſum.* redijt tamen abactus, actúſque in furorem eſt, & minas miſcuit, ut ſciret Venerem, ſi nollet à Marte cogi poſſe, riſit illa minas, quamdiu intra verba ſteterunt.

At verò cùm extracto gladio mortem intentaret ſeriò, ſeriò & ipſa Virgo locuta eſt, deſineret, nam Virgines mortem non timere ſi pro pudore ſit obeunda: & ſi me occideris ait, facies tu quidem, quod lurcones ſolent; ego tamen patiar, quod ſolent Virgines: ſeque ad ictum parans, ſi placet, inquit, ſi ſeriò loqueris, feri, majorem quandoque eſſe affectum iræ quàm amoris, miles iſte docuit, qui Virginem hanc gladio interfecit. *Panitudo.* Tam citò oculos non clauſit Virgo, quia non oculos ſuos impios impius, carnifex aperuerit. Ita nempe ſcelerum mos habet, ut oculos nobis claudant & aperiant, ſed ſcelere jam peracto.

Ante omnia fuga placuit itaque ad Præpoſitum Parochialis templi, avunculum ſuum confugit: quem quia ſacris jamjam operaturum invenit, enarrato breviter facto aliud reſponſum non tulit, quàm ut ſe interea in tuto locaret, dum ipſe Sacrificio miſſæ finem daret. Paruit ille, & in angulo templi retruſus, Deiparam rogavit, veniam daret flagitio, quod corā ejus S. Imagine patrârat. Hæc enim

enim facinoris portio plus ipſum gravabat ipſo facinore: ut enim flagitium grave ſit, ſi tamen offenſa Virginis Deiparæ non miſcetur, ſemper facilior veniæ ſpes allucet. At verò cùm Virgine interea longè aliter actum eſt, quàm facilè credi poſſit, Angelus ſiquidem à Deipara miſſus, qui Virgini repoſuit caput, cicatrice inſtar fili aurei relictâ, animam quoque redire juſſit.

Miraculũ Cùm ultimus ad Sacrum pulſus auditur, & Virgo more conſueto Templum adit, nec longè ab altari fæminis mixta conſiſtit; quin etiam inter alias ad Altare accedit tempore Offertorij. Omnia hæc Parochum rapuêre, quis iſte oculorum luſus, quomodo ſi illa eſt, hìc altari ſe ſiſtit: quomodo ſi non eſt, audacia dæmonis Altare tam impudenter ſpernit Sacri finem vel ipſe Sacerdos optavit, non aliam inventurus in hoc labyrintho viam, niſi quam ipſa Virgo monſtrâſſet.

Itaque poſitis ſacris veſtibus Virginem ocyùs alloquitur, & ab ea rerum actarum ſeriem intelligit, quomodo ipſa pro virginitate tuenda coram Imagine Deipara mortem ſuſcepiſſet, quam procus dederat: quomodo, ab Angelo capite relicto revixiſſet, & hìc ope Virginis Deiparæ præſto eſſet. Tum Parochus pro ſuo Nepote & ſilentium & veniam popoſcit: quam illa promptiſſimè dedit, id tamen non tacuit, Deiparam quoque reconciliandam eſſe impio homicidæ. Vocatus à Parocho Nepos in genua procidens, veniam petijt & obtinuit, cùm Virgo, niſi, inquit, in religioſo aliquo ſtatu ſcelus hoc expies, edico tibi Dei & Virginis Deiparæ nomine grandem vindictam. Ille quamcunque, inquit, Virgo Religionem nominaveris, lubens ingrediar, demùm Virgo, ingredere, inquit, Ordinem Minorum. Condonatio.

Juvenis Virginis Imperia ſecutus vitam vixit, quæ mortem bonam promiſit. Imago porrò ad honores publicos evecta procul dubio eſt, quaquam id vivo homicida factum eſſe credibile non ſit. Segala Ord. Minorum in arte mirabiliter ſerviendi Beatiſſimæ Virgini, privilegio quinto.

CMLXII.

Imago B. V. Miraculoſa.
IN MONASTERIO S. GERTRUDIS.
Buſcoduci in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plenâ Dominus tecum.
Anagr. *Gaude pura, ne timeas jacturam in malo.*

1. Statua è rogo exiliens.
2. Fœmina in paucis prudens.
3. Statua à peſte liberans.

Monaſterium hoc S. Benedicti Moniales aluit jam ab anno 1470. quod narro, an-

no 1509. contigit. Lignea Deiparæ Statua pedem unum non excedens, vetuſtate ſuâ & carie cultui non aptâ, jam diu latuit, nec niſi ad luſum puerorum jam facta videbatur. Ne verò contemptum Virgo in hac ſua Icone ſuſtineret, cavit una è Monialibus, eámque conjecit in ignem, non malo conſilio, quando & S. Chriſma, ipſa Eccleſia comburi jubet, ne contemptui ſuperſit, ſed Statua bis térve illæſa exilijt, fuêre è Monialibus, quæ plus factum reprehendebant, quàm mirarentur prodigium. Statua itaque in angulo repoſita, nihil ultra honoris accepit, dum Hadevvigis Virgo tribus conſequenter noctibus hæc ſibi identidem verba ingeri viſa eſt: *Surge, accipe meam Imaginem in culina latentem, & honora eam: in culinæ veteris armario invenies eam.*

Miracula

Vulgare fœminarum vitium à dæmone decipi & decipere homines menti Hadevvigis occurrit, quæ quia neutrum voluit. Hæſit, dum hæc vox tertio ad aures allaberetur, tum enim verò animata ad quærendam Imaginem properat, Chorum tamen Templi priùs ingreditur, rogátque Deiparam fuſis precibus, ne decipi ſe pateretur, orationem interrupit ſomnus & ſomnium, quo iterùm ad quærendam Statuam animabatur.

Oratio.

Itaque armaria culinæ omnia perſcrutata, tandem Statuam, cujus nec memoria ampliùs erat, non ſine lętitia invenit. Primum erat, ut in cellam portaret, ornarétq; quantum pauperies cellę patiebatur, appenſa ei precatoria corona, catenam auream appenſura, ſi prę́ſto fuiſſet, néve muſica deeſſet, *Ave maris ſtella* cãtillavit, ne vivaciore clamore ſorores ante tempus excitaret. Interea ad Matutinum convenêre ſorores, quo finito, quæ ſomniâſſet, quæque feciſſet, enarrans facile ad cultum. Sacræ Statuæ omnes permovit. Ornatum itaque & cultum primum à Monialibus accepit, non ſine obtentis gratijs: quæ quamprimùm in Civium notitiam pervenêre, munera quoque & pecuniæ allatæ ſunt, quibus adhùc decentiùs ornaretur.

Cultus.

Mortuæ Hadevvigi ſucceſſit in S. Statuæ cultum privatum, alia, quæ cùm anno 1522. bis peſte correpta mortem expectaret, bis ingeri ſibi has voces ſenſit: *Bono animo eſto, mea filia, ut hac vice non moriaris, oravi filium meum.* Illud non prętereundum, quòd, dum hæc verba audiret, vidit quandam Deiparæ Statuam parvam in angulo lecti ſui, quæ tamen evanuit, poſtquam extentâ manu eam apprehendere conata eſt. Cæterùm cùm S. Statua pallium poſtularet & coronam, quamprimùm pecuniæ allatæ ſunt ſuffecturæ in hunc & ampliorem ornatum. Tandem publico expoſita, miraculoſa beneficia petentibus contulit, quæ ritè ab Epiſcopo approbata concurſum auxêre. Hæc breviter ex Wikmanno l. 2. c. 26.

Peſtis.

CMLXIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE SILUIS. *Portuæ in Luſitania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Evadis alma contagium ira parentum.*

1. Imago Beatiſſima Virginis pro ſtemmate Urbis.
2. Donat Regina Imaginem Urbi.
3. Antiquitas honore digna.

PORtuam Urbem voco illam, quæ de portu nomen habet, & portus vocatur. His Civibus Malfalda Alfonſi Regis conjux Imaginem Deiparæ dono dedit ſibi chariſſimam, nam & cùm iter faceret, eam in ſilva quapiam conſpexit, mirata, quis tam bonæ manûs picturam huc detuliſſet, Regum cimelijs dignam: & multa jam cœlitus beneficia obtinuerat, quòd eam privato cultu honoràſſet, denique antiquitatem præferebat inſignem: fuere enim è peritis, qui eam ad Gothorum ætatem referrent, quorum metu hîc loci fuiſſet abſcondita Urbi itaque Portuenſi Regina dedit Imaginem & Imagini inſigne Templum, quod eâ in Urbe maximum eſt, & reditibus opulentis auctum. Atque adeò in honoribus eſt hæc Imago, ut Urbs inſigne ſuum mutaverit, geratque ab eo tempore duas Templi hujus turres cum Imagine in medio turrium. Hinc nonnulli Auctores hanc Urbem vocant Sanctæ Mariæ Civitatem. *Antiquitas.* *Stemma.*

Ita Ioannes Berrius in ſua hiſtoriâ.

CMLXIV.

Imago B. V. Miraculoſa. DE DUMO. *Eboræ in Luſitania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *O Agna mira pura! mei ac mundi tutela es.*

1. Paſtoris gratitudo mira.
2. Avaritia depauperat.
3. Donum ex argento pretioſum.

DE Dumo nomen habet, quia in Dumeto inveniri voluit hæc S. Deiparæ Imago, & quidem à paſtore, qui præ cæteris paſtoribus, quotquot fuerunt, qui Deiparæ Imaginum extitere inventores, gratus fuit, hic enim vendito grege ſuo, eâ in turri hanc S. Statuam defixit & ſuo ære ornavit; ut illa poſthac contra Mauros vigilias ageret eâ in turri, in qua olim ab Eborenſib' eſſet vigilatum contra Mauros. Porrò Statua hæc cum à paſtore inventa ſit indicio *Vigiliæ.*

cio fulgoris cœleſtis, factum eſt, ut eſſe miraculoſa à prima ſua inventione cœperit. Concurſus peregrinorum fecit, ut Eborenſis Epiſcopus ex Sacello, quod eâ in turri obtinebat, faceret magnæ molis Templum pietatis capax, quam identidem offerebant Eborenſes, quin etiam Templo adjunxit Monaſterium, quod anno 1508. tradidit RR. PP. S. Hieronymi, qui S. Statuam curarent, & cultum ejus promoverent. Rex Alfonſus V. cùm Arzillam Urbem in Affrica obſideret, argenteum equum & equitem vovit, ſi Urbe potiretur. Captâ Urbe ſe ſtitit, & votivum munus obtulit, Statuam hanc paulò pòſt Præpoſitus Cœnobij liquavit in pecuniam ad uſus, ut opinabatur, Templi meliores. Doluit Regina Eliſabeta monumentum tantæ pietatis ſe non conſulta abolitum, nec non & alij, ut qui loco monumenti argentei Cereum attulere, qui tanto voventis damno non perit. Ita plerumque accidit, ut qui de rebus ſacris divites fieri volunt, pauperes evadant, & plùs perdant, quàm lucrentur. Idem qui ſuprà.

Argenteũ. Avaritia.

C M L X V.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE BONO FINE.
Madriti in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Agni mater vita mea mundo Cœlis pura.*

1. Statua B. V. donum regium.
2. Honor publicus parat miracula.
3. B. V. Noſocomia non fugit.

Noſocomium Madriti eſt, quod Gallicum vocatur, unde nomen hoc acceperit, incertum eſt, in hoc Noſocomio Statua Deiparæ eſt ex illa quercu fabrefacta, quæ celebrem fecit Montem Aucutum apud Belgas. Hanc Eliſabetha Auſtriaca notiſſima Hiſtoricis Heroina, & Belgij Princeps dono miſit ad Eliſabetham Borboniam Hiſpaniæ Reginam. Statua cum pompa excepta eſt, & in hoc Noſocomio collocata, hodie miraculis claret, maximè poſtquam fuêre, qui aſſererent, ſe cantus Angelicos audiſſe. Videri poteſt Miræus in faſtis Belgicis.

C M L X V I.

Imago B. V. Miraculoſa.
BUDENSIS.
Budæ in Vngaria.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Tu nati Dei ſacer unio, alma, gemma pura.*

1. Vrbs incenſa pro face.
2. Eo major Victoria, quò pauciores victis victores.
3. B. V. Regi dat Regnum.

TEmporibus Matthiæ Corvini Regis Vngariæ maximi Herois Buda Vrbs celeberrima Templum habuit Deiparæ, & in eo Imaginem, cui ſe in neceſſitatibus devovebant, quotquot penè Vngaria tota habuit incolas, atque ut tunc jam miraculoſa habita ſit, non ſine miraculo grandi contigit Victoria Corvini adversùs Stephanum Voivodam, qui non expectatus nocturno tempore ſupervenit cum magno exercitu contra Corvini Regis exiguas copias, Hoſtis. & terrori augendo *Baviam* Vrbem incendit. Corvinus in genua provolutus ſe ſuoſque Virgini, paucis commendans, in equum evaſit & lumine incenſæ Vrbis pro face uſus, quamquam & luna aderat, hoſtes aggreſſus eó memorabiliorem Victoriam de VVaivvoda retulit, quò pauciores erant victores victis.

Inde omnia hoſtium vexilla Deiparæ in Templo Budenſi appendit: quæ ita á Rege honorata Regno poſthac fuit benefica. Certè ejus interceſſione per ſeptennium de Huſſitis præclaras obtinuit Victorias in Boëmia, Moravia, Sileſia, & Luſacia, ita ut Boëmiæ Rex coronatus ſit, Pontifice approbante & conſentiente Friderico Imperatore. Regi Regnum dare beneficium eſt Marianum. Hoſpito. Joan. de Tauvvac. Anno 1464. Tamajus & alij.

C M L X V I I.

Imago B. V. Miraculoſa. DE COLUMNA. *Podandi in Oriente.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Meta cœli, amata Virgo penitus munda.*

1. Conſilia petenda corā ſtatuis B. V.
2. Littera contra B. V. ſuperba.
3. Columna Victoria tropbæum littera.

STatuam habuit Deiparæ Baſilius Imperator, quâ-cum, conſilia ſua conferebat, & nonnunquam reſponſa referebat cælitus menti illapſa: fuit cùm Tumidus Saracenorum princeps, cúm jam in procinctu eſſet cum exercitu, litteras Baſilio ſcriberet in hæc verba: *nunc videbo, an Mariæ filius ejúſque Parens tibi proderit, cùm contra tecum meo exercitu congrediar.*

Baſilius lectas litteras confeſtim Statuæ Marianæ appendit, legeret illa & cauſam ſuam filijque ageret. Statuæ inſuper honores vovit, certò daturus, ſi victor rediret. Tharſum cum copijs Romanis tendit & Podandum aggreſſus, barbaros Mariano fretus auxilio fudit fugavitque: inde Podandi ingente columnam ad poſterorum memoriam erexit Virginis Deiparæ Statuâ inſignem, quæ utique non hoc uno benefi- Columna.

cio

cio contenta in ſupplices plura ſparſit. Deſcribunt hanc hiſtoriam Curapalates, Zonaras, qui Mauritium hunc vocat Amercam, alij, &c.

CMLXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
IN BLACNHERNIS.
Conſtantinopoli in Græcia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Palantem Anguem, Jo! mira Eva trucidas.*

1. Veſtes B. V. Templo honorata.
2. Fæminarum aſylum in Templo.
3. Hoſtes per B. V. profligati.

TEmplum Blanchernenſe cuſtodiendis Deiparæ ſacris veſtibus ædificatum eſſe ab Imperatrice in ſuburbio Conſtantinopolitano, nemini ignotum eſt, qui rerum græcarum non omnino ignarus eſt: In quo S. Deiparæ Imago nunquam non miraculoſa fuit. Langueſcens Civium pietas tunc miro exemplo principis iterum eſt inſtaurata, cùm ingruente hoſte Palæologus cum Alexio conſultaret, ubinam tutò aſſervari poſ- Fæminæ. ſet par fæminarum uxor & nurus, dum illi incerto Marte cum hoſtibus congrederentur. Qui cùm ambo facilè conſentirent, in removendis à periculo belli fæminis; non perinde tamen conveniebat inter eos, quò eſſent mittendæ.

Alexius in arcem quampiam valido præſidio defenſam judicavit amittendas. Vicit tamen Georgij Palæologi ſententia, ſacram Deiparę in Blacnhernis ædem præferentis. Principis in hanc S. Imaginem fiducia pietatem languentem reſtauravit, utique poſtquam fæminæ non armis ſed potentia Virginis defenſæ victorioſum Palæologum vivum receperunt.

Tanta hujus S. Imaginis fuit Reverentia. Ita Hiſtoria Alexiana.

CMLXIX.

Imago B. V. Miraculoſa.
S. UDALRICI.
Auguſtæ in Germania S.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Tu una ô alma, micanti ſidere magè pura.*

1. S. Vdalrici Epiſcopi pietas.
2. Monialium efficax oratio.
3. Vngarorum Anteſignani puniti.

AUguſtanæ Vrbis excidium, quod Anno 955. minabantur Vngari, prælio, quo ab Ottone Imperatore 10. Auguſti in Campo Licio cæſi ſunt, impeditum eſt. Porrò præ-

lianibus vires dedit juſſu Sancti Udalrici implorata Deipara coram ſua Statua, quæ hodie non ampliùs ſupereſt. Certè Baronius tomo 10. ex geſtis S. Udalrici memorat, quomodo ipſo agente pars una Religioſarum mulierum cum crucibus ad Dominum devotè clamando intra civitatem circumierit, altera Clementiam ſanctæ Dei Genitricis Mariæ pro defenſione populi, & liberatione urbis ſtudioſiſſimè pavimento proſtrata flagitaverit, utique coram Imagine Deiparæ, quam aliàs beneficam experti ſunt Auguſtani. Addit Cardinalis, immenſas Deo Deiparæque actas eſſe poſt victoriam gratias, quo autem in templo hæc gratiarum actio peracta ſit, mens mihi non eſt, hic diſputare; aut quo caſu Imago illa perierit, ſæculorum tractus nobis quamplurima eripiunt, ut paſſim in his hiſtorijs experior. Cæterum decretoria hæc Ungaris pugna fuit: neque enim unquam in hæc uſque tempora latrunculi ex illa terra ad nos pervenere, ex quo Otto Imperator eorum ante ſignanos fecit patibularios, vide Baron. Surium 4. Julij Cranzium.

C M L X X.

Imago B. V. Miraculoſa.
B E R C H A N A.
Mechliniæ in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. ***Tu alma, & unica pura, Dei amori magnes.***

1. Ex ore infantium & lactentium.
2. Herniæ ſingularis cura.
3. Statua lilijs convallium ornata.

BErcha pagus eſt inter Mechliniam & Viluordiam, notas urbes. Hic in templo Parochiali ab antiquo colitur Deiparæ Statua miraculoſa, etiam inter infantes uſus eſt, ut afflicti dicant: quære ſolatium in Barcko, ideſt, apud hanc Deiparæ Statuam. Et quamquam hic pluribus malis reperiatur remedium, præcipuè tamen *Herniæ* malo Deipara propitia eſt; Certè hic curari fama eſt exemplis teſtata, fidémque faciunt pendentes è muro faſciæ magno numero. Lilijs convallium ornatur S. Statua & feria III. Pentecoſtes ſolenni ſupplicatione circumfertur VVickmans lib. 2.

C. L M X X I.

Imago B. V. Miraculoſa.
A D A N E A.
Adanæ in Cilicia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. ***Magnes cordium vita animia altè pura.***

1. Ca-

1. Calumnia diri effectus.
2. Impij Theophili mira pœnitentia.
3. B. V. mira benignitas.

NOn omittenda eſt Virginis Deiparæ Imago Adanea, quæ in *Cilicia* urbe *Adana* olim culta eſt, propter converſionem deteſtandi peccatoris, quæ tanti ab Eccleſia Græca fuit æſtimata, ut quarto Februarij feſtum hîc & per omnẽ Græciam ſolenne celebraretur. Breviter percurro in omnibus pulpitis decantatam Theophili hiſtoriã, Ex verbis Eutychiani, qui hujus Theophili miniſter fuit, Theophilus hic tam præclaræ fuit vitæ, ut mortuo Epiſcopo Adanæ, cujus erat Æconomus, ab omni populo eligeretur in Epiſcopum, ſed eã dignitatem conſtanter recuſavit.

Calumnia. Electo igitur alio Epiſcopo apud eum à malevolis calumniam paſſus eſt: qui etiam id tandem egerunt, ut eum Epiſcopus ab adminiſtratione deponeret, & alium inſtitueret, quod tam graviter tulit, ut Judæum magum quendam adiret, & à Diabolo opem poſceret, quo priſtinum ſuum officium recuperare poſſet. Id ſe effecturum promiſit dæmon, modò Chriſtum Dei filium, & Matrem ejus abnegaret, & ſuo deinceps ſervitio ſe manciparet, quod & fecit, & ſcripto eandem abnegationem, & cera obſignavit, ac Diabolo tradidit. Sequenti die Epiſcopus pœnitentia ductus, Theophilum reſtituit.

Non multò pòſt ad ſe reverſus Theophilus, templum ſanctiſſimæ Dei parentis adiens, jejunijs, precibus & lachrimis vacavit quadraginta diebus & noctibus, ut tantum ſcelus à ſe commiſſum expiaret, quod tandem per B. Mariæ interceſſionẽ, quæ ipſi pluries apparuit, impetravit, ſicut & redditionẽ Syngraphæ abjurationis. Apparitio. Quæ omnia poſtquam ſequenti die à reportatione Chyrographi, quæ erat Dominica, publicè coram Epiſcopo, & omni populo, in templo confeſſus eſſet, omnes ad ſtuporem, & laudem Dei, & Genitricis ſuæ Mariæ commovit, & poſt triduum feliciter migravit ad Dominum, ſepultus eo loco, ubi apparuit ei B. V. Maria. Ita hiſtoriam hanc deſcripſit dicti Theophili miniſter Eutychianus apud Metaphraſtem, quam relationem ideo omnibus cæteris prætuli, videri poteſt Surius, & Lippomanus 4. Febr. & Martyrologium Vſuardi eodem die. Scripſere hanc Hiſtoriam Beluacenſis, Sigebertus, Maſſæus in Chronico mundi, Weſtmonaſterienſis in floribus hiſtoriæ qui aſſerit an. 537. contigiſſe.

CMLXXII.

Imago B. V. Miraculoſa.
LIBERATRIX.
Cantabrigi in Anglia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Ignoras catenam durum væ primi Adæ.*

1. Uni-

1. Unicum juventutis perverſæ ſubſidium.
2. Somnium à Deo immiſſum.
3. Confeſſio divinitus ſcripta.

Nobiliſſima, & antiquiſſima Cantabrigenſis Academia adoleſcentem aluit, in quo ſi mores ſpectem, nihil melius inveni, quã quòd Virgini Deiparæ quotidie nonnullas preces & plerúmque coram hac Imagine recitaret, magnum profectò, & quandoque unicum juventutis perverſæ ſubſidium, vel unius Imaginis Marianæ conſtans cultus. Nomen ei fuit Guilielmus Vidius: habuit hic contubernalem, & non tantùm menſæ ſed etiam in lecto ſocium, juvenem ut ex M.S. Vaticano Colligi poteſt, non parùm Vidio meliorem, & poſtea Sacerdotio clarum. Quadam nocte dormiens Vidius ita intremuit, ut ſudore difflueret, clamoribus quoque ſocium Iacobum excitaret. Is ratus ſomnio quopiam terreri ſocium, excitare conatus eſt, & tantis timoribus liberare, ſed fruſtra: neque enim è ſomnio, quod Deus immiſit, facilè hominem excitaveris. Timor.

Tandem finito ſomnio redijt ad ſe ſocio multum urgente, ut quæ ſomniaſſet, non gravaretur edicere, ſeria utique ſi non crudelia, & horrenda fuiſſe, arguit ſudor inſolitus & tremor nondum patiens quietis, ad quæ Vidius: prò quantum mihi profuit in honoribus habuiſſe Virginis Imaginem: abſque hoc fuiſſet, æternùm periſſem, ſcias itaque me coram judice Chriſto ſtetiſſe, qui vitæ meæ, & temporis exacti rationes popoſcit, crede, ſodes, hæſiſſe mihi linguam, quando, quæ dæmones obijciebant, vel fateri cogebar, vel diluere extemporaneo reſponſo, quid moror? quid diſſimulo? confitentem reum jam mali dæmones ad æterna ſupplicia rapiebant: cùm Deiparam felici caſu conſpiciens, ejus auxilium more conſueto imploravi: & illa continuò ad fugam dæmones compulit, & me mihi, ut vides, reſtituit, ſive ſomnium ſive viſum ſit, utilitate ſua non caruit, in parte felicitatis numerare peccator quivis poteſt, ſi talibus ſomnijs corripiatur. Iudicium.

Cæterùm vel ipſe Vidius ſomnium fuiſſe crediđiſſet, niſi in manu ſua chartam reperiſſet, quæ ab incognita manu ſcripta, graviora ſua totius vitæ crimina continebat, pleráque nulli niſi ſibi nota, quæ ſequenti mox die ad pedes confeſſarij tulit, ritè confeſſus eſt, vitámque in melius mutavit. Tanti eſt, vel unam Deiparæ Imaginem coluiſſe, nec dubito, ipſius Vidij & exemplo & adhortatione hanc Deiparæ Imaginem honoribus auctam fuiſſe, & cultoribus ſuis beneficam, ex M.S. Vaticano. Confeſſio.

DMLXXIII.

CMLXXIII.

Imago B. V. Miraculoſa. CEICANA. *Ceicæ in Luſitania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Tu pura macula orta, magnes animi Dei.*

1. Lepus, infortunij & miraculi occaſio.

2. Religioſi loricati feliciter pugnant.

3. Multis vita miraculosè reddita.

ORdinis Ciſtercienſis Monaſterium hodie hìc eſt, & Statua Deiparæ inter antiquas numeratur. Spaciabatur ad Mondam fluvium Alfonſus Rex, levandis pauliſper curis ambulatione hac ſeſe recreaturus; cùm ex uno Optimatum intelligit, Templum eſſe in vicinia Deiparæ, miraculis clarum. Promptus ad obſequia Virginis Rex Templum accedit. Interea Aulicorum unus leporem præcipiti curſu ſecutus, effunditur ab equo in terram, ut animam eliſiſſe crederetur, hominem proximi quique ad hoc Templum deferunt terræ mandandum: ſed & Regi mœror, quem utcumque ambulatione ſopiverat, confeſtim redijt. Utrique Deipara auxilio ſuo adfuit. Vix enim Templum Rex ingreſſus, tantâ ſe lætitiâ perfuſum ſenſit, ut omnis mœror abierit, ubi in Templum portatus eſt, ſigna vitæ quamprimùm dedit, & perfectiſſimæ ſanitati reſtitutus eſt. Caſus.

Originem hujus Templi habet Auctor infrà citandus, Ramiri Regis avunculus Joannes primùm victorijs contra Mauros clarus, Monachum induit Benedictinum, cui Rex principatum donavit Monaſterio Lorvanenſi alendo. Accidit, ut Apoſtata quidam è Cœnobio tranſiret ad Mauros, & Montis majoris fortalitium Cordubenſi Regulo diceret, à paucis Monachis defenſum, capi poſſe: & adfuit ſanè cum copijs Maurus: ſed pro Monachis cucullatos milites invenit, ſibi nunquam quamdiù vivi eſſent, tradituros arcem præſertim cùm præter Monachos cives quoq; haberent bellaces, & ſibi obſequentes. His excurſionem & ultimum prælium perſuaſit, priuſquam fames omne robur viréſq; affligeret. Nos, inquit, Abbas Joannes, in pugna moriemur: neque enim ſufficimus, ſi cædendus tantùm non etiam vincendus eſſet exercitus: néve Mauri quidquam inveniant, omnia flammis dabimus, neque in hoc vos video difficiles, ſed quid pueris puelliſq;, quid uxoribus, quid ſenibus faciendum? melius cadent, ni fallor, manu noſtrâ, quàm pòſt ludibria Maurorum alienâ. Placuit ſententia, ipſe Abbas ſororem cum nepotibus ſuis jugulavit, omnéſq; ferro ceciderunt, quotquot prelio inutiles in arce erant. Jámq; ſeipſis ferocio- Proditor

res mortem in votis habebant, ſed non inultam: Mauros Duce Abbate invaſerunt nihil metuentes. Infamis Apoſtata Abbatis manu interemptus auxit animos per ſe feroces, Mauri tanta paucorum audacia territi fugam inierunt non prelium, ita ut priùs cæſos ſe quàm victos viderent.

Pœna.

Spoliorum porrò tanta vis, ut eos ſuarum rerum, quas igni dederant, non pœniteret, ſed omnem lætitiam abſterſit deſiderium cariſſimorum pignorum, verùm lætitiam integram dedit Deus: namq; triſti triumpho ad arcem redeuntibus nuncij duo equeſtres concitatis equis obvij ex arce advenêre, qui omnes, quos pridie jugulârunt, vivere nunciârunt, purpureâ quemvis lineâ vulneris indice inſignem.

Hæc omnia Abbas Deiparæ, cui addictiſſimus erat, lubens adſcripſit, & Templum hoc in actionem gratiarum ſtruxit, omnémque reliquā vitam hîc ſolitarius tranſegit. Lorvanenſes Monachi in ultima ægritudine Abbati ſuo adſtitêre, & piè defunctum è tuguriolo in Templum hoc detulêre, ac primas ei dedêre preces, pompam funebrem Lorvani in Cœnobio executuri, ſed nullis viribus, nullâ arte moveri loco ſe funus permiſit. Viſo itaq; prodigio, ſepulturam ei dedêre in Templo: oſſa, quæ hodie ſuperſunt, gigantem fuiſſe teſtantur. Bernardus de Critto ſecundâ parte Monarchiæ, & Chronicon Ciſtercienſe l. 6. cap. 27.

Funus.

CMLXXIV.

Imago B. V. Miraculoſa. DE LABORIBUS. *Toleti in Hiſpania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plenâ; Dominus tecum.

Anagr. *Regem Deum amata alito in ſinu pura à culpa*

1. *Nomen Imaginis teſtatur gratias.*
2. *Laboribus omnia vendit Beatiſſima Virgo.*
3. *Pigris & otioſis ſpes exigua.*

HÆc Sanctiſſimæ Deiparæ Imago in eo Reverendorum Patrum Capucinorum Cœnobio eſt, quod de Conceptione appellatur, utique Beatiſſimæ Virginis Immaculatæ, colitur magno populi concurſu, originem ejus aliam non inveni, niſi quòd ex Urbe Toletana huc allata ſit.

Porrò in ea Urbe jam habuiſſe principium aliquod juſti cultus eſt credibile quando id nomen indicat utique non ſine cauſa Sacræ Iconi impoſitum ab auxilio, quod præſtat laborantibus, quod niſi fallor expectare hîc otioſi non poſſunt. Cæterùm quandoque locutam eſſe memorant, plura tamen non habeo dicere. Ita Alfonſus de Vargas in Hiſtoria hujus Templi.

Otium.

CMLXXV.

CMLXXV.

Imago B. V. Miraculoſa. DE HORTIS. *Eliocratæ in Hiſpania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *O anima cara & pura Deum genitum alis.*

1. Qui vovet impetrat.
2. Si reddis, quod voviſti, auxiſti gratiam.
3. Victoria victoriam parit.

ALfonſus, cognomento ſapiens, Rex Hiſpaniæ vovit Deiparæ Templum, ſi *Eliocratam* Urbem Saracenis eriperet. Eripuit, Templúmque ex Voto Deiparæ brevi ſtetit, & Sanctiſſimæ Virginis Statuæ titulum dedit *de Hortis*.

Hoc miraculoſæ Statuæ initium fuit; ſed longè melior progreſſus: etenim per invocationem Beatiſſimæ Virginis in hoc Templo ad Sanctiſſimam illius Imaginem plurimas dehinc de Mahometanis victorias adeptus eſt Alfonſus, tum per ſe, tum per ſuos, quos Regno Murciano Præfectos habebat. Victoria. Ita Alfonſus de Vargas in Hiſtor. hujus Templi.

CMLXXVI.

Imago B. V. Miraculoſa. DE OLIVA. *Guimaravij in Luſitania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dom nus tecum.
Anagr. *Eva uti alma ac munda Genitorem paris.*

1. Argenteum donum & Regium.
2. Origo nominis ab Oliva.
3. Creſcens Oliva miſericordiam portendit.

IOannes Primus Rex Luſitaniæ ad honorem Deiparæ, cui erat addictiſſimus, tria molitus eſt Templa: primum Bataliæ, cui à Victoria nomen dedit: alterum Olyſippone, quod de ſcala vocavit: tertium Guimaravij, cui cognomentum de Oliva dedit, quæ fornici proximo innaſcens in honoribus eſt.

Huc Rex bis pedes peregrinationem inſtituit votivam, tantúmque argenti Deiparæ obtulit, quantum opus erat ad pondus æquandum ſui corporis cum cataſractus incederet, victorias ſuas huic Deiparentis Statuæ adſcribebat. Donum. Cæterum de reliquis miraculis nil inveni.

Vaſconcellus.

CMLXXVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE SVDORE SANGUINEO.
Alicubi in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Euge ò Triadis manna purè immaculata.*

1. Veritatis præcones etiam dæmones.
2. Publicum portentum omnes terret.
3. Manus Mariæ potens.

JUvat vel ab ipſis dæmonibus ea intelligere, quæ ad gloriam Dei & noſtram ſunt ſalutem. In Templo quodam inferioris Germaniæ, cujus nomen more illorum temporum non nominatur, Anno. 1222. præſente populo Sudare cæpit Statua Deiparæ Sanguinem. Neminem non horror corripuit triſtiſſimi ominis. Sudor porró tam copioſus fuit, ut ſudoris ſanguinei Guttas Matronæ peplis exciperent, & quantùm poſſent, extergerent.

Adhæc ipſa temporis ratio auxit terrorem, quòd ſacrificium miſſæ tunc à Sacerdote offerebatur. Quiſque ſibi hoc omini ingeriè cælo & neſcio quid portendi metuebat. At privatos timores diſtulit dæmon, quem energumena tunc circumferebat, pro poteſtate interrogatus: *Filius Mariæ,* inquiebat, *manum extendit ad feriendum, quam ſi ipſa non tenuiſſet Maria, mundus jã non ſubſiſteret, hæc cauſa ſudoris eſt.* Quid porro honoris Statua hæc miraculoſa accepērit, quæque beneficia ſupplicibus præſtiterit, non memorat auctor. Cæſarius l. 7. c. 2. Dæmon.

CMLXXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
S. BERNARDINI.
Senis in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Tu Regia pura munda nota mali micas.*

1. Educatio proba pretioſa.
2. B. V. ſi bene colitur quotidie collitur.
3. B. V. in S. Bernardinum favores.

NOn debeo omittere notiſſimam Juventuti ſcholaſticæ Imaginem Marianam, quæ extra portam Comolliam Vrbis Senenſis inſigni pictura fulgebat. Hanc Bernardinus nullo non die accedebat, venerabatur, denique in tantos honores evexit, ut vel propter Bernardinum pro miraculoſa haberetur. Inſtitutionem primam parentibus & Materteræ *Dianæ* debuit, quæ nihil illi magis inculcavit quàm Deiparæ cultum, & verò etiam nactus animam bonam juvenis, nihil non cum fructu accepit: ad Materteræ genium factus, plura, quam docebatur, didicit.

Notandum quòd ipſe S. Bernardinus

dinus in quadam concione de ſe dixit, appono ipſa verba, quæ audiviſſe ſe ait Auctor. Sic habent: *Ego Bernardinus Beatiſſimæ Virgini me totum ab ineunte ætate devovi. In natalitio ejus feſto natus & baptizatus ſum: illo ipſo recurrente die monaſticum habitum completis Annis legitimæ ætatis indui: ac me anno, poſt eodem die Divi Franciſci Inſtituti profeſſione devinxi. Eodem natæ Virginis feſto, quo etiam immaculati agni Hoſtiam ad Altare Sacrificij incruenti primitias immolavi, multis igitur nominibus ſedulũ me oportet eſſe cultorem.* Negat Bernardinus, S. Bernardini Hiſtoricus, quenquam ſe audiviſſe, qui de Virgine libentiùs, alacriùs, ardentiùs, copioſiùs, eruditiùs, ac ſæpiùs pro concione diſſereret. Surius menſe Majo. In vita. Gratiæ.

CMLXXIX.

Imago B. V. Miraculoſa.
OMELENSIS.
Omelij in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *In lapſu Adami tu recta mane mea Virgo.*

1. Statua locum mutans.
2. Famis periculum non minus periculo maris.
3. Statua aurum reſpuens.

CONſtans eſt & perpetua incolarum & accolarum traditio, à diverſis fide dignis jure jurando non ſemel firmata, ante omnem hominum memoriam (nam annus inchoatæ pietatis incertus) Deiparam Virginem hoc loco miracula varia patrâſſe, & ex eo devotiſſimè ſemper cultam fuiſſe. Inventa primùm traditur exigua illius Imago in ſtipite ſepis, alicujus averruncandis animalibus in agro contextæ: nec ſcitum, à quonam illic collocata, niſi forſitan Angelorum miniſterio, quod non ſemel hîc evenit, ſiquidem circumvicini augendæ illius venerationi, inventam hanc S. Iconem ad Eccleſiam porochialem de *Aſten* detulerunt, rati locum hunc ſacrum ei eſſe magis convenientem. Statua. Sed ecce rem verè ſtupendam. Mané diei ſequentis, eam iterum priſtino ſuo loco ad ſtipitem invenere, & hoc vicibus aliquot utrinque iteratum eſt. Itaque rei novitate perculſi accolæ Parocho S. Statuam tradunt, ab ipſo collocandam in altari B. Virginis: ac ne qua fraus ſeu humana opera, malitioſè interveniret, claves templi bene obſerati Parochus domum tulit, & ſubcervicali ſuo, cui indormiebat, repoſuit. Et verò humanis conatibus hac diligentia ſatis obviam itum eſt; ſed non item divinis: poſtera enim die iterum priore in loco reperta, fidem fecit, vera dixiſſe colonos. Quapropter ſua in ſede relinquendam, eique Sacellum ædificandum judicârunt omnes. Ruſtici. Interim dum advenirent pecuniæ, loculus è Ligno fabrefactus eſt, & eo in loco defixus Sanctam Statuam præ-

tereuntibus decorè exhibuit, factus eſt, paulò pòſt accurſus eorum, qui ſe adjutos faſſi munera detulerunt.

Ne apud poſteros memoria periret diei, qui erat ipſum Paſchatis feſtum, feria ſecunda Paſchæ numeroſiſſima ſupplicatione S. Statua honoratur. Porrò Sacelli

Mercator erectio prætereunda non eſt. Joannes van der Haven mercator navi ferro onuſta vagabatur per mare, nullo vel navis vel ſuo periculo, niſi quòd fame omnibus pereundum erat, ſi non cito alicubi appelleret. Cùm hæc ſibi verba ingeri ab incognita voce audijt. *Ioannes van der Haven! ſi præſens periculum evadere deſideras, in Omelte conferas. Ibi invenies exiguam B. Mariæ Imaginem, per te elevandam. Hoc cura, & diſcrimine hoc liberaberis.*

Navis. Non ſurdo facta eſt hæc admonitio, votum námque mox concepit, & locum Omelenſem, & in eo Imaginem Deiparæ omni cura poſthabita ſe inquiſiturum promiſit: quam ubi invenerit omnem operam ſe adhibiturum, ut quàm decentiſſimè colatur. Votum ritè conceptum ſecutus eſt ventus, qui navim eam in portum deduxit, quem optabat. Exſcenſione facta primùm inquirit locum, & S. Statuam ad ſepem invenit, quam quia cuſtodem non habuit, ſecum abſtulit, pictoríque locavit inaurandam: ſed illa omne aurum reſpuit. Itaque Parocho reportat, novis miraculis commendatam, tantumque auri dat, quantum venuſto Sacello ædificando ſufficere poterat, in quo omnem rei ſeriem deſcribi juſſit; ne peregrini qui magno numero accurrunt, pietatis initia ignorent. Ex libello impreſſo & ab Epiſcopo loci approbato.

***

CMLXXX.

Imago B. V. Miraculoſa AUXILIATRIX.

Auguſtæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Tu cor animæ pura à lue gementis Adam.*

1. Fugit impius nemine perſequente.

2. Hæreſis templorum irreverens.

3. Ingenioſè templum B. V. ſervatur.

AD Auguſtanam urbem refero hoc templū, quod licèt plus tribus ab ea horis in campo Licio diſtet, ad memoriam tamen victoriæ, quam Otto Imperator contra Ungaros ſeu Hunnos eo in loco obtinuit, priore ſæculo à pijs erectum eſt. Victoriam hanc deſcripſi ſupra Imagine 969. Initio Sacellum fuit, ſed grande & altum formâ rotundâ: Statua B. V. è ligno ingens in Altari, initio ſtatim habuit peregrinos, & vota ferentes, loco ſtat commodiſſimo: vix enim templum hoc præterire poſſunt, quotquot è ſeptentrione in Italiam iter habent, ſi quidem Auguſtanam urbem non prætereant, quod pauciſſimi faciunt.

Bello

Bello Suecico ſine defenſore omnia permanſiſſe integra, miraculo non caruit: præter unam enim alterámve domum nulla longè Campus. latéque in illa campi Licij planitie videtur, non omittam, quod lectori placiturum eſt, quódque mihi ipſe qui rem peregit, civis Auguſtanus Catholicus narravit in hoc ipſo templo. Deſcenderam, inquit, Landſpergâ: jámque vicinus ad centum, & ampliùs paſſus videram currus, quos funales equi quatuor ſingulos ſed vacuos trahebant, ratus id quod erat, veniſſe Suecos, ut tectum æreum magni pretij aufferrent: aderant enim milites Sueci complures, laborem illo adhuc die peracturi: miſerebat me templi miraculoſi, non ſine deſiderio abigendi hos primæ notæ latrones, ſi poſſem, quid enim egò ſolus ſine ſocijs ſine armis nec ipſe vel rerum vel vitæ ſecurus? ad hæc pedes eram, & fatigatus; ut ne ipſe, ſi vellem, fugere equites poſſem. Cùm in mentem venit conſilium, quod effectu Fuga. ſuo non caruit: ſolus ego, quotquot erant, in fugam egi effuſiſſimam nullo meo periculo, niſi quod penè riſu crepuerim. Diſtabam, ut dixi, centum & ampliùs paſſibus, cùm cæpi currere, quantùm per vires poteram, templúmque nulla religione præterij, atque ipſos etiam milites jamjam ad templi ſpolium accinctos prætervolaturus effuſiſſimo curſu, cùm illi detentum me quærunt, cur ita currerem, quem fugerem, cùm Latrones. nemo appareat, qui me perſequeretur? tum ego, timeo equites Croatas, quos utinam effugere poſſim! ſinite obſecro. Illi, ut qui ſcirent, qui eſſent equites Croatæ, ad funes curruum reſpexere eóſque ſecuere, conſcenſis equis bini, cæteros præcurrentes effuſiſſima fuga ſecuti ſunt. Mortis certiſſimæ metus vetuit eos circumſpicere, an in tam patenti campo quiſpiam appareret. Ita relictus ego Deiparę in templo gratias egi, & ab ea alias expectavi pro liberato hac vice templo. Hæc ille mihi. Templum hoc propter inſignia & continua miracula ita divitijs auctum eſt, ut perfracto muro ædificij rotundi, adſtructum ſit amplum & ſpecioſum templũ, rotundo illo in vicem chori relicto RR. PP. Franciſcani S. locum curant in adjuncto Cænobio.

D L M X X X I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE GRATIIS.
Alicubi in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Eva origine munda, & partu alma micas.*

1. Viſio mirabilis.
2. Dolor capitis curatus.
3. Imaginum aſpectus utilis.

R. P. Martinus Guttierius Soc. IESU Hiſpanus, & Cardeliaci pro fide in carcere mortuus, ſingularis B. Virginis cultor fuit: cui illa ſe viciſſim tam otioſè ſpectandam dedit,

dedit, ut colorem vultûs ejus ac lineamenta notaret; dicerétque interdum, hanc quampiam, præ illa altera Imaginem illi eſſe ſimiliorem. Admirabile orationis donum per eam divinitus obtinuit: nam cùm pertinax capitis dolor eum prorſus ab orando impediret, idque ipſe ferret ægerrimè, confugit ad Virginem Patronam; & illi ad Imaginem, quæ hodièque ſervatur, & in magno honore habetur, accidens enixè flagitavit, ut per eam liber ab orandi obſtaculo evaderet, & etiam obtinuit. Imago.

Conſueverat item poſt cibationem ſubſiſtere tantiſper in triclinio, dum ſpectabundus animum paſceret effigie Virginis, quæ ibi pendebat: tantíſque ex eo ſpectaculo æſtuabat incendijs, ut priùs ad ſedandos animi motus, eum oporteret in proximum aliquod conclave ſecedere, quàm ad aliorum congreſſum veniret. Imaginum iſtarum pietas, & devotio ad ſocios abijt, & in Collegio theſauri inſtar fuere, quod lectori cogitandum relinquit, quando Auctor ait, hodiéque conſervari, R. P. Philippus Alegambe Parte 1. de mortibus illuſtribus folio 71. R. P. Martino Guttierez. Oratio.

CMLXXXII.

Imago B. V. Miraculoſa.
MASTRILLIANA.
Neapoli in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Tu Regina, & pura omnis maculæ Adami.*

1. Tempus Nativitatis Myſterioſum.

2. B. V. partum facilitat.

3. Imago Maſtrillianæ domus.

R. P. Marcellus Maſtrillus Soc. IESU Nobili genere Neapoli natus eſt anno 1603. 14. Sept. feria ſexta ſacroſanctæ Crucis Exaltationi dedicata, ut qui viloquendi rudimenta in ſacro Mariæ nomine poſuit puer, & Arrham ſuæ in illam devotionis ab illa uſque infantia accepit, cujus interceſſione atque ope eum ſe Mater enixam fuiſſe teſtata eſt; cùm illi ſua in Imagine, quam gentilitia majorum religio propriam celebrabat, in partu ſupplicâſſet, conſervatur hæc Imago in magna veneratione, propter viri inſignem virtutem, & miraculis plenam vitam mortémque pro Chriſto duriſſimam, quam in Japonia ſuſtinuit, multíſque antecedentibus tormentis gravem: Quæ fusè in ejus vita deſcribitur, hæc accepi ex R. P. Philippo Alegambe parte 2. de mortibus illuſtribus folio 466. R. P. Maſtrillus.

CMLXXXIII.

Imago B. V. Miraculoſa. CONCEPTIONIS IMMACULATÆ. *Sevilliæ in Hiſpania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *I, Sancta, imo gaude æternùm pura mali.*

1. *Mancipiorum inſignis in Beatiſſima Virgine pietas.*
2. *Virtus inaudita in mancipio viſa.*
3. *Dominus à ſervo diſcit virtutem.*

EST Hiſpali, ſeu Sevilliæ inter quamplurimas Sodalitates una, quæ titulum habet Immaculatæ Conceptionis, uti quamplurimæ aliæ habent. Hæc non admittit niſi mancipia, quę alibi locum non invenirent. Cùm Regis Philippi IV. inſtinctu paſſim per omnem Hiſpaniam Sodalitates Marianæ ſolenne juramentum inſtituerent, defendendi Conceptionem Immaculatam, factum id eſt Hiſpali an. 1653. menſe Septembri à Nobilitate ſumma pompa. Quo exemplo commota mancipia, quorum, ut dixi numeroſa hujus tituli Congregatio eſt, concluſère, pompâ & ipſi, qua poſſent, Deiparæ hoc juramentum præſtare. Octo diebus duravit coram hac Sancti Oratorij Imagine inſignis pompa, cantatis Officijs, Veſperis, habitis Concionibus & Proceſſionibus inſtitutis, aliíſq; pijs exercitijs, non ſine magnis expenſis. *Congregatio.*

Franciſcus Pagnozius fol. 376. in ſua Maria Triumphante memorat, illo octiduo expenſa decem millia ſcutorum Italicorum non ſine ſenſu ſingulari totius Urbis, mancipia in tantam pietatem erigi poſſe mirantis. Erat inter mancipia illa vir, non ampliùs ſervitute conſtrictus, & paulò antè tum propter inſignem fidelitatem tum etiam pretio à ſervitute emancipatus: is coram hac S Imagine adeò in Virginem Immaculatè conceptam fuit inflammatus, ut virtutem oſtenderet mundo, à me nuſpiam lectam vel auditã. Optavit ille eo in pietatis fervore, quem ex aſpectu Imaginis acceperat, contribuere etiam de ſuo, ut feſtum hoc tanto ſolemnius perageretur, ſed paupertas vetabat exequi, tam pium deſiderium. *Pietas.*

Vide Lector, quid amor in Deiparam poſſit, quódq; etiam magna virtus in corde ſervi locum inveniat. Dominum ſuum, à quo manumiſſus paulò antè fuit, iterum adijt ſéq; ei iterùm in ſervum obtulit, ſi pecunia condigna emereretur Dominus fidelem atq; utilem ſervum amplexatus ducenta ei ſcuta dedit, iterúmq; pro hac pecunia eum ſibi ſervum fecit: at ſervus acceptam pecuniam quamprimùm ad Congregationis Pręfectum tulit, impendendam in hoc Deiparæ feſtum. Pręfectus furtum ratus, quęſivit, unde illi paulò antè pauperi tantæ pecuniæ, liberè ſervus edixit, Virginis amore iterùm ſeſe in *Venditio.*

Ppppp ſer-

ſervum vendidiſſe Domino, à quo paulò antè ſe liberâſſet. Itum ad Dominum eſt; inventúmque, quod ſervus dixerat, veritate ſuâ non carere. Cæterùm ne Dominus à ſervo vince retur, iterùm eum non repetita pecunia libertate donavit, Deiparæ amore & ille ad hanc liberalitatem adactus. Stupe Lector unà mecum, & mirare tantam in vili mancipio virtutem, & non dubita miraculoſam eſſe hanc Imaginem Deiparæ; etſi nullo alio miraculo celebris eſſet. Ita cit. Auctor.

CMLXXXIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE LACHRIMIS.
Arezzi in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena Dominus tecum.

Anagr. *Ito munda macularum ager Sapientiæ.*

1. Statua effundens lacbrimas.

2. Coronatio Statuarum Beatiſſimæ Virginis ſolennis.

3. B.V. nunquam gratis honoratur.

Statua hæc Deiparæ jam pluſquam ducentis annis in honore eſt. Cauſa honorum fuerunt lachrimæ, quas ſpargere viſa eſt magnorum malorum prænuntias; hinc in honoribus eſſe cœpit. Porrò hodiéque & vultus triſtis, & lachrimarum aliqua ſigna à curioſis adhuc ob ſervantur. Mirum quantum Arezzini ponant fiduciæ in hoc ſuo theſauro & beneficiorum cornucopia.

Hæc tamen pietas quàm plurimùm crevit anno 1607. feriâ tertia Paſchæ, qua die inuſitatâ illic loci pompâ corona pretioſa S. Statuæ eſt impoſita. Coronatio. Credi vix poteſt, quantùm hæc Coronationis cerimonia & Virgini placeat, & civibus proſit. Experiuntur quotquot Urbes hac pompâ Virginem honorârunt. Pagnozzi in M. triumph. f. 600.

CMLXXXV.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE BAGNO.
Aretini in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Non es vectigal Diti, pura aurea Mamma*

1. B.V. apparens, Templum petit.

2. Veneficiorum remedium.

3. Fons miraculoſus.

Terra, ſeu pagus iſte oliàm Aretinum vocatus, hodiegli Florentia nomen habet, & Florentinum appellatur, hìc loci Statua Deiparæ ſummis in honoribus eſt in tota ditione Caſtiglionenſi. Initium cultûs con

gitti-

git anno 1200. quo Beatiſſima Virgo duobus paſtoritijs puellis ſe viſibilē ſiſtere dignata eſt, quibus etiam poſt abactum terrorem loqui ſuſtinuit, & imperare, ut ijs, qui cùm poteſtate prę ſunt, dicerent hîc loci ſe Templum velle, in quo experturi eſſent gratias, quas illa ſupplicibus non parcâ manu eſſet largitura.

Prudentia Magiſtratuum tanta fuit, ut tertia Virginis Imperia expectarent, ſuſtinuit incivilitatem Virgo & non niſi miraculo vincendis, fontem dedit limpidiſſimum, atq; etiam initio ſtatim miraculoſum: quidquid enim veneficiorum eſt, quo afflicti torquentur, hâc aqua cum pietate potâ vel applicitâ, diluetur, ſed& reliqui quicumque morbi, ſi pietas non abſit, curabuntur. Hinc primum in loco Sacellum eſt ædificatum creſcentibus beneficijs, ſtructum eſt paucis paſſibus â Sacello Templum juſtæ magnitudinis, eíque importata cum debitis cerimonijs Statua: ſed alterâ die iterum in Sacello reperta docuit, ibi ſe honorari velle, ubi puellis paſtoritijs primùm apparuerat, bis, térve, aiunt, hanc loci mutationem accidiſſe.

Porrò miracula per aquam illam adeò celebrata ſunt, ut non modo è vicinia, ſed etiam è longe diſſitis locis huc accurrant miſeri. Pagnozzi in Mar. triumph. f. 602.

CMLXXXVI.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE ITRIA.
Meſſinæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. ***Dei gemmata Vrna i, emicans pura à luto.***

1. Poſteriora derogant prioribus.

2. Feria tertia B. V. dicata.

3. Pietas populi indeficiens.

PLures hujus nominis venerandæ & miraculis claræ Imagines ſunt in Urbe Meſſinenſi. Hæc, quæ in Templo Sancti Joannis Baptiſtæ colitur, quod Equitum Jeroſolymitanorum eſt, omnium prima creditur, quæ huc allata ſit ex Urbe Conſtantinopoli, & antiquiſſima, illius verum Ectypon, quæ ea in Urbe prima & principalis fuit,

Duæ olim numeroſæ Confraternitates hujus S. Imaginis cultum promovebant, quæ propter alias aliáſque hujus tituli recentiores Imagines, defecerunt. Non tamen defecit pietas populi, quin hodiéq; feriâ tertiâ ſingulis hebdomadibus quamplurimi ſint, qui hoc Templum ritu antiquo & ex Urbe Conſtantinopolitana allato, viſitent & feriâ tertiâ poſt Paſcha celebri feſto locum honorent. Ita R.P. Placidus Samperius Soc. JESU in ſua Iconologia Meſſinenſi l. 7. cap. 7. Pietas.

CMLXXXVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
ÆRLANA.
Ærlæ in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *O Virga & palma virens & munda amica.*

1. Cultus à Spectris.
2. Rudera Templi ablata.
3. Conventus Angelorum.

FUit olim eo in loco, ubi hodie Capella viſitur, Crux lignea juxta viam, & in ea exigua B. V. Statua. Fuit quoque, qui hanc aufferret, & in domo ſua nullo cultu afficeret. Diſplicuiſſe Virgini factum hominis temerarium, didicit ſuo damno Herus: Tamdiu enim nec ipſe nec inquilinorum ullus ſine timoribus, quos ſpectra inferebant, vixit, dum ille Statuam iterum ſuo loco reſtitueret: tum enim vero finis fuit etiam timorũ. Ita quæ ad publicas vias ſunt Deiparæ Imagines, majorem habent cultum, quàm multi mente ſua concipere poſſunt.

Fama fecit accurſum: hic pietatem excitavit: hinc beneficia, quæ miſeris á B. Virgine collata ſunt, & ex his tantum æris, ut brevi ſacellum ſtaret, ſtetitque uſque ad hæreſin iconoclaſticam. Id notandum: omnes, quotquot ſacelli diruti ligna & lapides ad ſuos uſus abſtulerunt, gravibus pænis afflictos, didiciſſe malorum ſuorum cauſam hos lapides eſſe. Quin etiam Virgo non tulit lapides ſuos vel ad parochialis Templi inſtaurationem adhiberi: ſiquidem & hi temeritatis ſuæ pænas dedêre. Auditi ſunt ad rudera Angelorum concentus & Campanæ ſonus, qualis olim erat, cùm ad miſſam acciretur populus. Vnde nemo non arguebat, iterum Virginem hîc coli velle. Quapropter Epiſcopus Silvaducenſis anno 1597. ſuis aliorúmque ſumptibus ſacellum hoc reſtituit Wikmans l. 2. c. 28. Rudera. Campana.

CMLXXXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE SANITATE.
Meſsinæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Tu eris manna: imò diva magè pura lacte.*

1. Confraternitas inuſitata.
2. Modus miraculorum novus.
3. Corona ſanans ægros.

A Ducentis & amplius annis hæc miraculoſa Deiparæ Statua honores ſuos accipit à Confraternitate numeroſiſſima honeſtiſſimorũ virorum, in qua eorum tamen major eſt numerus, quibus penna cenſum dat, ut ſunt Doctores, advocati, procuratores, judices aliiq; qui ad dignitates congruente labore ſe diſponunt. Fun-

Fundatorem porrò hæc confraternitas habuit Alphonſum Regē Aragoniæ, cujus ordines & privilegia hodiéque in dictâ Congregatione vigent, modus autem, quo ſanitatem infirmi conſequuntur, hic eſt. Petunt & obtinent coronam argenteam, quam S. Statua habet in capite: eam magna devotione & fiducia oſculantur, & caput tangunt; non tamen capiti imponunt, & ſanantur. Corona. Die Mercurij quavis hebdomade tempus gratiarū eſſe, jam dudū urbi perſuaſum eſt: hinc concurſus. Feſtū 1. Julij ſūmâ pompâ celebratur. Novi templi, quòd parùm ab antiquo diſtat, fundamēta ſunt poſita 18. Auguſti anno 1637.

C M L X X X I X.

Imago B. V. Miraculoſa.
AD LACUM.
Tenæ in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Tu ſanè agna, imò certè diva pura mali.*

1. Copia monaſteriorum.
2. Non hoſpes ab hoſpite tutus.
3. Ignis Cæleſtis templum honorat.

THenenſis civitas hoc præ ceteris urbibus Belgicis habet, ut paucitate civiū conſidera â, tantâ cænobiorū & templorū copiâ floreat, ut hæc ſacra ædificia ſola ſpacium juſti oppidi occupent: & magnæ civitati templorum ſatis eſſet. Eſt in oppidi Thenenſis foro medio ſacellum amplum planè & inſigne, turri præalta & ſuaviſſimi ſoni campanis nobile, cui nomen *B. Virgo ad lacum*. Nominis ratio hæc eſt. Anno 1073. Theodoricus quidam Clericus Pariſienſis Magiſter legens & regens, B. V. addictiſſimus & perpetuo caſtitatis voto obſtrictus, huc ex itinere devenit, divertitque in publico hoſpitio. Theodoricus longi itineris viaticum præſente hoſpite in menſa expoſuit, iterúmque, ut fit, ſuis loculis abſcondit.

Hoſpes admiratione pecuniarū inſanijt, & noctu Theodorium funus fecit: externus eſt, amicis caret, quis cędem reſciet: ita truncum Homicidium. cadaver in proximum & fætentem lacum abjecit, ſecurus fuit. Sed nemo nō fuit, qui non videret ſingulis penè noctibus accenſarum lampadū de cælo deſcendentium numeroſum ordinem, lacum honorantium. Sacrum quid latere dubium non fuit. Fæminam quoq; referunt fuiſſe, quæ non vanè augurata eſt, hic ſuo tempore colendę Deiparæ erigendum templum.

Petitum à civibus eſt hoc ſtagnum, & obtentum à Joanne Lotharingiæ & Brabantiæ duce, hac conditione, ut templum Deiparæ hic loci ſtruerent: quod finem ſuū accepit anno 1297. Dum verò operæ terram effodiunt, & fundamentis jaciendis lacum adaptant, cadaver Theodorici repertum eſt; juxta quod divino miraculo fons tribus diſtinctus venis ſubitò è terra ſcaturijt limpidiſſimam & ſimul ſalutiferā aquā abūdanter ſubminiſtrans, Fons. nulla ægritudine inventa, quā non

pelleret; ſiquidē ab ægro cū fiducia hauriretur ſed & coronis templo addita eſt ingenti miraculo: etenim cùm ab Antiſtite ſacris ritibus Deo in honorem Deiparæ conſecraretur, viſus eſt die medio copioſus è cælo ignis deſcendere, & templum, quantum erat, exurere. Concurſus inde ingens extinguendo incendio factus; ſed ſolus Antiſtes cum miniſtris ſacros ritus exercere repertus eſt, ipsúmque templū omnino à flammis illæſum. Ignis

Porrò feſto Aſſumptæ Virginis Feſtiviſſima ſupplicatio inſtituitur: Statuæ autem innexi ſunt funes longiſſimi, quos plurimi devotionis ergò manu tenēt in ſupplicatione, ſed diſcalceati, & nudipedes, in ſignum reverentiæ, & pænitentiæ, vide lector, quàm diverſis inventis Deiparæ cultus per orbem promoveatur. VVickmans libro 2. c. 37. Funes.

C M X C.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE MALFINO.
Meſſinæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Veni gaude ſancta Mater imò pura mali.*

1. *Virtutem mirantur multi, imitantur pauci.*
2. *Abſentia movet deſiderium etiam in rebus ſacris.*
3. *Miraculum inuſitatum.*

MAlfinus Nobilis, & opulentus civis cùm B. Virgini eſſet addictiſſimus. Palatium ſuum vivens, & valens in Monaſterium Virginum mutavit, & cenſibus, quibus ipſe vixit, dotavit, circa annum 1195. exemplo quod ſequentibus ſæculis plures habuit admiratores, quàm imitatores, Imago, quæ hodie miraculoſa eſt, jam olim etiam in antiquo templo claruit miraculis: ſed ut fit, cum tempore irrepſit tepor, & pietas populi in hunc locum defecit. Hinc Moniales eam in Sacello ſuo domeſtico repoſuere devotioni privatæ aptiorem. Tepor.

Fuit, cùm abſentia Imaginis moveret quoſdam, ut precibus S. Imaginem publico temploque obtinerent, nec abnuit Antiſtita, & Sacello templi ritè ornato Imaginem reſtituit, ſed media nocte iterum in Sacello domeſtico inventa eſt, non ſine omnium admiratione, & nonnullorum etiam terrore.

Imago ſacra tabernaculo incluſa, clave apud Abbatiſſam repoſita, quandoque ſponte aperto tabernaculo ſe viſendam præbuit, certo argumento, invitari aliquam è Monialibus à Deipara ad cælū: quod multis annis prodigiosâ experientiâ probatum, auctor aſſerit. Oleum porrò lampadis dolores quoſcunque vel pellit, vel lenit. R.P. Placidus Samperius Soc. IESU l. 3. c. 20. Miraculum.

CMXCI.

CMXCI.

Imago B. V. Miraculoſa, DE FONTE. *Sterrebornæ in Germania Inf.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *O agna purè lecta immunis reatu Adami.*

1. Fons à ſtella monſtratus.
2. Error viæ felix.
3. Silva à populo frequentata.

PLuribus jam ſæculis hæc Deiparæ Imago miraculis claret,& concurſu populi honoratur: totius devotionis hoc Principium fuit. Duæ Comitiſſæ in Carpento iter fecere Lovanio Thenas. Nocte in ſilvas delapſæ ſunt, quarum denſitas etiam viam abſcondit, præter timores etiam ſitis aſflixit fæminas quæ ad Deiparam converſæ, petierunt, quod Chriſtus à Samaritana, cùm ecce ſtella in cælo, quæcunque illa fuerit, adeò lucida ejs viſa eſt, ut radio ſuo in terram uſque pertingeret, locúmque quendam inſolita luce irradiaret. Illæ luce, quia divina erat, cordatiores factæ, intrepidè accedunt ad ceſpitem, inveniúntque fontem limpidiſſimum.

Comitiſſæ.

Miraculoſum eſſe initio crediderunr ſolæ Comitiſſæ: at verò ægri quoque ex eo biberunt, ſéque ſanari viderunt: populus quoque fidem fœminis habuit, maximè poſtquam accolæ teſtati ſunt, nullas ibi unquam aquas ea in ſilva comparuiſſe. Fontem invocatâ Deiparâ erupiſſe, & ſtellâ monſtrante inventum eſſe. Satis fuit Deiparæ addictis, ut in loco templum exædificarent. Fons etiamnum adeſt, bibitúrque in hodiernum diem cum fructu. VVickmans libro 2. cap. 38.

Fons.

CMXCII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE MISERICORDIA. *Meſſinæ in Sicilia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *O agna præclara, & ſummè munda vitijs.*

1. Pectoris mira converſio.
2. Gratitudo memorabilis.
3. Pictura in mari illæſa.

CÆnobium Sanctimonialium, quod à Miſericordia nomen habet, antiquius eſt, quàm ut origo ejus & fundatio reperiri poſſit. Imaginem habet picturæ Græcæ hæc ſive naufragio ſive ſceleſti alicujus homuncionis injuriâ, per mare ad litus Meſſinenſe devenit, & felici ſortè his Monialibus obvenir, nec mirò caruit, quòd nullo picturæ colorúmque damno per mare illæſa tranſierit, atq; hæc cauſa eſt, cur ſe navigaturi hoiéque huic Deiparæ commendent, & vota fereant, quæ conceperunt inter maris pericula.

His

His majus miraculum eſt, quòd miles impius hanc tabulam conſpicatus, terrore peccatorum ſuorum ita concuſſus ſit, ut plenam & ſeriam vitæ mutationem inſtituerit, vidit nempe lachrimantem in tabula Deiparam, una gutta ad margaritæ magnitudinem, & ſplendorem etiamnum in gena videtur, miles verò, cùm aliud munus non haberet, vaſculum cupreum, quod ſecum habuit, Deiparæ obtulit: quod utinam, inquiebat, meis lachrimis plenum afferre poſſem. Suppar huic miraculo eſt, quod dæmon alicubi exorciſmis preſſus id demum reſpondit, ſe non niſi in templo. S. Michaëlis ad altare Virginis de Miſericordia exiturum. Abnuit fidem exorciſta, & ſi ita eſt, inquit, hìc loci Matrem de Miſericordia contra te invoco, quo dicto dæmon exijt, & vir à porta templi uſque ad Sacellum linguâ terram lambens proceſſit, tanta erat viri gratitudo. R. P. Samperius Societ. JESU, l. 3. c. 6.

Converſio.

CMXCIII.

Imago B. V. Miraculoſa. SATLERIA.

Landishuti in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum

Anagr. *Amanda, & pura Virgo lumine amicta es.*

1. Caſus equi.

2. Conſilium pium.

3. Ephippium pretioſum.

ANno 1322. Ludovicus Imperator victricia ſigna in conſpectu Landishutanæ Urbis explicavit. Jam locum cui viridi valli nomen eſt attigerat, cum equus cui inſidebat, occulta unde undè vi conſternatus, ſub ejus pedibus corruit, nec potuit notæ vocis ſono, aut ulla vi excitari. Idem ſtupor Seſſorem equo affixit, ut manifeſtius eſſet prodigium, homine jumentoque eadem patientibus. Cùm alij aliorſum omen interpretarentur, Parcivaldus Spornekerus ſtabuli Præfectus pie rem accipiens dixit eo caſu ſignari aream quæ conſecranda ſit Divæ Virgini, cujus clypeus haud dubie Ludovicum ante triduum in pugna protexerit, & pugnanti dederit in manus victoriam. Ea vox illicò magno aſſenſu accepta: promiſſa Deo in honorem Virginis Auxliatricis ædes, eidemque equus cum Phaleris, & Regius cultus omnis, quem Ludovicus triumphali pompæ convenientem ſumpſerat contributus. Voto conceptis verbis facto, continuo Ludovico animus, equo vigor redditus. Ædes hodieque ſupereſt nomine Sattleria, ab Ephippio dicta quod apprimè ſumptuoſum in cætera Sacelli dote magni fuit æſtimatum. Hiſt. Bav. parte 2. l. 1.

CMXCIV.

CMXCIV.

Imago B. V. Miraculoſa. DE BASICO.

Meſſinæ in Sicilià.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Adeſto munita igne, mirè pura à macula.*

1. E quamplurimis unus ſolus ſalvus.
2. Ruina miraculoſe innoxia.
3. Architectura abolet pietatem.

NOmen Templi ex Græco corruptum eſt. Baſilica, ſeu Capella Regia, olim dicebatur. Ita vocat anno milleſimo trecenteſimo vigeſimo, Fridericus Secundus in privilegio & donatione facta Sanctimonialibus Sanctæ Claræ. Imago Deiparæ longè antiquior eſt, & olim muri tegebantur tabulis, catenis, Navium ramentis, aliiſque acceptarum gratiarum monumentis: quæ omnia vel tempus edax conſumpſit, vel Templo in hanc venuſtiſſimam formam redacto, Architectus ſemovit, ſi pauca excipias. Naufragus, qui ex omnibus magnæ navis vectoribus ſolus & unus in terram vivus evaſit, huc facto ad Deiparam Voto, venit & gratias egit. Sæculo priore milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſeptimo, tres è Sanctimonialibus in tertia Monaſterij contignatione ſub tecto opus fecère; cùm laxatis Monaſterij muris ſubſidere tectum cœpit, & unà cum Monaſterij non modicâ parte in unum cumulum concidere, clamantibus unâ voce Virginibus; Sancta Maria de Baſico Patrona Monaſterij. Ruina.

Quæſita ſunt ad ſepulturam Sororum corpora ſub ruinis & ruderibus, & licèt clamor vivas eſſe indicaret, miſerè tamen quaſſatas nemo non opinabatur: cùm ecce remotis trabibus & ruderibus ſanæ ac ſalvæ prodière tres Virgines: quas momento ad Chorum Templi adductas Deiparæ ſtitit Abbatiſſa, inter cantus & plauſus Sacrarum Virginum. Feſtum celebrant feriâ ſecundâ Pentec. R. Pater Placidus Samperius Societatis JESU l. 3. cap. 10. Miracul.

CMXCV.

Imago B. V. Miraculoſa. ALTERIUS ECCLESIÆ, *Geldoniæ in Germania Inf.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Tu Virga Aaron, piè & almè mundamicas.*

1. *Infantes ad Baptiſmum redivivi.*
2. *Herniæ Cura frequens.*
3. *Alberti Magni ſepulchrum.*

ANte omnia nominis & loci ratio exponenda eſt: Noſtra Domina *d'autre Egliſe*, ſeu *alterius Eccleſiæ* vocatur jam à pluribus ſæculis, ideo quia nullum aliud Templum ex omnibus, quæ Sanctus Maternus ſtruxit, noſtrâ memoriâ ſuper eſt præter Tungrenſe, adeóque altera ſeu ſecunda Eccleſia appellatur, quod nomen ipſe pagus, in quo eſt, obtinuit. Porrò quia pagus hic propè Geldoniam eſt, Geldoniam in titulo poſui, ne inuſitatis vocibus lector turbaretur. Conſtans opinio eſt, Templum hoc à Sancto Materno ædificatum eſſe, & Deiparæ dedicatum, ut antiquus Poëta loquitur. *Creditur hoc Templum Materni tempore ſtructum &c.* Itaque, quod illis in partibus vel nullum aliud Templum præterquam hoc ſit Deiparæ ædificatum; vel certè jam dudum nullum aliud ſuperfuerit, *ſecunda* ſeu *altera Eccleſia* dicta eſt. Ad Statuam Sanctiſſimæ Virginis, quæ quatuor pedes alta eſt, hodiéque durat accurſus peregrinorum.

Prodeſt omnibus; præ cæteris tamen Hernioſi hic opem inveniunt, & extincti ſine baptiſmo infantes. Id notabile, quod hoc in Templo quieſcat magnus ille Deiparæ ſervus *Sanctus Albertus Magnus* Epiſcopus Ratiſponenſis ex Ordine Sancti Dominici, & Præceptor *Sancti Thomæ Aquinatis*, cujus feſto die hæc ſcribo: appono verba, quæ Wikmannus ex Archivio Eccleſiæ illius accepit, & l. 2. cap. 46. poſuit, ſunt iſta: *Quidam F. Albertus de Colonia Ordinis Fratrum Prædicatorum Epiſcopus olim Eccleſiæ Ratiſponenſis requieſcit in Eccleſia Beatæ Mariæ de altera Eccleſia.* Ubi adverto, dici eum de Colonia, non quòd ejus Patria ſit (eſt enim natus in Superiore Germania in Sueviæ Urbe *Lavingâ* propè *Dilingam*) ſed quia Coloniæ longis annis docuit & diſcipulum Sanctum Thomam habuit, Annoſus illius Urbis incola: nam poſtquam Ratiſponæ in Bavaria docuit ea in Cathedra, quæ hodie dum ſupereſt, atque in Epiſcopatum aſſumptus eſt, & Eccleſiæ Ratiſponenſi egregiè tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus (ut

Hernia.
Albertus Magnus.

(ut hodieque rationes docent) præfuit, ſponte inter lachrimas cleri reſignavit, & ad ſcholas ſuas Coloniam redijt.

Coloniæ Albertum obijſſe certum eſt, quomodo autem ejus ſepulchrum in hoc Templo ſit, ego unà cum Bzovio anno milleſimo, ducenteſimo octoageſimo non video, vixerit ille, qui id ſcripſit, quod in Archivio repertum eſt. Cæterùm alius Albertus è Dominicana Familia ad Sedem Epiſcopalem Ratiſponæ non aſcendit, ut ſibi imaginatur.

Wikmannus. Cętera omitto.

CMXCVI.

Imago B. V. Miraculoſa.

DELLA NOVELLA.

Meſſinæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *A gravi ploratu & à nece Adam immunis.*

1. Modus obtinendi prolem.
2. Remedium ſterilitatis.
3. Moniales S. Baſilij.

MOnaſterium hoc Virginum à prima ſua fundatione Regulam habuit Sancti Baſilij, eſt in ea præter alia B. V. altaria unum, quod de Nativitate Beatiſſimæ Virginis nomen habet.

Numeratur hæc Sacra Imago inter miraculoſas, tum propter alias gratias, quæ hìc obtineri ſolent, tum quia fæminæ illæ, quibus natura prolem negat, hìc prolem impetrant. Porrò modus impetrandi eſt iſte: novem diebus ante feſtum Nativitatis Beatiſſimæ Virginis quotidie Templum hoc viſitant, & Miſſam data eleemoſyna in hoc Altari quotidie curant dici, ipſo denique feſto facta ritè confeſſione communicant, & exaudiuntur. Hæc Reverendus Pater Placidus Samperius Societatis JESU l. 3. cap. 19.

CMXCVII.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE COLUMBA.

Liſmelli in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *O mira Gemma intacta valdè pura venis.*

1. Fama Templi major quam arcis.
2. Fulcra ſubalaria plurium.
3. Nomen Templi à Columba.

LIſmellum pagus eſt non ignobilis Germaniæ Inferioris propè Abbatiam candidam Ordinis Ciſtercienſis, Nobilitatem ſuam pagus ab arce habet ſpectabili & munita. Longè tamen latiùs fama hujus pagi ſpargitur propter Oratorium perexiguum, in quo Sacra Deiparæ Imago miraculis inclita & Fidelium piâ viſitatione frequentatur.

Miraculorum fidem etiamnum adſtruunt anathemata non è cera tantum, ſed etiam è ferro & ligno; maxime tamen fulcra ſubalaria hìc magno numero videntur, & propter loci anguſtiam nonnunquam comburuntur, ut novis advenientibus locus detur. Nomen à Columbâ, unde acceperit, ignoratur. Anathe-mata.

Wikmannus l. 2. cap. 48.

CMXCVIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE RITTRATTI, *Meſſinæ in Sicilia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *O vita almè pura i, Sancta Deum germina.*

1. Templum mundatum cum fœnore.
2. Curioſitas quandoque pia.
3. Imagines virorum magnorum.

TItulus Oratorij hujus eſt de Succurſu. Colitur Deiparæ Imago picta, quæ fuſte defendit Infantem contra infernale monſtrum, curam habet Congregatio Sodalium de Succurſu numeroſa. Hujus Auctor fuit Nobilis quidam, cui diſplicuit Oratorium hoc deſeri, etenim ut ſqualidum erat totum, ita & omnia ſqualidè, & luridè adminiſtrabantur. Itaque ipſe ſibi æditui officium ſumpſit, omnia labore & ære ſuo reſtituit in ordinem, & reduxit munditiem jamdiu exulantem; quin & frequenter hìc Sacrificium Miſſæ celebrari fecit: denique ne hæc iterum in lurorem ſuum reverterentur, Confraternitatem collegit ſub titulo, de Succurſu, quæ hodiéque inter felices progreſſus durat. Congregatio.

Cæterùm unde nomen vulgo habeat *de rittratti* ſeu de picturis, quæ magnorum virorum vultus ad vivum repræſentant, hinc eſt, quòd, cùm initio, feſto Templi proprio, quod celebratur Dominica infra octavam Aſcenſionis, concurſus populi nullus erat in pridianis ſeu primis Veſperis, unus è ſodalitio pictor in funiculis Adæ tracturus populum, quamplurimis tabulis, quæ magnorum Picturæ.

viro-

virorum vultus referebant, tam Templi propylęum, quàm omnem late aream, ornavit. Res nova curioſos altero die tanto numero attraxit, ut populus Meſſinenſis totus confluxiſſe crederetur: qui concurſus hodiéque durat, quia hoc novo genere ornatus hoc ſolum Templum feſto die ſuo triumphat. Ita nempe vel ipſa curioſitas pia dici poteſt, quia ad pietatem trahit, quis enim Templo jam vicinus non intret, & à Deipara ſuccurſum poſtulet, quem fama eſt, hîc obtineri? Cæterùm cùm Confraternitas regatur à Reverendis Patribus Paulinis etiam Templi cura eis incumbit. Reverendus Pater Placidus Samperius, l.4.c.37.

Curioſitas.

CMXCIX.

Imago B. V. Miraculoſa. LIRANA.

Liræ in Germania Inf.

Progr. **AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.**
Anagr. ***Lagena ſummi meri at condita, pura Va.***

1. Patria Nicolai Lirani.
2. Templum perantiquum.
3. Statua Aſpricollenſis.

Lira non inelegans oppidum non multùm ab Antuerpia diſtat. Templum Beatiſſimæ Virginis creditur jam ante nongentos annos à Sancto Gummaro ſtructum, Statua hodie è quercu Aſpricollenſi eſt in ſummâ veneratione, eò quòd & hîc, ut loquuntur anathemata nec pauca nec exigua ſint, teſtes miraculorum, quæ Cœli Regina ad inſtantiam ſupplicum hîc patrat.

Coluêre Imaginem, & incoluêre ipſum Templum aliquamdiu. Reverendi Patres Dominicani, priuſquam locum haberent Templo & Monaſterio novo aptum. Demum hîc loci natum doctiſſimum illum & notiſſimum Nicolaum de Lira volunt nonnulli. Wikmannus l. 2. cap. 49.

CENTURIA XI.

M I.

Imago B. V. Miraculoſa. CONCEPTIONIS. *Madriti in Hiſpania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *I. Regum nata, nota dumi ac mali pura es.*

1. Conceptio Immaculata.
2. Imaginum B. V. multitudo.
3. Madritum devotum.

IN templo Salvatoris, in Sacello, quod vocatur Caſtellorum, colitur Imago Deiparæ antiquiſſima jam à temporibus Gottorum miraculoſa, quæ omnium earum antiquiſſima creditur, quæ titulum de Conceptione habent. Notandũ: eſt, quod *Quintana l. 3. c. 61.* ſcribit, ex ſeptuaginta tribus templis, quibus Madritenſis urbs exornatur, triginta quatuor dedicata ſunt Beatiſſimæ Virgini, & ex his novem puriſſimę ejus Conceptioni, præter innumera Sacella, & Altaria; ita ut ſolùm Madriti plures Imagines Sanctiſſimæ Virginis colantur, quàm in toto regno Toletano. Madritũ.

Certè Madritenſis urbs omnium prima fuit, quæ voto ſe adſtrinxit celebrandi Feſtum Immaculatæ Conceptionis, & jejunandi in ejus vigilia anno 438. multis annis ante Sixtum IV. atque ante miraculum Beatricis de ſilva fundatricis Monialium Conceptionis, quod univerſam excitavit Hiſpaniam in hujus myſterij devotionem, de quo fusè ſuperiùs ſcripſi. Quintana libro 3. cap. 61. historiæ Madritenſis. Bulla Sixti IV.

M II.

Imago B. V. Miraculoſa. DAMIATENSIS. *Damiatæ in Oriente.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Pura ito, ac alma: nam genitura Deum es.*

1. Exſcenſio navalis.
2. Templum B. Virginis.
3. Pugna inæqualis.

TEmplum ædificâſſe S. Ludovicum in urbe Damiata, & B. V. dedicâſſe, vel certè antiquũ aliquod his uſibus accomodâſſe, nemo dubitat, qui ejus cum exercitu adventum

tum non ignorat, nam cùm appellere naves ad littus non poſſent, Rex lembum ingreſſus, & ad littus per aquas appulſus, exemplo ſuos monuit, quid faciendum eſſet, ita quidquid parvarum naviũ claſſis habuit, exſcenſioni huic adhibitum fuit, pluribus hanc moram non ferentibus, qui ſe mari dederunt, & natatu ad littus pervenerunt.

Atque ut hoc operâ Virginis factum ſit, cujus protectioni omnia ſua ſemper Ludovicus de mandato Matris Blancæ commendavit, (*Mater bona.*) præſentiore tamen Virginis ope opus fuit, cùm inermes adhuc, & imparatos Maurorum globus eſt aggreſſus: (*Apparitio.*) quem tamen ope Virginis, quæ ſe viſibilẽ Mauris ſtitit, eiſque reſtitit, facilè Ludovicus cum ſuis devicit. An equam hæc in Europa è litteris Gallorum ſcirentur, Tortoſæ dæmon exorciſmis coactus prodidit, (*Dæmon.*) ideo hoc à Deipara factum ut Damiatam urbem capere poſſet Ludovicus: ubi, ut ſuprà dixi, ſanctiſſimus Rex pro memorabili hoc Deiparæ beneficio templum dictum dicavit, ſtatuámque poſuit, per quam non hoc uno contenta, plura petentibus daret beneficia, Lonvicus in Vita S. Ludovici.

M I I I.

Imago B. V. Miraculoſa. ROGERIANA. *Plaziæ Sinicilia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Vnica pura malo, amatum Dei generâſti.*

1. Saracenus potens.

2. Prœmium grande.

3. Vexillum potens.

TEmporibus Nicolai II. Pontificis jam omnem penè Siciliam Saraceni habebanr. Spes unica in Comite Rogerio fuir, viro forti ſimul & pio, hunc Eccleſiæ Pater Nicolaus promiſſis & adhortationibus permovit, ut bellum ſuſciperet contra Chriſtiani nominis hoſtes. Prœmium victoriæ Siciliæ Regnum fore in hac vita, cælum in altera. Atque ut eò ampliùs ad tam difficilem ſpartam eum animaret, vexillum ex tela ſerica ei per lagatum tradidit, in quo B. Virgo cum puerulo JESU depicta etiamnum videtur, ad eam formam, qua eam S. Lucas pingere ſolitus eſt. Porrò non ſine pio ſenſu (*Cærimoniæ.*) hæc vexilli traditio peracta eſt: etenim omni exercitu in ſuos ordines diſtributo, inter tympana, & tubas legatus vexillũ explicuit, & ſuſtulit, militibus mirè aſpectu S. Imaginis erectis, jámq; victorias animo præcipientibus: cũ Comes Regerius corã legato genuflexus Benedictione Pontificis accepta, vexillum quoque de manu legati nomine ejuſdem accepit, & cũ vexillo ſpes ingentes, quas in ejus (*Spes.*) vultu jam omnis exercitus videbat.

Non ego hic extra meos terminos vagari volo, & vitã victoriáſq; recenſere. Id ad rem meam (*Vexillum*) eſt, quod, quoties Rogerius

bus

vexillum ſuſtulit in omnibus prælijs animi Chriſtianorum crevêre, Saracenorum cecidere. Atque id quoque non ſine damno notatum eſt, cùm incuriâ vexilliferi quandoque vexillum non eſſet erectum viciſſe Saracenos, & viciſſim, ubi erectũ, omniúmque conſpectui expoſitũ eſt, nunquã Chriſtianos non fuiſſe victores.

Aiunt quoque, ipſam Deiparã non ſemel Comitiapparuiſſe, cúmque ſua præſentia ad prælia animâſſe. Hoc miraculoſum vexillum, quod etiam Plazienſes exiſtimant opus eſſe S. Lucæ (quod non aſſero, tum qui ... ſericoeſt, forte temporibus Chriſti non in omnibus mundi partibus uſitato tum etiam propter alias rationes) quod aſſerit, & probat Auctor. Demum dono dedit urbi Plaziæ; quæ id etiamnum in templo præcipuo, decorè conſervat. Quin & noſtris temporibus miraculoſa eſt Imago: percuſſa bis à Judæo ſanguinem dedit, quomodo autem tempore belli ſit abſcondita cum lampade ardente, inventáque iterum ſit cum lampade non extincta, hic non repeto, ſed lectorem remitto ad Imaginem meam 198. ubi fusè hanc inventionem deſcripſi Ex R. P. Ioanne Paulo Chiaramda Societatis JESU qui librum Meſſinæ à ſe impreſſũ ad me miſit.

Apparitio

Miraculum.

Lampas.

M I V.

Imago B. V. Miraculoſa SPALTENSIS.

Spaltæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Næ tu alma conteras jugum primi Adæ.*

1. *Parentum gloria filius.*
2. *Lutheri principia.*
3. *Cultus B. V. ab hæreticis.*

GEorgius Burckardus civis Spaltenſis opificio Coriarius filiũ habuit Georgium Burckardi: hunc Erfordiam miſit ad Studia, quæ ille tam feliciter proſecutus eſt, ut inter primos ea in Academia haberetur omnibus in ore erat Georgius Spaltinus (nam ad diſtinctionem alterius Georgij Burckardi ſe Spelatinum à patria nominari voluit) hujus ingenium, & grati mores ad Electorem Fridericum pientiſſimum Principem delati, hominem fecêre in aula ita gratioſum, ut brevi Conſilarij aulici titulum & officium nactus, occaſionem haberet ſacris ſe initiandi, eo uſque Principis favore, & ſua dexteritate progreſſus, ut cùm Elector anno 1518. ad magnam illam imperij Dietam proficiſceretur, per longas ambages huc *Spaltam* veniret, non alium ob finem, quàm ut Spalatini ſui genitorem videret atque alloqueretur, unde lector hominis prudentiam arguat, per quam ut alterum Joſephum omnia Principis negotia tranſigebantur, jam opulenta præpoſitura Altenburgenſi ditatum.

Amicus

Interea Lutherus novam ſectam inchoaturus præſidium in aula quæſivit hunc Spalatinum, olim in

ſtudijs Erfordiæ intimum ſocium 3. quanquam jam tunc Lutherus vitam Religioſam profeſſus eſſet, Lutheri conſilia probavit Spalatinus, & auxilia promiſit. Initia doctrinæ, quam Lutherus ſparſit, paſſim videbantur repugnare veræ fidei, monitúmque ſe Fridericus ab Eccleſiaſticis, & ſæcularibus principibus querebatur, videret quam aleret domi viperam. Sed

Apoſtas.

Spalatinus Lutheri jam amicus ita eum principi excuſavit, ut à Friderico erráſſe crediti ſint, quotquot Luthero infenſi erant.

Succeſſit Friderico in Electoratu Ioannes, non mutata Spalatini fortuna, niſi quòd apud hunc adhuc magis eſſet gratioſus, eámque ob cauſam ſuos ſpaltæ venditis omnibus ad ſe Dreſdam evocaret ad novam Evangelij uti dicebat, lucem. Elector quanquam à Spalatino deceptus, tamen reſipuit, & filium Ioannem Fridericum priùs hæredem Saxoniæ non inſtituit, quàm juraret ſe antiquam & Romanam fidem ad mortem uſque retenturum.

Teſtamentum.

Spalatinus intellecta morte Matris, quæ ſola ex conſanguineis Spaltæ remanſerat, Patriam viſurus Spaltam venit, viditque ſupereſſe viros doctos, qui ſcirent fideles in antiqua fide inſtruere, & conſervare, quorum unus loci Decanus *Thomas Lobelius* Spalatino exprobavit, quòd ſe à fide vera Catholica ſeparaverit, tanta

Monitio.

cum energia, ut Spalatino eruperint lachrimæ: qui etiam liberè faſſus eſt, Lutheri res tam felicem progreſſum habituras non fuiſſe, niſi eum ipſe in aula protexiſſet, *ſcio* inquit *me erráſſe: ſed error ampliùs corrigi non poteſt, perſeverandum eſt: Præpoſituram meam non deſero: Deus ſit omnibus propitius, & ut videatis me antiquam fidem pro vera habere, volo, ut mei conſanguinei huc iterum redeant, & ſi vos non renuitis, cives fiant, credántque quod ante crediderunt.*

Convivium.

Sub diſceſſum convivium inſtituit, cui adhibuit totum loci Magiſtratum, alióſque ſeniores ſibi olim notos, ubi omnes ſeriò inter ſuſpiria adhortatus eſt, ut in fide antiqua Catholica permanerent, novámque Lutheri ſectam à finibus ſuis excluderent, atque hæc tanto affectu, ut pleríque lachrimarētur, mirantes hominem tam bene conſulere alijs, non ſibi maximè cùm porrectâ pecuniâ perpetuum anniverſarium diem mo e Catholico fundaret Matri demortuæ. Ita inter lachrimas remotis menſis ad ultimam valedictionem proceſſum eſt, ubi Spalatinus inter Charos ſuorum amplexus promiſit, ſe aliquid pro templo miſſurum, quod ſui memoriā in Patria æternùm conſervaret, nec multò pòſt miſit pulcherrimam Deiparæ JESULUM tenentis Sta uam ad ulnæ altitudinem, & perantiquam.

Statua B.V.

Statua porrò utraque excavata magnam SS. Reliquiarum copiam continebat, quarum indicem adjunctæ perantiquæ litteræ in charta pergamena ſcriptæ loquebantur. Litteris porrò manu ſua ſcriptis iterū iterumq; Magiſtratum civéſque ad fidē antiquā ſervandā hortatur. Statuas iſtas VVitenbergæ in templo arcis in ſummo honore per ſæcula habitas, vix magnis precibus ab Electore ſe obtinuiſſe, & ab Iconoclaſtarum furore

rore ſervâſſe: hanc Deiparæ Statuam ſe Patriæ donare: honorarent ſanè: expertutos auxilia, quæ majores experti erant; rogare tamen, ne ſe vivo vicinis notum facerent, quo donatore eam accepiſſent: habiturum enim ſe Lutherum ex amico inimicum & perſecutorem ipſo dæmone pejorem. Hæc enim verò magna potensque ad fidem veram Romanam & Catholicam cohortatio fuit, quā ipſe hæreſiarcha urgente conſcientia non omiſit. Cultus porrò S. Statuæ à Catholicis habitus, qualis miraculoſis haberi ſolet. Hæc R.D. Wolffgangus Agricola Spaltenſis Parochiæ Parochus & Decanus, in ſua Concione de Matrimonio impreſſa Ingolſtadij. 1580.

Reſpe-ctus.

M V.

Imago B. V. Miraculoſa. DE LATOMIIS. *Salemi in Sicilia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Jo ſupra natura legem I, amiſſa munda.*

1. Lac miraculosè reductum.
2. Infans felix propter Matrem bonā.
3. B. Virginis manus ſanativa.

TEmplum Salemitanæ Virginis, quod à latomijs proximis dicitur, erectum fuit anno 1500. In hoc Imago Annuntiatæ Virginis viſitur depicta in pariete, quæ 30. Maij 1564. magnum edidit miraculum multorum, quæ deinde ſecuta ſunt, fauſtum principium. Nam cum paupercula filium peperiſſet, nec lac in uberibus haberet nutriendæ proli, quæ jam jam animam agebat, ad Deiparam converſa, eámque per ubera ſua contestata eſt, quibus Deum lactaverat, ſubveniret Matri & filio; neutrum ſine altero vivere poſſe: ſepties, inquit, huc accedam, & Imaginem tuam condignis laudibus honorabo, ſi me voti ream feceris, ò bona? cùm ſequenti nocte iter ſuſcepiſſet, apparens Deipara, tactisq; manu ſua ſanctiſſima fæminæ uberibus, lactis copiam dedit. Ita R.P. octav. Cajetanus S. J. in opuſculo poſthumo. Lactatio.

M VI.

Imago. B. V. Miraculoſa. AZEBEDIANA. *Alicubi in Braſilia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *I clara, & ſuperna Gemma munda à vitio.*

1. Gloria Mariæ Majoris.
2. Sāguis Martyrū ſemē Chriſtianorū.
3. Mare rubrum.

NOn repeto tot Hiſtoricis notiſſimam tragœdiam Reverendi Patris Ignatij Azebedei Societatis JESU. Is cum alijs triginta novem ſocijs unà in navi iturus in Braſiliam, non longè à Terzera Inſula impegit in Soriam Gallum

Calvinianum, qui capta nave luſitana cum alios ultra ſpoliationem non afflixiſſet in noſtros Religionis cauſâ invectus eſt. Ignatius Azebedius omnium ſuperior cùm eſſet, videns ſuos in procinctu mortis ſtare, nobilem illam Deiparæ Virginis Imaginem, quā Roma uſque ſecum attulerat, in manus ſumpſit, cujus aſpectu cùm omnes vehementer eſſent confortati: *Hodie*, inquit, *fratres dilectiſſimi, uti mihi meus promittit animus omnes è vita migrabimus, & divinis in cælo delitijs cum Chriſto Duce noſtro, cum Beatiſſima Virgine Patrona, cæteriſque Cælitibus fruemur. Præclariùs certè nobiſcum agetur Cæli, quàm Braſiliæ portum invectis. Igitur orationi intentis animis ad ſubeundam mortem fortitèr feliciterque nos paremus, quando ſcilicet bono Deo complacuit, hunc nobis ſupremum diem eſſe parandæ beatitati ſempiternæ: ejus amori honorìque vitam demus, qui pro nobis ſuam prior erogavit: & decet ſervis exæquatam cum ſuo domino fortunam volentibus & gratulantibus eſſe.* His dictis illi confeſtim protenſis ſublimè brachijs atque oculis in cælum omnes uno ore reſpondere: *Amen, domine, fiat in nobis voluntas tua, tibi vitam ecce omnes cum ſanguine libentiſſimè devovemus: Tibi hanc animam pro ſe quiſque, quam ducimus, & tuæ gloriæ reddimus.* Dum Galli Calviniani navē conſcendūt, Pater Ignatius medio in foro navis haud procùl à malo Deiparæ complexus Imaginem: *Moriamur*, inquit, *ut viros fortes & Chriſtianos decet, & libenter ad unum omnes ob Chriſti nomen & fidem, quam venerabundi profitemur, atque hi cane pejùs & angue oderunt, occumbamus.*

Quam vocem cùm ægrè ferret homo hæreticus, qui per confertos noſtros illuc evaſerat, librato in Ignatij caput telo, gravem illi ictum impreſſit: ſed ille ceu mali omnis immunis conſtitit in veſtigio, immotus mortem animo erecto operiens, quam illi Sociorum primo tribus confoſſo lanceis ſtatim intulere vociferanti, ut inter armorum ſtrepitum tumultúmque audiri poſſet: *Teſtes Angelos hominesque appello, me pro Catholicæ Romanæ fidei profeſſione cadere, à qua ne latum quidem unguem abeundum unquam eſt.* Sociósque intuitus: *Filioli*, inquit, *mortem ne expaveſcite, ſed contrà Deo gratias agite, quod vitam vos veſtram ſuo impendere obſequio ſinat, & nacti talem tàmque certum fidei veſtræ teſtem, tam munificum brevis operæ Remuneratorem animum ne contrahite, neque metu victi prælio voſmet ſubducite.*

Hæc effatus animam in verbā profudit. Deiparæ Imaginem arctè complexu tenens, quam avellere Hæretici fruſtra connisi, unà cum illa furore & amentia æſtuantes Ignatium in pelagus dedêre præcipitem. Porrò corpus in mare projectum, quod viſu mirabile fuit, neutiquam, ut ſolet, ſubſidit, ſed brachijs in crucem diductis quàm longiſſimè ſequi potuêre ſpectantium oculi, aquis innatavit, ſacrâ Virginis tabulâ nunquàm dimiſsâ. Mirum, quantum omnes S. Tabulæ aſpectu confortati ſint ad vitam pro fide profundendam, uno excepto puero quatuor-

tuordecim annorum, qui ſeptimo menſe Novitium egit: is è manuum callo judicatus cocus eſſe vivere coactus eſt: in ejus tamen locum ſucceſſit Hiſpanus, qui dudum jam Sanctus Joannes vocabatur, & Societatem ingredi petierat, is noſtris ſe miſcuit, cum noſtris quoque occiſus & in mare projectus eſt. Facta hæc ſunt decimo quinto Julij 1570. die Sabbati; Felix ad cælum tranſitus Sacrorum Pugilum pluribus à Deo & præſertim S. Thereſiæ revelatus eſt. Atque ut cætera hujus Hiſtoriæ omittam, præterire non debeo, quæ R. P. Marius Falconius è boni aëris Paraquariæ portu ad noſtros Neapolim ſcripſit anno 1617. 19. Novembris: ſic habet. *Die Sabbati 19. Nov. ſub noctem ventus verſus in ortum eſt, qui per noctē omnino poſuit, ſecutáque eſt malacia uſque ad pomeridianum Dominici. O Malacia? ò ſuaviſſima Malacia non qualis eſſe ſolet, qua parit tadiū navigantibus ſiquidē ijs in undis conſtituti, qua molle ſepulchrū fuère, illis quadraginta Martyribus, quem creditis nos ſenſum dulcedinis percepiſſe? Spectabamus undas, qua in usq; hanc diē apparent tincta ſpecioſo ſanguine, Chryſtallis pulchriore, ſplendidiores gemmis pretioſis: videbantur ea gutta, qua ex aquis manu hauſtis ſtillabant, nobiliores orientalibus margaritis, qua ſi uno ſole irradiantur illuſtrantúrque, ha fulgent ſolibus quadraginta aqua nobis nectare dulciores, quas deguſtantes ſuaviſſimas percipiebamus. Cùm igitur conſtitiſſemus animis pra dulcedine ſupra ipſas aquas liquentibus, & vix non linquentibus mille ſe nobis ſpecies exbibuerūt in undis, quas attoniti ſpectabamus. Jam videre videbamur ſanctos illos ſauciatos jam plenis manantes rivis, ſtillantésq; de pectoribus ſanguinē jā diſcurſare Carnifices; cùm ecce ventus exurgens aquas turbavit, naves provexit, noſtra gaudia diluit.* Ita voluit Deus ſervos ſuos ad honorem Matris ſuæ externo hoc ſpectaculo honeſtare, & confirmare, ſolatíque eorum ſectatores qui ea claſſe vehebantur. Videri poteſt. R. P. Philippus Alegambe de mortibus illuſtribus parte 1. fol. 62. &c. affirmat Imaginem conſervari ſummo honore alicubi in Braſilia.

M V I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
VINDICATA.
Dolæ in Burgundia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Impera, ò agna munda, mirâ veſtita luce.*

1. Vindicta Dei miraculoſa.
2. Bonitas miſerentis Dei.
3. Contriſtatio ad pænitentiam.

SUbjungo hanc Imaginem præcedenti, quia, ſi non fallor, ad eam pertinet. Poſtquam itaq; Calviniſtæ hæc, quæ ſuprà dixi, facinora deſignarunt, adfuit continuò vindex Deus, & alios commeritis ſupplicijs, alios contrà, quæ benignitas ejus eſt atq; clemētia, immerita miſeratione proſecu-

tus eſt. Quatuor eorum militum, qui plagis impoſuerunt Ignatio, captos oculis ſtetiſſe eodē & loci veſtigio & temporis, magnus eſt Auctor Epiſcopus Bracharenſis. *Iacobus Soria* ſceleris Anteſignanus cujus juſſu occiſi ſunt, quíq; identidem vociferatus eſt: *interfice, interfice, quoniam ad prava dogmata diſſeminanda Braſiliam petunt.* Is, inquam, aliquot poſt annos in Patria flagitiorum oppreſſus conſcientia, ſui impos pœnitentiæ negligens, neque penſi Deum nec divos habens, nequidquam diu ſucclamantibus, atque obſtinationem damnantibus, qui aderant, ejus Neceſſarijs, actus in rabiem conſceleratam illam animam flagitijs atrociſſimis delibutam, maximo præſentium terrore, ſupremæ pertinaciæ ſempiternas pœnas luituram, effudit.

Eodem de grege alius cùm Dolam anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quarto veniſſet, totis quatuor ac viginti annis, toleratus à Deo, inſigne divinæ miſerationis documentum fuit, ope illorum, ut credo, id aſſecutus, ut Catholicæ Eccleſiæ, flagitiorum anteactorum pœnitens, redderetur. Is per laſciviam in Ædem Deiparæ Virginis ingreſſus, ut ludibrio ſupplicationem populi, quæ ibi erat inſtituta, palàm haberet, toto repentè corpore ſolutus, occupatúſque tremore artuum, atq; animi pavore horribili, Divinam agnovit in ſeſe animadverſionem. Igitur ejus, quam deriſum venerat, opem Virginis intimis ſenſibus expoſcere, fateri noxam, veniam deprecari. Ac tum miſerante piiſſima Matre, corporis juxtà atq; animi incolumitatem obtinuit, ejuratâ perfidiâ, & noxarum conſcientiâ ritè patefactâ. Reverendus Pater Philippus Alegambe in mort. Illuſtr. p. 1. fol. 51.

M V I I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE ARNO.
In oppido S. Ioannis in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *I, Virgo immaculata una, ſanè redempta.*

1. Maternus inſilium amor.
2. Lac miraculosè reſtitutum.
3. Beatiſſima Virgo infantibus favet.

Oppidum eſt in Tuſcia, quod à Sancto Joanne nomen habet. Totam terram Arnenſem afflixit ſæva peſtis anno milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo octavo. Fuit tunc par conjugum Nationis Gallicæ: porrò mater filiolum habuit lacte nutriendum materno, quod cùm illa non haberet ob luem, qua jam infecta erat, nec aliam inveniret, quæ matris infectæ loco filium lactare vellet, vereri mater mortem filio cœpit. Adfuit ſanè amica, quæ non ſibi

timuiſſet ab ætate innocente, & nullo peſtis timore filium lactâſſet, niſi & ipſa ſeptuaginta quinque annorum vetula vix meminiſſet lactis, quod olim infantibus ſuis dederat. *Peſtis.*

Mater ita conſilio & auxilio deſtituta, arrepto infante ad portam urbis properat, quæ à vicino Templo S. Laurentij nomen habet, & coram Imagine Deiparæ, quæ ſupra portam erat depicta, in genua procidit, & in lachrimas ſoluta, plus gemitibus & ſingultibus, quàm verbis ultimam filioli neceſſitatem Virgini proponit: cùm ſenſit ſibi & omnem abire morbum, & lactis copiam redire, ut in præſentia Sanctiſſimæ Imaginis miraculoſi lactis primum daret potum filiolo, quem eodem nunquam deficiente duobus omnino & viginti menſibus ſanum ſalvúmque lactavit. Divulgatum miraculum accivit ad S. Imaginem tum primum miraculoſam, quotquot paria atque etiam majora à Virgine ſperarunt: cúmque ultra omnem ſpem Deiparam viderent in vota pronam, tanta murrum pecuniarúmque advenit copia, ut in juſtæ magnitudinis Templum ſufficeret, in quo hodiéque ut miraculoſa colitur. Ita Pagnozius in Maria Triumphante. fol. 477. *Iterum*

M I X.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE PERICULIS.
Meſſinæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Tu, Eva, i, munda ac repleta magni amoris.*

1. Incendium illuſtrat Imaginem.
2. Pia curioſitas.
3. Imago inter flammas illæſa.

HÆc S. Imago in Templo Sancti Joannis Baptiſtæ, quod Equitum Jeroſolymitanorum eſt, hodiè clathris ferreis cuſtoditur, & accenſa lampade honoratur. Olim in Templo veteri ad Templi parietem pependit, & in honoribus fuit, jam tum miraculis clara: longè tamen magis illuſtrata eſt incendio, quod exortum eſt anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo nono, occaſione ejus pompæ, quæ inventioni SS. Placidi & Sociorum ejus inſtituta eſt: quo incendio totum Templum conflagravit, dedítque locum novo. Eo, inquam, incendio hæc Deiparæ S. Imago illuſtrata eſt: etenim inter cineres repertæ veſtem omnem fœdè flammis fœdatam eſſe viderunt omnes, faciem tamen illæſam & plùs quàm antè venuſtam obſervârunt, quibus pia curioſitas menti inſedit. Hinc in novo hoc Templo majores honores accepit, & adhuc propter beneficia, quæ in periculis ſupplices experiun- *Incendium*

riuntur, honoratur. Miracula nulla in particulari affert Reverendus Pater Placidus Samperius Societatis JESU, qui hæc in ſua Iconologia Meſſinenſi ſcripſit, & ex quo ego hæc accepi. Ita nec ego lectori plura de hac Sacra Imagine dare poſſum.

***

M X.

Imago B. V. Miraculoſa. HAENDELANSIS. *Gemerti in Germania Inf.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plenâ; Dominus tecum.
Anagr. ***Jopia Eva ter magna, ter munda maculis.***

1. E rubo templum.
2. Libra juſta.
3. Eperientia felix.

HÆc Deiparæ miraculoſa Statua cubitum magnitudine ſuâ non excedit. Traditio eſt, in rubo inventam eſſe eo ipſo loco, ubi hodie Sacellum ſtat. Magna ſemper in veneratione fuit, atque etiamnum eſt. Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſeptimo, ritè examinata & approbata ſunt miracula. Hic, ſi uſpiam, viget modus ille faciendi Votum Deiparæ, qui per omnem Germaniam inferiorem viget. Æger vel Energumenus, pro quo fit Votum, bilanci imponitur, & ex altera parte tantum frumenti, lini, ceræ aut alterius cujuſpiam rei, quantum moli corporis reſpondet. Hoc demum munus afferunt & offerunt; quem modum Deiparæ placere perpetua probat experientia. Et ſimiles bilances etiam quandoque in ipſis Templis aſſervantur, ut ad uſum in promptu ſint, uti Gelæ in Sacello S. Dympnæ. Wikmannus l.2.c.30.

M X I.

Imago B. V. Miraculoſa. DE REMEDIO. *Valentiæ in Hiſpania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. ***I, domus Paracleti, urna nivea gemmata.***

1. Pugna ad Naupactum.
2. Amicorum conſilia non reſpuenda.
3 Beatiſſima Virgo de Remedio.

VBicunque Stationem habet Religio Sanctiſſimæ Trinitatis, ibi Sedem quoq; habet Deiparæ Statua ſub titulo de Remedio, & quod caput eſt, plerumq; miraculoſa. Ea, quæ Valentię eſt, jam dudum hoc nomen obtinuit: ita tamen 7. Octobris milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo auxit, ut ad inchoandam pietatem ſuffeciſſet. Jam jam in procinctu ſtabat claſſis Chriſtiana ad Naupactum Duce Joanne de

Au-

Auſtria invictiſſimo heroë, cùm pro innata in Deiparam pietate, in mentem ei venit, votum Virgini facere grandis pecuniæ, ſi victor ex hoc prælio diſcederet. Elegit ex omnibus duas, Monſerratenſem & Guadalupenſem: ex his ipſis dubius, quam præ altera invocaret, cùm Michaël de Moncada unus è primis Ducibus, quin, inquit, ſua Sereniſſima Celſitudo Valentinam Deiparam in Vota vocet, cujus hodie feſtum Valentiæ celebratur, nomen quoque de Remedio habet. Joannes conſilio amici acquievit, Votum fecit, & vicit. Non ego hic dixerim, Deiparam nobis victoriam illam conciliâſſe ad hujus ſolius S. Statuæ invocationem: neque enim ulla per omnem Catholicam Europam miraculoſa Deiparæ Imago aut Statua fuit, quæ non in hæc vota vocaretur, ſed quod ipſius Ducis ſummi Votum huic S. Statuæ ceſſerit. Religioſi Sanctiſſimæ Trinitatis de mercede huic ſuæ adſcribunt, cujus feſto hæc pugna feliciter eſt peracta, de qua ſuprà ſuo loco fusè ſcripſi. Porrò Votum hoc placuiſſe, ſigno miraculoſo non ſine totius populi ſtupore demonſtratum eſt. Etenim eo ipſo tempore, quo Votum emiſit Auſtriacus, eo ipſo in Templo Valentiæ, durante feſti pompâ, Campanula Altaris majoris, quæ non niſi ad elevationem divinorum myſteriorum in uſu eſt, voluit ſponte ſuâ & circumagi cœpit, & quàm feſtiviſſimè clangere, inſpectante populo, qui ad miraculum confertim accurrit: duravitque hoc miraculum plùs uno quadrante, nemine uno ſciente, cui bono quámque ob cauſam id contigerit. Notata tamen ab idoneis teſtibus hora eſt & dies, & tunc primùm in cauſæ cognitionem ventum eſt, cùm ipſe Joannes Auſtriacus & pecuniam & litteras miſit, quibus & diem & horam Voti indicavit; quæ res ei adeò placuit, ut Gregorius Decimus tertius anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſub 3. Septembris anno quarto ſui Pontificatûs, Auſtriaci rogatu hac ſuper re Bullam ediderit, quæ etiam conſervatur. Reverendus Pater Placidus Samperius, l. 2. cap. 17. in ſua Iconologia Meſſinenſi. ***

Conſilia. Campanula.

MXII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE GROTTA.
Meſſinæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *O mater Emmanuel caſti Agni diva pura.*

1. *Indiſcreta pietas furtum ſuadet.*
2. *Pœna indiſcretæ pietatis.*
3. *Sub ficta pietate malitia.*

Mirabile conſecuta eſt iter hæc Deiparæ Imago. Jam ab antiquo ſtetit in quodam Orato-

rio non longè à porta Urbis, quæ lignea vocatur. Colebatur magnâ frequentiâ populi. Fuit, cùm terræmotus Urbem quaterent, confugêre quamplurimi in hoc Oratorium, Matrem miſericordiæ placaturi: cùm ecce in populo rumor exortus, S. Imaginem ſudare: ſive verùm hoc fuerit, ſive falſa populi imaginatio, Urbs tota hoc præ cæteris Templis Oratorium frequentavit: nec Deipara gratis hos honores accepit, plurimi ſanitatem retulêre optatam & in miſerijs levamen. Sed quia cenſu omni carebat Oratorium, nec digno fovebatur cultu miraculoſa Imago, eam Reverendiſſimus Archiepiſcopus tranſtulit in Sacrarium Templi Cathedralis.

Interea quibus Oratorium præ Templo Cathedrali placuit, curârunt Ectypon hujus S. Imaginis, & in altari Oratorij repoſuerunt in vicem illius, quæ detinebatur in Sacriſtiâ Templi Cathedralis; quæ non minùs ut illa cultum ſuum accepit à Confraternitate numeroſa, quæ paulò pòſt coaluit ad cultum hujus S. Imaginis anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo quarto. Anno verò milleſimo quingenteſimo nonageſimo quinto ceſſit hoc Templum cum ſua jam miraculoſa Imagine Reverendis Patribus de Mercede, qui Oratorium in juſtæ magnitudinis formam ampliârunt: unde novorum miraculorum rumor Urbem implevit. Hinc anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo nonnullorum è Confraternitate indiſcreta pietas S. Imaginem furto abſtulit, & in domo privata abſcondit, dum à Confraternitate novum Templum huic ipſi S. Imagini è regione illius, unde ablata erat, ædificaretur: ubi demum ſub eodem Titulo S. Mariæ de Grotta expoſita eſt, non ſine injuria Reverendorum Patrum de Mercede; quin & ipſius S. Imaginis. Sed injuriam ultus eſt ipſe Virginis filius, ordine quemque ſuo pro meritis caſtigans. Etenim obſervatum eſt, omnes illos, qui tam ſacrilego furto ſe contaminârunt, per alias occaſiones & propter alia ſcelera fuiſſe è patibulo ſuſpenſos; illos, qui conſilium furti dedêre, fuiſſe à ſuis inimicis occiſos; familiam denique, in cujus ædibus loco utcunque indecente S. Imago latuit, licèt opulentam & numeroſam brevi tempore omninò fuiſſe extinctam.

Templum porrò novum ceſſante omni pietate aſylum latronum effectum eſt, & novis ſceleribus inquinatum, ut quod non devotio, ſed æmulatio ſtruxerat, à Vicario Generali funditus deſtructum ſit. Ipſa verò S. & miraculoſa Imago cum pompa ad ſuum Templum eſt reportata. Feſtum celebratur Dominicâ quartâ Septembris. Reverendus Pater Placidus Samperius in ſua Iconologia Meſſinenſi l.2. cap.21.

MXIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
BROCHEMIENSIS.
Brochemij in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Una Mater, i, ſanè procùl à gemitu Adami.*

1. Templum B.V. deſignat.
2. Supplicatio ſolennis.
3. Etiam magna non perpetuò durant.

NOn plus uno milliario diſtat pagus Brochemienſis *Lirâ*. Templum pagi hujus Deiparæ dedicatum amplum eſt & circumvicinis pulchrius, è Peregrinorum oblationibus, ut creditur, ædificatum. Locus enim jam olim cultu ac Peregrinorum numero Nobilis fuit; quamquam nunc celebritas illa extraordinaria non ampliùs compareat.

Fama tenet, etſi non litteris confirmata, cui tamen ſeniores loci ſubſcribunt, Templum hoc à Beatiſſima Virgine hoc ipſo in loco fuiſſe deſignatum & circumſcriptum, ut in quampluirimis factum eſſe legimus. Processio Certè miraculis olim coruſcavit, è quibus originem ſuam habet concurſus populi maximus Dominicâ poſt Feſtum Natæ Virginis. Cæterùm præter ſupplicationem ſolennem, quæ fit illo die, Wikmannus non habet, quod ex miraculis referat.

MXIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
ODIGITRIA.
Meſſinæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Euge incorrupta amata, i, munda mali es.*

1. Cœnobium Montis Sinai.
2. Proceſſio feſto Paſchæ.
3. Abſtinentia à carnibus feriâ III.

NOn repeto, quæ ſuo loco dixi de Imagine Odigitria, quæ Conſtantinopoli in honore fuit. Hanc, de qua nunc loquor, quæq; illius Ectypon eſt, Monachi de Monte Sinai attulêre, eſtq; in ſumma populi veneratione. Ubi lectori notandum, Monaſterium S. Catharinæ in Monte Sinai jam ab ipſo Conſtantino Magno honoribus & opib' auctum fuiſſe, & quanquam in Arabia ſit, eſſe tamen ſub Romano Pontifice & Fidei Romanæ unitum. Basiliani. Habent, inquam, hi Monachi Baſiliani ſeveriſſimæ Regulæ Meſſinæ Prioratum, in quo Imaginem Deiparę Odigitriam colunt, non illam veram à S. Luca pictam, ſed ejus Ectypon, ut dixi: feſtúmq; diem ſingulis hebdomadibus habent feriam tertiam, quo die quampluri-

mę familię Meſſinenſes à carnibus abſtinent, & locum frequentant.

Proceſſio ſolenniſſima fit ipſo die Paſchatis ante aurorã ad albedinem, ut vocant: præter innumeras comitantium faces duo pretioſa & ſacra conditoria circumferuntur, unum Chriſti reſurgentis, alterum B. Virginis: eo ritu, quo olim ſolebant Conſtantinopoli, eáque formâ, quæ paſſim in Imaginibus videmus. Hæc R. P. Philippus Samperius in ſua iconologia. Paſca.

M X V.

Imago B. V. Miraculoſa.
BREDANA.
Brædæ in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Ædes agni: tota enim pura macularum.*

1. Filius matris cultum promovet.
2. S. Hoſtia ab impio defoſſa.
3. Sacrilegi judicis pœna.

IN hoc templo non Matri tantùm ſed & Filio honores dati ſunt, & Filius Matris honores auxit & promovit. Anno 1300 Joannes quidam cognomento Bautoen, ceſpites uſtibiles è paludibus erúebat; aderant ei duæ fæminæ laboris ſociæ: cùm Joannes remotis aliquot ceſpitibus SS. Hoſtiam intuetur, quam impius quiſpiam ibi defoderat. Joannes nullâ reverentiâ eam à terra ſublaturus vix dum tetigit, cùm ſanguinem inde effluere non ſine admiratione vidit, quâ in terrorem mutatâ fæminas Joannes vociferatione ad miraculum advocat, quæ reverentiores miraculi, attingere S. Hoſtiam non auſæ, prona adoratione officium ſuum fecêre, una præſertim, quæ Bredam pleno curſu contendit, & Parochum de tota re certiorem fecit. Is quamprimum Campanæ ſigno proceſſionem indixit, quam fæmina denarratâ per plateas Hiſtoria, quamplurimum auxit. Porrò ſupplicationis ritus iſte fuit: juvat enim temporum illorũ felicem ſimplicitatem mirari & venerari. Reverentia.

Parochus ad interulam uſque abiectis veſtibus, & ni fallor, ſtolâ ornatus, nudipes cum numeroſa multitudine ad locum devenit, & facta adoratione Deum ſuum rogavit, dignaretur non averſari manus ſibi conſecratas: ſimul reverenter venerabile Sacramentum detulit in templum Cludertanum. Interea monitus Epiſcopus Leodienſis miſit advocatum quendam Macarium nomine, hominem ſecularem & rerum ſacrarum oppidò parùm peritum: is ad juris civilis leges rem omnem exacturus, Joannem & fæminas promiſſo juramento de dicenda veritate audivit, & parochum, quòd citiùs quàm debuerat, crediſſet verbis, pro poteſtate punivit: deinde ad experimentum devenit quod in re dubia, ut hîc erat, nemini, quod ſciam, Eccleſiæ jura permittunt, ſtilo ferreo S. Hoſtiam tentat. Hoc nempe, ut cætera quo- Proceſſio. Iudex.

quoque, de Júdæo habuit, probaturus num vera eſſet Hoſtia, miraculo, nam ſi perforari nullo negotio panis poſſet, ludibrium eſſe; ſi verò reſiſteret ferro, agniturum ſe pro Hoſtia conſecrata.

Metuo ipſe, qui hæc ſcribo, ſtili hujus infelicitatem & ſæcularis miraculorum exploratoris temeritatem ſacrilegam. Quatuor omnino vicibus fortiter ſtilum admovit, quatuor omnino vicibus illæſa ad ferrum Hoſtia permanſit, nondum ſibi ſacrilego miraculum perſuadente. Diſplicuit præſentibus audacia tantæ irreverentiæ, nemine uno audente vel verbulum mutire, utique læſæ poteſtatis Eccleſiaſticæ reus. Quintum itaque ictum audax manus S. Hoſtiæ infert, & tandem ſanguinem non uno, ſed quinque è vulneribus copioſè extorquet, omnibus in clamores effuſis & lachrymas. Hominem admiratio primùm, deinde horror, denique phreneſis eodem penè nictu oculi invaſit: tum in inſaniam delapſus, manus ſibi dentibus laceravit, & antequam Leodium perveniret, ejecit ſacrilegam animam, nemine uno invento, qui vel doleret vel compateretur, non vano ſæcularibus exemplo, manibus ſacratis non profanis ſacra quæque tractari velle. Contigit, ut eluvionibus aquarum impediretur Peregrinis acceſſus ad templum: cùm Clero populóque viſum eſt, ſacram & miraculoſam Hoſtiam Templo Deiparæ, quod eſt in oppido Bredano, inferre. Factum id eſt pompâ, quâ potuit ſolenniſſima.

Temeritas. Miraculum. Pœna.

Vix Deipara filium hoſpitio ſuo excepit, cùm miracula quamprimum à filio exoravit; ut neſcires cui potiùs miracula adſcribi deberent, Matri ea exoranti, an Filio patranti. Confraternitas inde brevi coaluit, quam Guldam vel Gildam vocant, eorum, qui ſe profitentur cultores & defenſores hujus S. Hoſtiæ futuros. In Proceſſionibus cucullati comparent, & figurâ Sacroſanctæ Hoſtiæ inſigniti. Templum magnificum ex oblationibus ædificatum eſt, ut nonnulli memorant. Hæc omnia negarent hodie Bredani niſi in civica domo pictura videri poſſet, quæ rei veritatem probaret. Wikmannus l. 2. c. 52.

Congregatio.

Ignoſcet facilè Deipara Scriptori ſuo, ſi parva digreſſione contra morem ſuum priori ſimilem S. Hoſtiam huc apponat. Anno 1412. Sacrilegus quiſpiam indignus Joannis nomine, quod gerebat, Ciborium unà cum quinque S. Hoſtijs è Templo Wecheſendano prope Herendalium ſurripuit, Herendalium profecturus. Sed licèt multum itineris peregiſſet, ſemper tamen in eodem ſe loco deprehendit, ratus id quod erat Hoſtias Sacras itineris remoras, influmen vicinum abjicere decrevit: ſed ad flumen pervenire cùm nequiret, in foramen abjecit, quod cuniculi ſub ceſpite defoderant, & ſanè Herendalium devenit, ubi, incertum quo indicio Prædo ſuſpectus in vincula compactus eſt, & tormentis ſubjectus furta, alia non difficulter confeſſus, de Hoſtijs tamen nihil à ſe exprimi paſſus eſt. Ad furcam damna-

Hoſtia.

tus, jámq; conſcenſis ſcalis exceptutus gulâ funem, Confeſſarij rogatu omni populo edixit locum, in quo Sacras Hoſtias recondidiſſet.

At Iudex contra confeſſarij opinionem deſcendere de ſcalis juſſum, & equo alligatum trahi juſſit ad locum inſequente populo: cùm nemo non miratus eſt portentum. Hoſtiæ extra foramen decorè jacuêre, cuniculis flexo poplite circùm circà Creatorem ſuum adorantibus: ad hæc in gramine jacebant, undique per latè patentes campos rigente gelu & nive, & quod caput rei eſt, jam octavum diem abijſſe memorabat patibularius, cui ſententiam mutavit prætor: juſſit enim, ut currui impoſitus nudus candentibus carbonibus omnibus corporis membris torqueretur, & candentibus virgis flagellaretur.

Fœminæ ad ſententiam horruêre, & mitiorem exoravêre. Itaque abſciſsâ reâ dextrâ & combuſtâ, ipſe laqueo, quem jam antè induerat, ſuffocatus eſt, & patibulo appenſus. Tres ex Sacris Hoſtijs Templo Herendalenſi illatæ, duæ Paërlenſi. In loco Sacellum erectum eſt ita diſpoſitum, ut ſub altari foramen cuniculorum videatur. Fœmina.

Hæc Wikmannus l. 2. cap. 52. Taceo hiſtoriam illius Hoſtiæ Sacræ, quæ cum p.o paſtore contigit ad S. Salvatorem prope Ingolſtadium in Bavaria; ne mihi vel alteri materiam præripiam ex inſtituto de miraculoſis Hoſtijs ſcripturo, & librum peculiarem adornaturo.

M X V I.

Imago B. V. Miraculoſa. DE LACHRIMIS. *Meſſinæ in Sicilia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. ***Tu dum is anima electa, ergo anima pura.***

1. Imago Beatiſſima Virginis ſudans, & lacbrimans.

2. Peccata inſolita, cauſa miraculorum.

3. Fratricida, matricida.

HÆc Deiparæ miraculoſa Imago mole non magna, ſed miraculis tantum non maxima, ex Oriente venit. Allata à mercatore quopiam, diu latuit in ædibus privatis, hæreditas facta duarum matronarum, quæ cultum dedêre privatum ſacro pignori: porrò hæ duæ Matronæ fuerunt tertij Ordinis Sancti Franciſci. Hæc, inquam, Imago decimoquinto Septembris anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo octavo ſudare cœpit, & lachrimari, unde accurſus religioſorum nobilium & populi. Abſente Archiepiſcopo, qui tunc in Romana curia verſabatur curam examinis ſuſcepit Vicarius vir prudentiæ, & virtutis poſtea Epiſcopus Tropeanus. Hic ubi teſtes juratos audivit omni exceptione majores,

jores, & quamplurimos, miraculoſam declaravit, & majore honore dignam, quàm ut in privata domo honores acciperet. Unde non repugnantibus, imò gratulantibus ſibi matronis, eam domui Profeſſæ Societatis JESU intulit, ubi in Sacello peculiari decorè repoſita, hodie in veneratione eſt, & gratias cœleſtes diſtribuit ſupplicibus. Cauſam verò tantarum lachrimarum dedêre gravia & inſolita quędam peccata eo tempore commiſſa, homicidia dico; etenim filius matrem, & frater fratrem gladio interemit. Cętera quę minùs horrenda fuerunt, tamen multitudine ſua præterita tempora ſuperârunt: hinc illæ lachrymæ, quæ pluribus diebus durarunt, etiam poſtquam in Templo Societatis JESU publico expoſita fuit. Hæc Reverendus Pater Placidus Samperius in ſua Iconologia lib. 1. c. 12.

Imago.

M X V I I.

Imago B. V. Miraculoſa. S. CLARÆ, *Vilnæ in Lituania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena Dominus tecum.

Anagr. *Ne tu pura iris, tu cœli amanda Gemma.*

1. Imago loquens.
2. Anni ſeptuaginta felices.
3. Inter flammas illæſa Imago.

TAbula picturæ alta eſt cubitos quatuor & quadrantem, habétque utrinque alas more antiquo altarium, ut claudi poſſit: ſtatura Deiparæ JESULUM brachio geſtantis tres cubitos & quadrantem habet, pictura inſignem antiquitatem loquitur. Traditio fidelis habet, in ſilva inventam eſſe inter rudera ædium & putres trabes. Devenit primum ad Reverendorum Patrum Franciſcanorum Cęnobium Vilnenſe, ubi aliquamdiu in ambulacro ad parietem templi exteriorem affixa pependit.

Fuit, qui peculiari præ cæteris affectu hanc S. Imaginem proſequeretur, & identidem coram ea preces funderet, is audivit aliquando prodire ex Imagine vocem, & poſtulari cultum majorem, quàm hactenus ei eſſet exhibitus, adeóq; aliò transferri, & publico dari. Is audita ad Guardianum detulit, qui propter hominis non ſuſpectam virtutem, fidem narratis dedit, & quamprimùm S. Imaginem in Templum detulit, altaríq; impoſuit. Concurrenti ad novitatem populo Deipara quamprimùm fuit propitia: duraverúntq; miraculoſa beneficia per ſeptuaginta annos.

Devotio.

Anno 1596. Illuſtriſſimus D. Leo Sapicha ſupremus Lituaniæ Cancellarius Sanctimonialibus S. Clarę cum Cœnobio Templum ſtruxit S. Michaëli dedicatum. Is novo Templo novam pietatem daturus petijt à Reverendis Patribus Franciſcanis, ut dictum altare ſolenni pompâ deferrent ad novi Cœnobij novum Templum, eíq; dono darent: & verò etiam obtinuit, dum pompa inſtruitur, datum in mandatis eſt pictori optimo, tum ut de-

Cœnobium.

lectis SS. Apoſtolorum Petri & Pauli Iconibus, quæ in alis lateralibus viſebantur, ſubſtitueret S. Franciſcum & S. Bernardinum Senenſem; tum ut ipſam Deiparæ Imaginem, ubi opus eſſet, novis coloribus imbueret. Ille nullo negotio ſanctis Apoſtolis ſanctos hos duos Confeſſores ſubſtituit: at verò ubi ad Imaginẽ Deiparę ventũ eſt, nec penicillus, nec colores officiũ ſuũ fecêre: reſpuit colores Imago non ſine admiratione pictoris, ut qui ſciret, eandem omnibus tribus eſſe materiam, vetuſtatem, artem: cur ergo ſuos colores ſuſcepiſſent illæ, reſpuiſſet iſta? Hæc ubi volante fama ſunt publicata, credi non poteſt, quantum auxerint accurrentium pietatem & fiduciam in Virginem. Hinc miracula, quę uſque ad Moſcorum adventum quam diligentiſſimè adnotata ſunt.

Moſcus. Annô 1655. Moſcus Vilnâ per proditionem potitus eſt, & in omnia profana ſimul & ſacra more ſuo, id eſt, barbaro deſævijt, & hoc Templum S. Michaëlis ſpeciali inſolentia devaſtavit, ſaxea monumenta contrivit, lignea excuſſit. Hæc tamen SS. Imago ardente & in buſtum conſidente Templo illæſa ſtetit; quanquam alæ duæ, decidente è tecto trabe diffractæ ſint. Imaginis Deiparæ frontis color parùm vi flammarum ad nigredinem deflexit, cæterùm, ut dixi, illæſæ. Anno 1661. recepta à Moſcis Vilnâ non ſine gaudio populi & ſanctimonialium ſuo loco reſtituta eſt: & libro miraculorũ exuſto, novus ſubſtitutus eſt; in quo tamen ea tantùm ſcripta ſunt, quæ ex juratis ſeptuaginta virorum teſtimonijs haberi potuêre anno 1669. 10. die decembris, quæque dato diplomate anno 1670. 13. Martij confirmata paulò pòſt prælo ſubijcientur, & publicabuntur. Hæc ad me perſcripſit Varſaviâ anno 1671. 12. Februarij R. P. Albertus Kocalo-VViez, olim Rector Collegij Vilnenſis in Lituania, à quo plures alias Imaginum Miraculoſarum deſcriptiones ex Lituania accepi.

M X V I I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
IN ALBIS.
Meſſinæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA; gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. Caſta Virgo alme pia, æternum è munda.
1. Chriſtus veſtitu peregrini apparet.
2. Tres panes myſterioſi.
3. Flagellatio Deo grata.

Hæc Sacratiſſima Imago picta in muro, Italicâ linguâ de Bianchi vocatur, propter candidas veſtes. Crucem rubeam habet in fronte, ab Equitibus Templarijs, qui hunc olim locũ inhabitârunt, depicta. Originem, juſtis & gravibus teſtibus probatam accipio ex Auctore infrà citando. Ruſtico apparuit Chriſtus veſtitu peregrini in medio agri ſe ſpectabilem ſtitit, & accipe,

inquit, hos tres panes, eóſque confeſtim in flumen abijce. Ille viri majeſtate motus, quàm primùm juſſa peracturus ad flumen properavit, ſed in via à Matrona ſpectabilis formæ ſubſiſtere, & ne unum quidem panem aquis dare juſſus eſt ſuperventura aliàs grandia mala Meſſinenſibus, in cujus penè pomerijs hæc fiebant, peſtem nempe, famem & bellum. Ille ad laborem & boves redijt; ſed ſtantem iterum ibidem peregrinum invenit, qui adhuc ſeveriore quàm antea vultu hominem terruit, atque iterum panes abijcere in flumen juſſit: iterum imperata facturo matrona aſtitit, & deſine, inquit, hos duos aquis dare: (jam enim unum projecerat) ſatis malorum habebitis à peſtifera lue. Ito ad Archiepiſcopum, & nomine Virginis Mariæ Advocatę Meſſinenſium, dic ut pœnitentiam & jejunia indicat populo, & ſupplicationem flagellantium habitu lineo albo, ut me nunc vides veſtitam. Facta hæc ſunt ab Archiepiſcopo, peſtíſque prædicta ſupervenit anno milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſeptimo, bellum tamen & fames Urbem non afflixère, faciente Deipara interceſſione ſuâ, ut filius juſtas iras mitigaret. Hæc Reverendus Pater Placidus Samperius Societatis JESU, l.2.cap.13.éſtque hæc S. Imago in ſummo honore in Conventu Reverendorum Patrum Dominicanorum.

M X I X.

Imago B. V. Miraculoſa.
VILLARIENSIS.
Villariæ in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plenâ; Dominus tecum.
Anagr. ***Jò aula mundi gemmea i, ter pura, Sancta.***

1. ***Fragmenta miraculoſa.***
2. ***Febrium remedium.***
3. ***Quercus tota miraculoſa.***

EſT hæc Statua una ex illis, quæ curâ & mandato Joannis Miræi Epiſcopi Antuerpienſis, ex fragmentis grandioribus quercûs Aſpricollenſis Deiparæ ſunt factæ. Hanc idem Epiſcopus Domino Roberto Henrion Abbati Villarienſi Ciſtercienſis Ordinis dono dedit; quam is mox in Sacello novo ſupra colliculum ſub titulo Sanctæ Mariæ de Monte acuto à fundamentis excitato anno milleſimo ſexcenteſimo decimoſexto collocavit. Unde ultra ſpem tantus accurſus etiam è remotis locis huc factus, ut par eſſet mediocribus: nempe ſupplicibus factæ gratiæ famam ſparſerunt: febribus præſertim hic remedium invenitur.

Habet hoc quercus Aſpricollenſis in Deiparæ figuram ſculpta: ubicunque terrarum ſit, miracula patrat, ſi fides & fiducia non abſit. Wikmannus. l.3.cap.9.

MXX.

Imago B. V. Miraculoſa. DE SUCCURSU. *Meſſinæ in Siciliâ.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plenâ, Dominus tecum.
Anagr. *En tu arca pia immò & Regis aula munda.*

1. Titulus B.V. gratus.
2. Gratitudo Urbis.
3 Conciones ope B.V. efficaces.

EST hæc miraculoſa Imago in Conventu Reverendorum Patrum Eremitarum Sancti Auguſtini, quorum unus Frater Franciſcus de Monte Rubiano originem huic pietati de Succurſu dedit. Languebat ad mortem in Conventu Panormitano Frater Nicolaus Brunus ejuſdem Ordinis devotiſſimus Deiparæ & inſignis Concionator, huic Deipara ſe videndam ſtitit inter fulgores cœleſtes eâ formâ, qua depictam in altari paulò ante veneratus eſt Nicolaus, in Sacello S. Martini, quod eſt intra clauſtrum Cœnobij, quin etiam eum allocuta eſt: ſurge, jam ſanus es, nec dubita: ſum Maria, quam tu colis, & ſi gratum te mihi exhibere cupis, ubiq; in tuis concionibus hoc meum beneficium memora, & fac, ut ſub titulo de Succurſu ubique honores accipiam. Sanior.

Ille ſummo manè refert Archiepiſcopo receptam ſanitatem & præceptum Virginis, atque etiam Magiſtratui ſæculari. Nota fuit jam virtus Nicolai Archiepiſcopo & Magiſtratui, & quæ pietas Panormitanorum eſt in Virginem, quamprimùm inſtituta ſupplicatione ad Templum Reverendorum Patrum Eremitarum Sancti Auguſtini cantato ſolenni Sacro, Deo & Deiparæ egerunt gratias pro novo titulo indicato. Gratitudo. Hinc eſt, quòd hæc Religio per omnem Siciliam Beatiſſimam Virginem de Succurſu tanquam pro peculiari ſibi titulo elegerit. Omnium primi fuêre Meſſinenſes, quibus Frater Franciſcus de Monte Rubiano, auctor fuit Sacelli conſtruendi ſub hoc titulo: florétque hodiedum pietas, & Beatiſſimæ Virginis Succurſus à ſupplicibus fructuosè petitur, & obtinetur. Reverendus Pater Placidus Samperius l. 2. cap. 15.

MXXI.

Imago B. V. Miraculoſa. DE AUGIA. *Altachij in Germania Sup.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Tu ô Agna, Tu almè pura es Adami crimine.*

1. No-

1. Nobilis peregrinus.
2. Conſcientiarum inſpector.
3. Liberalitas homini innata.

ALtachenſe ſuperius S. Benedicti Cœnobium in Bavaria Templum Beatiſſimæ Virginis habet in vicinia miraculoſum & peregrinantium viſitatione celeberrimum. Originem habet à quodam Nobili Hartvvigo, qui per varios caſus Eremiticam vitam agens eò devenit perfectionis, ut & conſcientias hominum inſpiceret, & neminem à ſe dimitteret niſi meliorem. Hic B. V. Sacellum ære ſuo ſtruxit, & per omnem vitam reliquam, id eſt triennio incoluit, vicino Monaſterio Altachenſi propter virtutem charus, atq;etiam propter innatam liberalitatem gratus: ſiquidem poſt mortem Sacellum B. V. Cœnobio ceſſit, jam opinione populorum celebre.

Virtus viri tanta fuit, ut in ſcripto Cœnobij legerim, fratres è Cęnobio cum eſculentis ad eum veniſſe, & ab eo monita ſalutis reportâſſe. Templum Beatiſſimæ Virginis cum ſua Statua hodiéque in honore eſt, & paſſim peregrinatoribus honoratur. Cæterùm de miraculis nihil ad me perſcriptum eſt, hæc circa annum 1574. contigêre. Hinc mirum non eſt de rebus illius temporis parùm ſupereſſe in ſcriptis. Ex Archivo Monaſterij.

M X X I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DINNAMARE.
Meſſinæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Tu amata Regis Cœli anima purè munda.*

1. Neptunus Mariæ ſubjectus.
2. Monſtra hominibus manſuetiora.
3. Architectura humana hetroclita.

MEſſinæ mons eſt, quem antiqui *Neptunium* vocârunt, unde è turri tam Tuſcum quàm Adriaticum mare ſpeculatorib⁹ patuit: concidit hæc una cum pleriſque antiquorum ædificijs quanquam Chriſtiani meliorem ibi ſpeculam ædificârunt, Templum Deiparæ jam olim ante plura ſæcula miraculoſum, â Monte nomen traxit, qui non ampliùs à Neptuno nomen habuit, ſed à mari *Dinnamare* vocatus, quomodo hæc S. Imago in hunc montem devenerit dicam.

Sedebant in littore maris piſcatores reficientes retia ſua, cum in conſpectum eorum venêre duo marina monſtra, quæ pinnis decorè ferebant hanc S. Tabulam, eámq; depoſuerunt in littore, ſimul immerſa fluctibus videri deſiere. Viri relictis retibus & navi ſecuti ſunt Sacram Tabulam paucis abhinc paſſibus in terra jacentem, quam proni in terram inter gemitus & lachrimas venerati primum ſunt; deinde non perfunctoriè inter ſe queſierunt, Monſtra.

ſierunt, unde hæc tabula? pronum erat omnibus ſuſpicari, navem alicubi facto naufragio hanc quoque S. Iconem in mare effudiſſe, quam deinde Deipara per hæc monſtra deportari ad littus juſſiſſet ad cultus majores. Portârunt illi quam primum in hoc Deiparæ ſacellum, quòd in monte majores ædificârunt, ubi ſanè à vicinis ruſticis facto concurſu
Miracula. quamprimum miraculis cæpit clareſcere. Non omnibus commodus erat tanti montis aſcenſus. Itaque tabulam quiſpiam in urbe cum novo è fundamentis ſacello poſuit cum titulo *Dinnamare inferior*, relicto Ectypo in hoc monte. Nec minùs hîc Deipara liberalis, quàm ſuprà montem plurimis annis ſummâ miraculorum famâ fuit celebrata, præſertim feſto Aſſumptionis. Certè anno 1596. Sacellum in juſti Templi formam eſt redactum: ubi cùm altare grandius ab Architecto poſceret tabulam majorem, ea fuit locata pictori, & picta Virgo ab Angelo ſalutata: Illa vero miraculoſa in laterali ſacello depoſita eſt, hetroclitâ Architecturâ, quæ nihil de cæleſti habet, & ceſsâſſet ſanè locus niſi ceſſiſſet RR. PP. Eremitis S. Auguſtini, qui labantem jam pietatem iterum reduxerunt auxerunt, ita ũt hodièque inter miraculoſas numeretur: quamquam & illa Virginis annuntiatæ miracula memorantur. Certè unus anno 1616. in manus quinque latronum lapſus vivus non eſſet, niſi hæc invocata feciſſet, ut apices pugionum, qui jam veſtes & ipſam etiam lineam interulam penetrârant, in cute retunderentur: unde nec guttam Sanguinis elicere potuerunt. Tres hîc miraculoſas Imagines poſui ſub titulo unius, ut Lector ſciat, quàm plurimas ſupereſſe ſcribendas R. P. Plac. Samperius l 2. c. 24. Pictor.

MXXIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE VALLEVIRIDI. *In Valleviridi in Germania Inf.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *En vacas Adami malo per virtutem agni.*

1. Tibia arida poſt ſæculum viret.
2. Joannis Rusbrocbij laudes.
3. Sacellum Lauretanum.

INcoluêre hanc vallem viri ſanctiſſimi, quorum primus Silvius quiſqiam ex Illuſtriſſima Ducum Brabantiæ familia oriundus anno 1304. cui Joannes II. dictam vallem dono dedit. Secuti ſunt alij atque alij, qui nullo Religionis vinculo adſtricti ſed ad formam Eremitarum ſibi atque Deo vixere: dum demum inter religioſos adſcribi voluere.

Hos inter fuit *Joannes Rusbrochius* vir tantus, ut ad eum audiendum præter plures alios, Joannes Taulerus ordinis Prædicatorum Do-

Doctor Theologus ex ipſa Germania in viridem vallem venerit. Apparuit ei Deipara ſæpius. Chriſtus ei in hæc verba locutus ſcribitur: *Rusbrochius tu es filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*: eúmque complexus, & ad matrem converſus: *ecce*, inquit, *puer meus electus*.

Tilia, juxta quam Rusbrochius libros ſuos ſcripſit, etiamſi ſæculo ſuperiore omnino exaruerit, & vetuſtate tantùm non conciderit, hoc ſæculo miris ſed veris modis revixit, ramiſque ac frondibus onuſta omnium oculos recreat, abſque omni vel ariditatis vel vetuſtatis ſigno. Juxta hanc ne antiquus Deiparæ cultus in hæc uſque tempora propagatus periret, Iſabella Clara Eugenia anno 1622. ſacellum ad formam Lauretani ædificavit. Vbi hodiéque Deipara ſupplicibus propitia eſt Wikmans l. 3. c. 46.

M X X I V.

Imago B. V. Miraculoſa. DE SEPTEM FONTIBUS. *Sevenbornæ in Germania Inf.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *I, arca vitæ: unum palam Dagonem teris.*

1. *Bella fugant pios in eremum.*
2. *Ex Eremitis Monachi.*
3. *Rerum magnarum initia parva.*

HUic loco initium dedit Ægidius Bredeickius, qui cum ſeptem ſocijs urbem Bruxellenſem ejúſque tumultus bellicos deſerens, ad hanc ſilvam Soniam Deo ſoli ſuæque ſaluti vacaturus ſe contulit. Joanna Duciſſa Brabantiæ circa annum 1380. fundum eis & locum dono aſſignavit, qui paulatim piorum largitionibus in juſtum monaſterium excrevit. Templum ſanctiſſimæ Genitricis Dei eſſe dicatum voluere per Epiſcopum Neapolitanum anno 1388. anno nimirum octavo, poſtquam primum ſe hunc in locum contulere. Hæc vitæ religioſæ initia fuere. Locus hodiéque frequentatur, & Virgo liberalitate ſua miſeros conſolatur, afflictos fovet, neque rara ſunt, ut poſtea audivi, miracula, de quibus VVickmans l. 3. c. 47 mentionem nullam facit. Templum.

M X X V.

Imago B. V. Miraculoſa. DARSCHUSANA. *Darſchuſij in Germania Sup.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Tu agna mitis, pura, dulcor animæ meæ.*

1. *Statua colores reſpuens.*
2. *Blaſphemus ritè punitus.*
3. *Campana frugibus utilis.*

PRope urbem mindelhemienſem pagus *Dorſhuſianus* ſitus eſt, ubi in templo parochiali Deiparæ ſta-

Statua lignea eſt in ſummis honoribus. Traditione habetur, hcc templum cæptum ædificari *altenſteigij*, qui pagus eſt non adeo multum diſſitus: ſed quidquid operis à cœmentarijs factum eſt, huc fuiſſe translatum, ubi hodie templum Darſchuſanum videtur. Statuam inſuper, cúm renovanda locaretur, pictori nulla vi nullis viribus moveri loco potuiſſe, ut in domum pictoris transferretur: eam ob cauſam coactum pictorẽ in ipſo templo laborem ſuum exequi.

Statua. Suecici Exercitûs Eques inter maledicta, quibus chartam hanc defœdare nolo licèt ad verbum ad me perſcripta ſint, pallium Statuæ detraxit, cum dicto: *permitte me tamdiu hoc pallio uti, quamdiu tu uſa es*, vix equum conſcendit, & ad horæ quadrantem cum ſuis inter impios ſarcaſmos viam ſuam proſecutus, ex equo decidit, & miſere obijt. Quarta & maxima Campana creditur docente experientia frugibus utilis, quæ nulla grandine ſunt læſæ, ſi quidem ad initium tempeſtatis inſonuit, nunquam locus præſertim feſtis Deiparæ eſt ſine advenis vota ferentibus. Quotquot è ſenibus accolis & incolis ſunt, teſtantur ſe à majoribus accepiſſe, locum hunc olim magnis concurſibus celebrem fuiſſe. Nunc tamen ſola traditione hæc probantur. Bella nempe & hæreſes Superùm beneficia ita abolent. Nec plura accepi. Campana.

M X X V I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DOLOROSA.
Meſſinæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *O puritatis janua gemmea, clarè munda.*
1. Jejunium ſculptorum ornat.
2. Sculptoris non boni opus optimum.
3. Religio operæ pretium.

HAbet urbs hæc Deiparæ devotiſſima monaſterium Virginum Ordinis S. Franciſci, in quo Statua Deiparæ eſt ſedens, filium de cruce depoſitum genibus ſuſtinens, paulò minor humanâ ſtaturâ. Hæc ſummis honoribus & concurſu populi culta, beneficia miraculoſa ſupplicibus præſtitit, porrò ſicivũ beneficiorum cæleſtium indagamus, novo è fonte fluxiſſe deprehendemus, nempe ab Artifice. fuit hic Joſephus quiſpiam ſculptor non malus, Chriſtianus etiam apprimè bonus, & B. Virgini devotiſſimus. Huic ſtatua facienda locata eſt, qui artem & ſcalpellum è cælo deduxit modo, quo optarem omnes per orbem ſtatuas Deiparæ ſculpi, pingi, fundi. Ioſephus.

Non ille continuò ſe labore hoc in opere fatigavit. Feriâ quartâ & ſextâ operi intentus fuit, reliquos dies alijs laboribus occu-

cu-

occupatus. Neque in hoc lentitudinem ejus vel ipſa Deipara incuſavit; ſiquidem totis illis diebus pane & aqua contentus fuit, ut ſobrius ſculpturam ſuam exequeretur. Et verò etiam operi gratia tanta eſt data, quæ maximorum artificum labores ſuperaret. Collocata in altari ita placuit, ut pietatem in populo quamprimum concitaverit gratiâ ſuâ, quam cœlitus acceperat, non ſine copioſis & miraculoſis beneficijs. Sculptor porrò Ordinem Sancti Franciſci ingreſſus, ſanctè vixit & obijt, Reverendus Pater Placidus Samperius l. 3. cap. 21.

M X X V I I.

Imago B. V. Miraculoſa. DE ROSA.

Monachij in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *I, anima ſerena, lucida Gemma, tutò pura.*

1. Statua B.V. ærea.

2. Templum duabus turribus decorum.

3. Principium pietatis ab incendio.

HAbet Monachium Bavariæ Metropolis Deiparæ jam pridem dedicata plurima Marianæ pietatis & inſignia monumenta. In foro medio Columnam marmoream exquiſiti operis & quatuor æreis Statuis cuſtoditam mirantur, quotquot exteri eam intuentur, quæ juſtâ ſtaturâ majorem Virginis glorioſæ Statuam ære fuſam atque inauratam ſuſtinet, nec minoris pretij eſt illa, quæ in fronte Palatij Electoralis, duodecim plus minus pedum altitudine proſtat, ærea & marmoribus ornata atque ardente lampade diebus Sabbatinis culta, unde Civium magna, qua pollent in Virginem, pietas augmentum accepiſſe creditur; quorum pleríque pictas ſculptas, figulinas, atque etiam è metallo fuſas Deiparæ Statuas & Imagines domibus ſuis præfigunt, teſtaturi exteris fiduciam, quâ in Deiparam flagrant.

Ieiunium

Templum porrò Urbis præcipuum Deiparæ dedicatum, nemo exterorum eſt, qui non laudet, & ejus majeſtatem veneretur propter inſuetam altitudinem ac longitudinem aliáque architecturæ inſignia artificia. Turres habet duas & quidem finitas quales in Germania tota non reperies, certè in ſumma illa altitudine ſub ipſo æreo tecto tormentorum curulium exploſione muri non terrentur, licèt aliquantulum contremiſcant. Templum.

Hoc in Templo Statua Deiparæ lapidea in honore eſt, & à Civib⁹ eximiè colitur, origo vel ſculptor Statuę ignoratur, in ultimo Sacello annis plurimis ſtetit, à nemine ſingulari honore culta, dum anno 1635. in vicinia Incendium.

Tem-

Templi incendium exortum eſt: in hoc Bernardus quiſpiam ſartor opificio Votum Deiparæ fecit veſtiendi Statuam aliquam, quamcunque reperiſſet, ſiquidem omnem ſupellectilem intactam ab incendio ſervaret Voto facto labori manus admovit, omnémque, quam dixi, ſupellectilem in hoc Deiparæ Templum deportavit: ita nullo ſuo damno flammæ furias evaſit, nec cunctatus eodem in Templo quamplurimas Deiparæ Statuas atque Imagines conſpicatus eſt: ſed hæc inter omnes viſa eſt digniorem cultum habitura, ſi veſte quapiam ornaretur, quam ille confeſtim pro fortunarum ſuarum modo, pretio ſam fecit. Secutæ ſunt paulò poſt aliæ aliæque veſtes longè prima illa opulentiores, & coronæ unionibus graves. Hinc pietas & concurſus populi & beneficia Virginis. Tranſlatio.

Loci incommoditas venerabile Capitulum movit, ut in Capellam aliquam, quarum plurimę Templum totum cingunt, una cum Statua devotionem populi transferrent, ampliore ſpacio dignam, quam tranſlationem ſumma pompa anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo quinto tranſegere, atque in Sacello Sancti Thomæ Apoſtoli collocavêre. Hinc pietas adhuc majus augmentum accepit, ut teſtantur donaria magni pretij, miraculoſa beneficia, quia nondum approbata ab Ordinario, non appono. Hæc ex Authentico accepi.

MXXVIII.

Imago. B. V. Miraculoſa. DE ROSARIO. *Limæ in Regno Peru.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. ***I, ô grandis anima, & pura metu macula.***

1. Pauci contra multos.
2. Virgula terretur exercitus.
3. Miraculis gentis converſio.

HAnc Deiparæ Statuam è ligno incognito ſculptam tulêre ſecum Hiſpani, cùm primum Peruanum Regnum ingrederentur. Juſtæ magnitudinis eſt, & altero brachio JESULUM tenet, manu alterâ Roſarium, colitúrque in Templo Reverendorum Patrum Dominicanorum. Anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo quinto, ducenta millia Barbarorum exiêre in pugnam contrà Hiſpanos ſexcentos, quibus ſolenne ſemper fuit Deiparæ ſe ante pugnam commendare: factum ideſt hac vice. Cùm illa ſubitò utrique exercitui in aëre ſpectandam ſe præbuit animatura Hiſpanos, & Barbaros territura, mortem intentans extentâ, quam gerebat, virgulâ.

Tantum valuerunt hæ cœleſtes

ſtes Virginis & ſuaves minæ, ut Barbari pacem offerrent Hiſpanis, & in vicem tanti muneris acciperent veram fidem. Obſervatum porrò ab utriſque eſt, eâ omnino figurâ apparuiſſe Deiparam, qua in Urbe Limenſi colebatur in hac ſua Statua de Roſario, hinc reliqua miracula originem ſuam traxêre. Coram hac Sacra Statua Sancta Roſa Ordinis Sancti Dominici, quidquid voluit pro ſe & alijs, impetravit, nunquam ſine ſolatio digreſſa eſt. Loquebatur illi Deipara per hanc Statuam non voce ſed radijs lucentibus è facie ſua in Roſam orantem directis: ita mentem loquentis Deiparæ longe altiore ac clariore modo Roſa intellexit, quàm ullæ voces humanæ poſſent exprimere hoc, ni fallor, eſt loqui de facie ad faciem, neque enim alio modo locutum eſſe Deum Moyſi exiſtimo. Ita R. P. Leonardus Hanſen Ordinis S. Dominici in vita S. Roſæ.

S. Roſa.

M X X I X.

Imago B. V. Miraculoſa. ANHOFENSIS. *Anhofij in Germania* Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Euge puritatis arca! munda enim à malo.*

1. Sacerdotis blaſphemia.
2. Votum ſtatim exauditum.
3. Statua mutans vultum.

STatua hæc Virginis Deiparæ nec à materia nec à mole pretium ſuum habet, ſed à virtute Thaumaturgica in pago Anhofenſi. Perantiqua eſt & magno concurſu certis anni temporibus maximè feſtis Deiparæ celebratur. Pro miraculoſa ab avorum memoria ſemper habita fuit, adſunt antiqua & recentia, ex antiquis unum refero. Anno milleſimo quingenteſimo decimo nono, ut pietas populi jam magna, adhuc tamen major fieret, locata pictori fuit, ut eam inductis coloribus renovaret, & in meliorem formam componeret faceréque ex vetuſta venuſtam. Sacerdos ad id deputatus cum bajulis quibuſdam, qui eam in Urbem deportarent, nullo illi negotio exemptam è ſuo loculamento Templo exportârunt: at ubi ad Cœmiterium Templo adjunctum devenère, immobilis ſtatua permanſit, nullo robore movenda, cùm Sacerdos ille impio joco *mulieres*, inquit, *ſaltare ſolent, cùm in uberibus vulnerantur*, quin etiam impium ſarcaſmum probaturus, in Statuã cultellum è vagina extrahit, Statuam in ipſo ubere vulneraturus, ſed Statuam ſaltare conſpicatus non eſt; ſed nec ampliùs ſtantem vidit: ſiquidem cœcitate percuſſus, omnem in perpetuum oculorum uſum amiſit,

Blaſphemia.

ſit, priuſquam cultellum admoveret. Hoc habet.

Quid Sacerdoti actum ſit non inveni, hodie ſi ſæcularis quiſpiam ejuſmodi contumeliam in Virginem effutiret, capite lueret, ſive fune ſive rota. Hoc miraculum antiqua tabula adhuc teſtatur, Statua in Templum reportata, coli ampliùs cœpit. Ex hodiernis beneficijs duo affero. Mulier 1662. equo excuſſa, hærente uno è pedibus in ſtapede ad ſexcentos paſſus nemine uno opem ferente rapta eſt, Voto ad Deiparam facto cum mortua crederetur, viva & omnibus membris ſalva ſurrexit. Hoc inſuper obſervatum eſt à filia, quæ Votum fecit, equum voto facto quamprimùm conſtitiſſe.

Alterum ſpuer expertus eſt, equi calce ſic in capite læſus, ut diffracto cranio cerebrum effflueret: negante opem chirurgo, nec manum admovente, niſi ad lenimen & ſolatium jamiam morituri, facto tamen à matre Voto puer convaluit, mirante præ omnibus & miraculum teſtante Chirurgo. Unum porrò ex miraculis inter perpetua meritò numerari poteſt, quòd vultum mutare ſoleat, & quidem certis anni temporibus, incolis & accolis jam non tanquam rem novam mirantibus, triſte lætúmque portendens, ut Monaſterij Inderſtorffenſis Præpoſitus manu ſua & ſigillo teſtatus eſt. Equus.

* * *

MXXX.

Imago B. V. Miraculoſa. DE ITRIA. *Meſſinæ in Sicilia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Vna palam emica, una Virgo teras Ditem.*

1. *Beatiſſima Virgo favet Latinis.*
2. *Lampas ardet ſine oleo.*
3. *Tribuum & opificum Templa.*

NOndum in Urbe Meſſina omnes artificum tribus ſua Templa, ſuas Confraternitates habuère, cùm lapicidæ & murarij conſilium ſuſcepère fabricandi Templum Deiparæ, ſed impenſis territi, exiguum & per antiquum jam Deiparæ Templum paratâ pecuniâ ſuum facere decreverunt. Sed Græcus Sacerdos, cujus erat, reſtitit, dum demum magnorum virorum operâ ceſſit, certis tamen conditionibus, inter quas una fuit, ut feriâ tertiâ Pentecoſtes ſive in hoc ſive in novo aliquando ædificando Clerus græcus utraſque Veſperas ritu ſuo cum officio celebraret, quod, quia uniti cum Eccleſia Romana ſunt, non gravatè conceſſum eſt, fuit hìc Imago Deiparæ de Itria græcæ & perantiquæ manus opus. Statim affluxus populi loco venerationem dedit, & Virgo accurren- Græci.

rentibus beneficia; ut intelligerent Latini, favere ſibi Virginem non Græcis. Comportatæ propter miracula pecuniæ facilè in magnificum Templum ſuffecêre, in quo hodie antiqua Deiparæ Imago de Itria colitur, cujus Lampas diu noctúque ardere ſolita, dum incuriâ æditui neglecta eſt, deficiente oleo ſolâ aqua ardere à populo viſa eſt; unde auctâ populi pietate, cultus Sanctæ & miraculoſæ Imaginis magnum accepit incrementum: quod tabulæ Templum veſtientes abundè teſtantur. Ita Reverendus Pater Placidus Samperius in ſua Iconol. l. 4. cap. 13.

Lamp.

M X X X I.

Imago B. V. Miraculoſa. DE BUSCO. *Hallis in Germania Inf.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Agnita amata cares vulnere dum pono.*

1. Miſeria pietatis conſiliatrix.

2. Imago ad arborem honorata.

3. Votum in ſomno peractum.

SIlva eſt altero ab Halleſin Deipara lapide, quam hodiéque vocant à Domino loci ſilvam Domini Iſaaci, illic Sacellum eſt cum Cœnobio Canonicorum Regularium, in quo Deiparæ Statua in ſummis honoribus ab antiquo eſt, porrò originem hujus Sacelli ipſa Deipara dedit per loci Dominum nobilem Iſaacum. Is nobilitate & armis inclitus, cum alijs Germaniæ Inferioris nobilibus ad ſacram expeditionem contra Saracenos profectus, ſiniſtro belli eventu captus ab hoſtibus eſt, & in carcerem retruſus. Luror carceris & vincula pietatem nobili captivo auxêre, præſertim in Deiparam, atq; in memoriam revocavit Imaginem, quam ad pedem caſtri ſui è quadam arbore pendulam tranſeuntes non ſine fructu honorant, quámq; & ipſe frequenter ſolitus erat per tranſitum ſalutare. Huic ſe fiduciа plenus commendat oratione, quam præſens miſeria poſcebat, non dedignata eſt reſpondere S. Virgo roganti; ſed in noctem uſq; diſtulit, cùm dormienti apparens: *quid, inquit, me in auxilium vocas, qui Imaginem meam tot jam gratijs publico notam cultámque injurijs cœli expoſitam deſeruiſti: age tamen & promitte, Sacellum te ædificaturum in loco, & Imagini meæ honores daturum majores, & te vinculis vel hoc momento ſolvam, liberúmque deducam in patriam.*

Captivi.

Votum.

Non ille longas in ſomno inſtituit Conſultationes, quid agendum eſſet: vovit, quod petebatur, Sacellum, Votúmque novis promiſſis firmavit. Stetit quoq; promiſſis Deipara: ſi quidem excuſſo ſomno verà ſe ſomniâſſe vidit, & ſe à catenis liberum, & portas carceris apertas. Iſaacus non multum inſecuturos moratus, in viam ſe dat, & felici itine-

Sacelli. re domum revertitur in Brabantiam, ſuisque ſe ſiſtit in Caſtro ſuo gentilitio, & quamprimum ſacello dat primum in fundamenta lapidem, Imaginémque in eo ritè & cum pompa collocat. Quæ hodiéque in honoribus eſt propter beneficia miraculoſa, quæ ſupplices obtinent. Hæc VVikmannus, l. 3. c. 48.

M X X X I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE CHARITATE.
Meſſinæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Tu arca munda: Eva impleta amoris igne.*

1. Inſolens remora navem ſiſtit.
2. Vnimanus cui nemo condolet.
3. Campana, ſponte ſonans.

EST in urbe Meſſinenſi hoſpitalis domus peregrinis recipiendis ædificata, in hac colitur miraculoſa Deiparæ Imago non magna, cujus originem appono. Divertit hic peregrinus quiſpiam Jeroſolymitanus; hic omne delitium itineris ſui propoſitum habuit in Imagine quapiam Virginis Beatiſſimæ, ſive eam domo ſecum extulerit, ſive ex ipſa Jeroſolyma ſecum aſportârit. In itu hæc contigerint, an in reditu, nec ipſe Auctor memorat. Peregrinus pôſt ſolitos hoſpitij dies ad mare vocatus navem conſcendit: Sed navis officium ſuum non fecit, favebat cum ventis cælum, non reſpuit navem inquietum mare, & tumentibus licèt velis, nullus tamen navis progreſſus, angebat hoc nautas, non parùm mirante Navarcho tam potentem & inſolitam remoram. Peregrinus præ cæteris in preces coram ſua Imagine effuſus fatigavit votis Cælum. Sed Deipara interna eum voce allocuta eſt, & cauſam moræ hujus edixit eſſe Imaginem, quam illa vellet eo in hoſpitali poſthac à populo honorari. Quanquam non injucunda peregrino fuit Deiparæ allocutio; ingratiſſimum tamen ei fuit, quòd juberetur Imaginem hanc relinquere Meſſinæ. Vnum, inquiebat, unicúmque eſt viæ ſolatium: hæc mihi fuit & futura erat in naufragio anchora, in dubijs ſecurum conſilium, in paupertate theſaurus, in morbis remedium; ero poſthac mæſtus ſine ſolatio, vivus ſine corde, errabundus ſine ductrice. Sed quia, ò Virgo, jubes, eam relinquo, ea tamen conditione, ne tu me relinquas. Simul dictis tantum lachrymarum mæſtús effudit, quantum è duobus oculis mæror extorquere poteſt. Revertitur itáque è portu in urbem, & Hoſpitalis curatoribus ritè Imaginem tradit mandátque, curarent, ut ad poſteros quoque hujus rei memoria perveniret.

Apparitio. [margin note beside "lyma ſecum aſportârit"]

Illi actis peregrino gratijs S. Imaginem titulo, de Charitate, honorant & in altari collocant. Fama hujus Originis per urbem didita, & à nautis confirmata miraculis clarere quamprimum Imaginem

ginem fecit. Imaginem in tabula pictam tradidit peregrinus integram: nunc ſerra fiſſam nemo non miratur, & cauſam quærit; præſertim quia caput ad gutturis regionem abſciſſum eſt. Hujus fiſſuræ Hiſtoriam accipe, lector. Fuit inter hoſpitalis domûs curatores cæteris potentior, is Imaginem miraculoſam ſuperflua arte ad majores honores evehere volens, curabo, inquit, pictura meliore pingi Virginem, juſtâ ſtaturâ: & ne obſit Imago miraculoſa, abſciſſum ſerra caput apponam picturæ: ita novum altare & de Imagine miraculoſa habebit vultum, & ab arte corpus reliquum juſta proportione. Nemo fuit, cui non totum conſilium diſpliceret; nemo, qui non repugnaret: non curare Virginem eos honores, qui capitis abſciſſione eſſent emendi; non eſſe facienda mala, ut eveniant bona: proximum ſacrilegio eſſe, temerare quacunque intentione tam ſacrum pignus. At Potentia hominis vicit, cúmque neminem inveniret, qui manum admovere ſceleri vellet, ipſe correptâ ſerrâ officium fecit, utique Virgini non tamen ullo aut miraculo aut ſigno factum improbante, quin non parùm vanos timores exprobrante curatore, qui ſolus ignorabat, ſe in hac ſcena partes carnificis egiſſe; dum paucos poſt dies in lites delapſus ad manus venit, inimico ad duellum provocato, in quo dextra illa uno ictu truncata eſt, quæ ſerram in findenda Imagine duxit, nemine uno invento, qui unimano condoleret. Ita nempe ſibi conſcientias formant impij, & quod ſceleſtum eſt, habent pro pio, exiſtimantur ſe obſequium præſtare Deo, ſi ea faciant, quæ Deus vetat & abominatur. Illud miror quod Hoſpitalis cæteri curatores abjectâ picturâ novâ, quantum per artem licuit, tabellam integritati ſuæ non reſtituerint. Adeſt etiamnum picturæ novæ adjunctum caput antiquæ tabulæ, crevit quoque veneratio, certè anno 1523. cùm peſtifera lues Meſſinam affligeret, ſolenni pompa per urbem delata eſt inter populi gemitus & lachrymas. Fuit cum aliquorum incuria hoſpitale flammam conciperet, in certum exitium omnibus periculi ignaris, cùm campana hujus Templi ſponte inſonare cæpit ſono, quàm ſolebat contentiore, & populum ad opem hoſpitali ferendam accivit. R.P. Plac. Samperi. l.4.c 18.

Impietas. *Obſtinatio.* *Duellum*

MXXXIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE BETHANIA. *Buſcoduci in Germania Inf.*

Progr. AVE MARIA, gratià plena; Dominus tecum.

Anagr. *O alma ac munda Eva! i puritatis germen.*

1. Monialis Energumena.
2. Apoplectica à B.V. curatur.
3. B.V. apparet ægra.

IN hoc Virginum Cænobio, quod originem ſuam habuit anno 1475. quanquam Deiparæ de-

dicatum non ſit, habet tamen Imaginem Deiparæ miraculoſam, quæ licet ab antiquo in honoribus ſemper fuerit, anno tamen 1580. novis modis clarere cæpit, propter miraculum inſolitæ curationis. Eva. Sanctimonialis quædam *Eva* nomine, poſtquam anno 1580. convaluit è graviſſima infirmitate, anno ſequenti toto latere ſiniſtro repentè facta eſt apoplectica: manus præterea neſcio quo caſu erat ambuſta, in curuatis & contractis in pugnum digitis, ſine fulcro & aliarum ſororum adjumento nec greſſum, facere auſa. Atque ut hæc mala magna fuerint, aucta ſunt tamen, poſtquam malus hoſpes bonam ingreſſus Energumenam fecit. Duobus omnino annis infernalis hoſpes miris diriſque modis Monialem torſit; dum ſororum precibus & Sacerdotum exorciſmis exacto dæmone eſt liberata, non tamen à claudicatione & Apoplexia. Hanc curam Deipara ſibi reſervavit, quanquam & priorem & ſacerdotes Exorciſtæ, & ſorores comprecantes ei adſcripſerunt: neque enim decebat, *Evam à Maria* deſeri, præſertim à dæmone deceptam. Non ſemel illa *Eva* ſpectabilem ſe præbuit; dum demum ſolo manus Virgineæ tactu membris uſum ſuum reſtituit, anno 1589. ſub mediam noctem Feſti Purificatæ Virginis. Inde auctus S. Imaginis cultus amplioribus beneficijs locum fecit. VVikmannus. l. 5. c. 62. Apparitio.

M X X X I V.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE DROMO.
Meſſinæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Jo gaude nam intemerata pura maculis.*

1. *Infelix ſomnio felici non credit.*
2. *Cura pedis inſomno.*
3. *Machometanus à B. V. curatus.*

HÆc miraculoſa & antiquiſſima Deiparæ Imago olim Græcorum fuit de Dromo, id eſt de curſu vocata, ideo quia non longè diſtat ab ea platea, in qua quandoque equi exerceri ſolent, ut Romæ. Etiam à ſcholis habuiſſe nomen traditur, ob eorum pietatem, qui Gymnaſium frequentabant. Cultus, inquam, ab antiquo Imagini datus à Græcis, miraculoſam fuiſſe arguit: quanquam hac de re nil ſcriptum inveniatur. At verò ubi templum Latinis ceſſit, quamprimum illuſtrari clarioribus cæpit miraculis. Certè temporibus Friderici II. Regis Siciliæ, nobili Virgini é Gynecæo favor primus obtigit, illa caſu infelici os pedis unius ita vel luxavit vel fregit, ut medicorum decreto pars Chirurgus. affecta die altero ſecanda eſſet, ne pars quoque ſincera in idem immedicabile malum traheretur. Illa non tam ſectionem quàm ſecuturam mortem metuens, Deiparæ ſe ad hanc Imaginem identi-

dem commendans, noctem penè inſomnem traxit. Atque ut ſomnus tunc vitæ neceſſarius non fuerit, præteriri tamen non potuit, quia per ſomnium monenda de miraculo fuit, quapropter ceſſit ſolicitudo naturæ, ſomnum poſtulanti: cùm Deipara ei apparens eâ figurâ, qua in templo picta colebatur, & dormientem primùm ſolata, deinde etiam, *filia*, inquit, *Confide, brevi ſanaberis.* his dictis viſio finem ſomno dedit, & hic illi. Nemo infelix felicibus ſomnijs fidem habet; ſpes omnis tamen hanc puellam non deſeruit.

Adſunt Chirurgi, promunt amicæ ſævitiæ inſtrumenta, & faſcias religant rei pedis; cùm unus alterum & hic tertium vultu reſpicit attonito: è quibus unus, reddite, inquit, vota, quæcunque ſuperûm alicui promiſiſtis, abimus: neque enim quidquam eſt curæ noſtræ relictum, omnia Superi exquiſitiſſimâ diligentiâ curârūt. Nō erant injucunda puellæ hæc medicorum judicia: quapropter & ipſa, ne ſuo honore Deipara careret, præſentibus denarrare inſtituit, quomodo omnem penè noctem inſumpſiſſet, orando, quámque dulci ſomnio fruita eſſet vidiſſetque Deiparam, verbis ſuaviſſimis promittentem hanc ægri pedis ſanitatem. Hinc concurſus populi, & nova populi fiducia, plura à ſanctiſſima Virgine miracula hoc in loco obtinuit.

Miraculum.

Majus eſt, quód ſervo Machometano & infideli apparere dignata eſt anno 1575. hic à cadente trabe ſic afflictus in terram eſt, ut per diffractum cranium Chirurgus ipſum cerebrum intueretur. Virgo Dormienti ea forma apparuit, qua colitur in hac Sancta Icone, & *ò infelix*, inquit, *cur ita deſipis? Si fidem filij mei receperis, & baptizatus ritè fueris, ſpondeo tibi ſanitatem.* Non defuere adhortationibus ſuis domeſtici ſomnium narranti: paruit quoque æger, & ritè inſtructus cum Baptiſmo Sanitatem recepit. Alia quæ memorat Auctor omitto. Curam habent RR. PP. Franciſcani.

Apparitio.

MXXXV.

Imago B. V. Miraculoſa. DE LUCE. *Meſſinæ in Sicilia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Pura manè ito, ita ſacrum Dei agnum ale.*

1. *Pompa venerabilis Sacerdotis ad agros.*
2. *Cæcus illuminatus.*
3. *Tepiditas Sarcaſmo defenditur.*

Rerum maximarum principia plerúmque exigua, atque etiam contemptui obnoxia ſunt. Hæc miraculoſiſſima Deiparæ Imago, nullo adhuc miraculo clara venerationem ſuam accepit in hunc modum. Randaza Civitas eſt Siciliæ: in hac

ctor plurima alia, quæ brevitatis cauſâ prætereo. Cæterùm Feſta Deiparæ omnia hoc in loco ſumma & æquali pompâ celebrantur. Ita Reverendus Pater Placidus Samperius Societatis JESU 4. cap. 24.

M X X X V I.

Imago B. V. Miraculoſa. DE URTICETO.

Straubingæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Agna vere munda luti pomi mater Iſaac.*

1. Imago exuſto Templo tranſlata.
2. Expectat reditum in ſua.
3. Civibus in fuga prodeſt.

UTinam ſæpius cogerer de eadem miraculoſa Imagine Mariana bis loqui, imò centies! dixi ſupra, ſuo loco, de miraculoſiſſima Imagine Mariana *de Urticeto*, cujus originem & progreſſum integro libello Joannes Trithemius Abbas Spanheimenſis piè & eruditè deſcripſit. Reverendorum Patrum Carmelitarum theſaurus hic ab antiquo fuit, in Conventu, quem habuêre in pommerio oppidi Imperialis *Heilbronnæ* in Franconia. Quia Hæreſis. verò ultimis bellorum tumultibus prędictum Cœnobium unà cum Templo funditus deſtructum eſt, miraculoſa Deiparæ Imago ad ſecuriores terras eſt tranſlata, & licèt plura Carmelitanæ Religionis Cœnobia tanti Theſauri cuſtodiam ambiverint, Straubinganum tamen in Bavaria obtinuit. Hæc tranſlatio, quantâ fieri potuit pompâ, eſt celebrata anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo primo, 28. die Menſis Maij.

Quieſcet hic miraculoſa hæc Deiparæ Statua, dum aliquando iterum Heilbronnam Reverendis Patribus redire liceat & latentem ſub cineribus Conventum reſtaurare. Interim Straubingæ non deſinit Deipara ſupplicibus largiri beneficia, quæ olim in prima Sede in Franconia largita eſt; quorum nonnulla ad me perſcripta ſunt, quia tamen necdum ab Ordinario approbata ſunt, hic adjungere ſuperſedeo.

M X X X V I I.

Imago B. V. Miraculoſa. DE ANDRIA.

Meſſinæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *O mundam à caſu à generali impuritate!*

1. Anguli ſceleritas apti.
2. Imaginum potentia.
3. Peregrini bonum conſilium.

AD mœnia Urbis angulum reliquêre Architecti, nulli rei aptiorem, quàm perpetrandis furtis, rapinis, atque etiam latrocinijs: nemo tranſeuntium rerum vitæque ſecurus præteribat, nocturno præſertim tempore. Et quia vicinis civibus non levem hæc latrocinia moleſtiam creabant, fuit eorum unus, qui malo huic remedium inventurus, Imaginem Sancti Nicolai affixit muro, non ſine felici effectu, ſiquidem ſicarijs metum incuſſit tutelaris Sancti majeſtas, ut nihil horum tumultuum ampliùs audiretur. Felix quies vicinis tam obvio remedio procurata, digna auctori viſa eſt, quæ adhuc majore ſecuritate confirmaretur. Quapropter petito à vicinis auxilio, ita muro parietem adjunxit, ut in Sacelli formam figurámque infamis angulus excreſceret, communi & unita manu, pecuniâ, voluntate, niſi quòd in diverſas diſtraheret ſententias, cæterà concordes, Sancti electio, cui hæc fabrica dedicaretur. Cùm peregrinus quiſpiam tranſiens, eos conjunxit, prolata è ſinu Imagine Deiparæ. *Huic*, inquit, *locum dedicate: hæc vos tuebitur, & omnem latè plateam ſecuritate, quam optatis, beabit. De Andria Civitate Apuliæ nomen habet, in qua colitur, unde ego nunc venio, acceptis beneficijs gravis; atque utinam per omnem vitam gratus.* Perſuaſit peregrinus aliàs in Virginis cultum pronis, ut Imaginem, quam ſecum attulerat, quamprimùm pictori darent, magnitudine depingendam.

Peregrinus.

Ita brevi ſtetit & altare: populi concurſus è vicina platea famam propagavit per omnem latè Meſſinam: congeſtæ ob beneficia accepta pecuniæ poſcebant Templum; ſiquidem Oratorij anguſtiæ non capiebant beneficia, quæ Deipara liberaliſſimè ſpargebat: neque Urbis Magiſtratus in hoc ſe difficilem prębuit, locum Deiparæ dedit ampliſſimi Templi capacem, quod brevi tempore ſtetit, Ita ex ſpelunca latronum Domus orationis facta eſt anno milleſimo ſexcenteſimo decimo. Vix elapſo ſeptennio Confraternitas, quæ Sacrum & miraculoſum locum tuetur, erecta eſt.

Magiſtratus.

Feſtum porrò celebratur Dominica infra Octavam Nativitatis Beatiſſimæ Virginis. Dici non poteſt, quot quantaque hodiedum Deipara ad hanc S. Imaginem patret miracula: appenſis Votis veſtiuntur parietes, & nunquam non adſunt terrâ marîque advenæ, qui ſe teſtantur in caſibus deſperatiſſimis à Regina Cœli adjutos. Hæc Reverendus Pater Placidus Samperius Societatis JESU in ſua Iconologia l. 4. cap. 27.

M X X X V I I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE BANCO.
Bruxellis in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Pura Virgo amata, centies munda mali.*

1. Statua Beatiſſimæ Virginis ſiſtit hoſtes.
2. Remedium febrium.
3. Ægri ex pio bello.

VIrginum Ciſtercienſium hoc Cœnobium eſt, quod Bancum appellatur, teli jactu à Porta. Hic ante quadringentos annos eo loco, quo Dux Brabantiæ juramentum præſtare ſolitus eſt, lapidea Deiparæ Statua ſtetit, dudum antequam hîc Sacellum extrueretur, è Regione Monaſterij.

Contigit, ut anno milleſimo ſexcenteſimo octavo feſtis Paſchalibus ingens lapis, qui ſacræ Statuæ imminebat, vi ventorum emotus in terram decideret, nullo Sacræ Statuæ damno, quod ab ijs, qui Deiparæ magis addicti erant, ſingulariter obſervatum eſt. Traditio quoque olim hoſtes, (quiqui illi fuerint) Bruxellenſi Urbi infeſtos, ubi ad hanc S. Statuam pervenere, retrocedere coactos eſſe vi occultâ, neque unquam ulteriùs progredi potuiſſe; quanquam haberent ante oculos ipſam Urbis portam. Hic ſtetiſſe olim hoſpitale leproſorum, videtur inſinuare auctor, qui obſervat, è cruciatis expeditionibus in terram Sanctam, redijſſe quamplurimos lepra infectos, pro quibus paſſim ejuſmodi hoſpitalia extructa ſunt. Ceterùm Sacellcello peranguſto incluſa S. Statua à febricitantibus maximè celebratur, quibus ſanitatem largitur. Wikmannus l.3. cap.63. Hoſtes.

M X X X I X.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE LOCO.
Ratiſponæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum,

Anagr. *Amata, ſignaculo Dei munita, merè pura.*

1. Uniformis & fida conſtans traditio
2. Congregatio defunctorum.
3. Juniperus nec creſcens, nec decreſcens.

DE hac Deiparæ miraculoſa Statua, nihil extat, præter ſolam ſed uniformem & conſtantem traditionem. Statua Deiparæ lapidea eſt ſex non minùs pedes alta, creditur ante quingentos plùs minùs annos facta, quod artificis peritia vel

dubitantibus perſuadet, ait fida traditio, eam per fluvium *Naabum* erectam in hunc uſque locum defluxiſſe & ad Juniperum conſtitiſſe. Confluxêre è vicinia Colonorum pientiſſimi, & agnito miraculo S.Statuam collocârunt in littore, eíque Templum decreverunt, non tantùm Templū. Virginis ſed & ſuæ commoditati conſulturi, ex altera fluminis parte, quæ habitatoribus abundat, comportatam tamen materiam ſemel iterúmque in eum locum deveniſſe, ubi S. Statua ſe primùm ſtiterat, ex altera fluminis parte, fert communis & perantiqua traditio. Itaque cognita Virginis voluntate, hoc in loco Templum extructum eſt, ad littus fluminis *Naabi* una circiter hora ab Urbe Ratiſponenſi, quod hodieque videtur. Quin addunt Juniperum illam in perpetuam rei memoriam muro Templi implantatam, in hanc uſque diem non exaruiſſe. Hæc fidâ traditione ad ſe perveniſſe, habitatores vicini teſtantur, ſeniores quoque ajunt, Juniperum illam muro olim inſertam illibatam ita perſeverare, ut nec majorem unquam neque minorem viderint, qualeſcunque annos demum cæteræ fruges ſint expertæ. Juniperus Peregrinationibus plurimis ſacer locus viſitatur, hodie Confraternitate defunctorum inſignis. Tabellæ undique affixæ beneficia Virginis teſtantur quamplurima: quanquam ea omnia perierint, quæ olim hæreſis & poſtea furor Suecicus abſtulit. Feſta Deiparæ omnia hîc celebrantur. Ita ex Authentico ad me miſſo.

M X L.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE BOSCO,
Meſſinæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. ***Euge Summi dilecta amica, ornata, pura.***

1. *Infantis mirabilis caſus.*
2. *Ectypon Imaginis miraculoſum.*
3. *Peregrinatio maritima.*

BEatiſſima Virgo de *Boſco*, ſeu de *Dumeto* tam miraculoſa eſt in Calabria parte Regni Neapolitani in Italia, ut magnetis inſtar trahat peregrinos ex ipſa Sicilia. Fuêre Meſſinenſes nonnulli, quos annua peregrinatio maritima in Calabriam, valde Virgini adſtrinxit, ut, qui nunquam redirent niſi beneficijs Marianis ita graves, ut eos itineris non pœniteret. Hi obtentâ licentiâ Meſſinæ in Patria Deiparæ exiguum ſtruxêre Sacellum honorandæ Virgini de *Boſco*, ejúſque Imaginem ſtatuerunt in altari, non dubij, quamprimùm & hîc, ſub eodem titulo fore liberalem & beneficam, Peregrinatio. quan-

quando Siculi non minùs ac Calabri eſſent devoti. Nec eos fefellit opinio: quamprimùm pendere ad muros & tabellæ & votiva donaria.

Caſus. Quod maximè populum acivit miraculum, caſus fuit ex alto infantis, quem ipſo in lapſu fæmina quæpiam Deiparæ de *Boſco* commendavit. Nullo dolore, nullo incommodo puer in terra conſedit, teſtatus Matronam quampiam candido veſtitu manu prehenſum ſe ita ſuaviter & ſine ullo metu collocâſſe. Inde aucta pietas & erecta Confraternitas, quæ feſtum celebrat Dominica infra octavam Nativitatis Beatiſſimæ Virginis. Reverendus Pater Placidus Samperius Societatis JESU l.4.cap.25.

M X L I.

Imago B. V. Miraculoſa.

AUXILIATRIX.

Monachij in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Tu Eva, tu Adami crimen palàm ignoras.*

1. Vultus Statuæ amæniſſimus.
2. Augiæ ſtabulum antiquo melius.
3. Reliquiarum theſaurus.

PEramænus ad flumen Iſaræ tractus eſt penè ad portas Urbis Monacenſis, quem majores vocârunt Augiam. Tractus hic longo ordine ruſticanis domibus refertus in medio ceſpitem habet aliquot centenis paſſibus longum, paulò minùs latum, in hujus medio ſtat capax Deiparæ auxiliatricis Templum, quod titulum habet ab auxilio, ad ejus pene imitationem erectum, quod prope Auguſtam in campo Licio videtur. Fabricæ Auctor fuit vir pius, & in extremam uſque ſenectutem Virgini devotiſſimus Sebaſtianus Rathonius Lotharingus, ſed à prima Ineuntu. pueritia in Aula Bavarica educatus in Eliſabetæ Lotharingicæ Electricis obſequijs. Hic ſuis partim, partim emendicatis à ſe ſumptibus fabricam anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo nono incœpit ac uſque ad tectum perduxit anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo ſecundo, quo ſiſtere pauliſper fabricam juſſit Suecicus furor, dum demum anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimono no finem ſuum accepit & coronidem tam pij Architecti tam pium opus.

Ambulationi aptum iter nullo non die à civibus viſitatur. Ante aliquot annos Sanctiſſimi Roſarij Confraternitate, aucta pietas locum fecit celebriorem, Tabellæ undiq; pendentes è muris grandia & multa Virginis beneficia tam calamo, quam penicillo loquentur. Porrò Sacra Statua per ſe eximia eſt & viſu digna, vultum ma- Ambulatio.

Ebur. núſque fecit inſignis artifex ex ebore nullo hactenus invento, qui vultus amænitatem, quàm perita manus dare poſſet, majorem deſideraret. Ad hæc reliqua ſtatuæ pars licèt è ligno ſit, ebur tamen pretio ſuperat, ut quæ multas & raras reliquias tenet incluſas, quas ille partim ex incomparabili reliquiarũ theſauro, quẽ Sereniſſimus Elector à majoribus acceptum ſingulari in pretio habuit, partim ab Abbatibus & Prælatis religioſis, quibus erat familiariſſimus accepit. Hæc ex Authentico.

M X L I I.

Imago B. V. Miraculoſa. HANSWICANA.

Hanswicæ in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Gemma divina, orta pura & ſine macula*

1. Vermis ſpecie dæmon eijcitur.
2. Puer innocens dæmonem pellit.
3. Virtus S. Crucis.

HÆc Deiparæ miraculoſa Statua de valle ſcholarium ſeu diſcipulorum ab antiquo nomen ſuum habet, eſtque in Cænobio Religioſorum, qui regulam S. Auguſtini ſequuntur, ab Honorio III. Pontifice approbatorum anno 1218. Cæterà habitu non differentium à Ciſtercienſibus in templo, habentúrque ſolùm duo Cænobia in tota Germania inferiore. Statua ab antiquo miraculoſa eſt, habetúrque pro tali in hæc uſque tempora.

Saltatio. Inter miracula illud maximè ad rem eſt, de quo agit Cantipratanus, ſcribitque contigiſſe anno 1280. Mechliniæ. Puellam namque ſaltatione fatigatam die dominico domum conceſſiſſe, & cùm dormitum iret deprehenſam eſſe obſeſſam à dæmone. Hæc altero die ligata *ad Oratorium glorioſæ Virginis in Hansvvick, deportatur: frequenter enim ibidem Maria virtutum operatrix miracula plurima demonſtravit. Quod ubi ſcholares pueri perceperunt, ad locum ubi vexabatur puella in Oratoriũ concurrerunt:* Energumena. *quorum unus, annorum ferè duodecim, audacior cæteris atque ſagacior, cæpit compellere & adjurare dæmonium, ut corpus obſeſſum desereret, & exiret. Nec mora, ubi dæmon circa umbilicum per tumorem ſe eſſe monſtravit, dictus puer crucem cum pollice in contrarium fixit: & ſic paulatim per crucem verſus os aſcendere compulit, donec eum in ſpeciem hirſuti vermis, omnis populus intra hiatum oris hærentem vidit. Quo miro conatu ad inferiora redire volente clamavit populus: puer autem inſtanter ſignum ſalutis oppoſuit, & cum maxima violentia dæmonem exire coëgit. Ejectum ergo, ut diximus, in modum hirſuti vermis, puer audacter dexterâ comprehendit, & in foſſam parvulam, ubi pluvialis unda conſederat mox projecit. Qui ſtatim in oculis totius plebis diſparens, lætitiæ & laudis materiam omnibus dereliquit.* Crux.

Manus pueri à contactu vermis nigredine infectea remanſit; ſed protinus aquæ benedictæ levamento diſceſſit. Hæc Cantipratanus apud Wikmannum l. 3. c. 65. qui etiam citat Coluenerium recenſentem de muliere omnibus membris capta & repentè hîc in præſentia populi reſtituta anno 1626. feria 2. Pentecoſtes.

Imago.

MXLIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE PORTA.

Meſſinæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Gemma intrinſecè pura à luto Adam avi.*

1. Terræ motus inſolitus.
2. Effectus ſupplicationis.
3. Parvuli ſe flagellant.

DUce omnino Imagines Marianæ ſunt ejuſdem tituli *de porta*, utraque antiquiſſima, utraque conceptioni Deiparæ dedicata, utraque picta: altera in tabula lignea, quæ inferior ideo dicitur, quòd cultum ſuum habet in templo; cùm altera dicatur ſuperior, eò quòd à templo per ſcalas in Oratorium aſcendatur, in quo à numeroſa confraternitate colitur. Utráque beneficijs miraculoſis claret; inferior præſertim, quæ ſupplicatione profuſis inſolita per urbem Meſſinenſem delata, terræ motum ſtitit anno 1538. Quo tota urbs fœdè concuſſa eſt.

Proceſſio.

Inſolitam dixi ſupplicationem; quia proceſſioni initium dedit longiſſimus ordo parvulorum, qui præterquam quod nudis pedibus incederent, etiam terga flagellis ad virorum ruborem cruentabant. Puellæ volantibus capillis, & ſpinis coronatæ cantatis Litanijs Deiparam invocabant. Qui ſequebantur diverſis modis more gentis afflicti horrorem ingerebant ſpectantibus, & eos ad peccatorum dolorem commovebant. Hæc R. P. Samperius, l. 4. c. 31.

Flagellatio.

CMXLIV.

Imago B. V. Miraculoſa. MARIA KüRCHENSIS.

Schärdingæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Salva communi Adæ impuritate regna!*

1. Architectura inimica miraculis.
2. Conſpecta Statua ceſſat pluvia.
3. Meſſis inexpectata.

PAgus eſt propè oppidum Schardingam, qui à templo Mariano ſuum nomen olim accepit, hodiéque vocatur *templum Mariæ.* Locum olim miraculis & concurſu fuiſſe celeberrimum, habetur ex ſcripturis antiquis: atque etiam ex eo, quòd pagi nomen interierit, atque à templo B. Virginis aliud,

ut

ut dixi, nomen acquiſiverit. Cur autem Deiparæ beneficia finem ſuum acceperint, adeoque etiam concurſus peregrinorum deſierint, inde eſt, quòd Parochus quiſpiam, emunctioris naris templo renovato, etiam altare unâ cum Statua B. Virginis removerit. Antiqua, inquit, eſt, & tantùm non carie exeſa, nec decenter revocari poteſt; quin etiam nullo Sculptoris artificio inſignis, locum dabit novæ in novo altari à perita ſculptoris manu. Et hæc quidem Parochus mente bona, ſed oppidò nimiùm imperita.

Ita Statua miraculoſa ab uno in alium angulum deportata vix locum ampliùs reperit in templo. Interea ſenſim ſine ſenſu deſiere Virginis miraculoſa beneficia, & cum his Peregrinorum accurſus; donec Parochus alius longa poſt tempora cogitationem ſuſcepit, reducendæ pietatis, modúmque invenit, quod toties hoc in opere memoro & inculco. Miracula, inquit, per hanc, quæ in angulo latet Statuam olim Deipara patravit: hac neglecta etiam nos neglecti ſumus quapropter hac quoque reducta & honoribus antiquis aucta, etiam Deiparæ beneficia reducentur.

Neglectus.

Ita in omnem occaſionem intento Parocho, honorandæ Statuæ ſupervenit pluvia, tam pertinax támque diuturna, ut tantùm non diluvium eſſet metuendum: atque ut hoc non eſſet, certè jam meſſis penè perierat per omnem latè Regionem. Solicitos colonos & jam famem atque, nopiam ſequentis anni deplorantes, Parochus MariaKürchenſis è pulpito ad ſpem meliorem erexit, *habeo*, inquit. *quo vos conſoler, optimi filij; habeo, quo pluvias pellam & meſſem vobis prabeam opulentam.*

Statua Deiparæ, quam videtis, in angulo, honoranda eſt: reducet illa ſerenitatem pulſis pluvijs quæ vobis tot lacbrimas elicuerunt. Hæc, hæc eſt, quæ olim hîc miracula patravit, quæ ceſſantibus vobis ceſſavit & ipſa. Iterum miſericors erit, ſi miſeros ſibi ſupplices viderit, jam in proceſſione circum agros portanda eſt: vexilla viri prebendite, & pompæ initium date.

Statua.

Non parva fuit ruſticis cura vexillorum ſericorum, quin etiam veſtium, inter præcipites nimbos; præſentiores tamen illis fuere agri opulentâ meſſe graves. Itaq; dum quatuor ex omnibus viri S. ſtatuam in ferculo humeris aptant, dum Parochus eam cimelijs templi tumultuariè veſtit & armat, dum viri fæminæque præeuntibus altis vexillis in Campos præcedunt, & quod metuebant, ſatis ſupérque toti ordinatam ſupplicationem per agros ordiuntur, demum etiam ipſa S. Statua ultra templi portam à quatuor viris promovetur; cùm ecce finem repente dederunt optatum pluviæ tam miraculoſum, ut ne gutta quidem ampliùs è cælo decideret, ſimul ac Reginæ cæli Statua conſpecta eſt. Illud rem tantam reddidit magis miraculoſam, quòd hæc perfectiſſima cæli ſerenitas per omnem meſſem duraverit. Atque ut nihil omnino eſſet, quod hoc in beneficio Virginis Miraculo careret, per omnes circum campos pertinax pluvia

Meſſis.

Serenitas.

via meſſem penè omnem deſtruxit.

Hæ enon ita obſcura fuerunt, ut ab uno alteróve ficta credi poſſent, per omnem latè Regionem vulgata hujus pagi opulenta meſſis & circumjacentium inopia, iterum loco reduxit ſuam & antiquam pietatem, quæ hodiéque viget & augetur. Ita Authenticum ad me miſſum.

M X L V.

Imago B. V. Miraculoſa. DE LITTERA. *Meſſinæ in Sicilia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Vti ſumma Deipara non egit rea macula.*

1. Charta miracula patrans.

2. Antiquorum renovatio utilis.

3. Epiſtola Beatæ Virginis.

PLura, ut ſæpe, dixi ſunt Meſſinæ vel Sacella vel Templa, in quibus Deiparę Imagines miraculoſæ coluntur ſub titulo, de littera, Meſſinenſibus præ omnibus acceptiſſimo. Locus hic eſt ſub ipſo Templo Cathedrali, ejúſque Choro, jam ab initio prædicatæ fidei apud Meſſinenſes celebris. Hìc cantatæ ſunt horæ canonicæ, hìc ſacrificium Miſſæ celebratum, aliçque fidei functiones exercitę. Dum locus in meliorem formam redactus eſt, effoſſæ ſunt tres Statuæ marmoreæ: duæ Principum Antiquitas. Apoſtolorum, tertia Deiparæ, perantiquæ & exeſæ. Summo cultu celebratur tertio Junij feſtum litteræ hoc in loco. Adhuc major pompa fuit, cùm hæc antiqua Deiparæ Statua novo ſeu renovato huic Sacrario inducta eſt. Nec defuit Virgo ſupplicibus, ſtatim honores hos gratijs miraculoſis rependit. Vnam appono.

Confraternitas, quæ Sacrarij hujus curam habet, pro primo illo feſto Epiſtolam B. Virginis ad Meſſinenſes imprimi curavit, diſtribuítque accurrenti populo. Ejuſmodi exemplar unum obvenit Civi, cujus octennis filiola laboravit ſquinantiâ, ut integro triduo nullo cibo potúve refici potuerit, adeóque à Medicis deſerta, & tantum non à tota familia fuerit conclamata, cùm pater in genua provolutus ante lectum, calentibus lachrimis ægram Deiparæ commendavit, & fiduciâ plenus, gutturi admovit chartam: cùm ecce quamprimùm ejecto per vomitum vitioſo ſanguine ſanata, cibum petijt, & è lecto ſurrexit. Hoc miraculo dici non poteſt quantum ſit aucta pietas Meſſinenſis. Reverendus Pater Placidus Samperius Societatis JESU, l. 4. cap. 35.

Epiſtola.

M X L V I.

Imago B. V. Miraculoſa. FEICHTENSIS. *Feichtæ in Germania Sup.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Ritè nec tangis, ô pura Eva, Adami malum.*

1. Materiæ translatio.
2. Miraculum urget opus.
3. Pietas peregrinorum.

HÆc Deiparæ perantiqua Statua per omnem latè Bavariam olim fuit in ſummo cultu. Quo anno Templum hoc ædificatum fuerit, litteræ non docent. Concors & antiqua majorum traditio eſt, convectam materiam, cùm jam jam fabricæ dandum eſſet initium, nocte unâ in hunc locum virtute divinâ translatam, non ſine omine, fore hîc Deiparam ſupplicibus benignam & gratioſam. Ea res miris modis fabricam acceleravit.

Indulgentiæ. Cæterùm antiquæ litteræ memorant, anno octingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, quadraginta dierum Indulgentias ab Archiepiſcopo Salisburgenſi datas. Concurſus peregrinorum uti ſemper magnus, maximus tamen fuiſſe invenitur feriâ ſecundâ poſt Dominicam in Albis ab anno milleſimo quingenteſimo ſecundo. Ultimâ Templi reſtauratione in majorem formam & pulchritudinem anno milleſimo quingenteſimo decimo octavo invenio perfectam è piorum peregrinorum eleemoſynis, quo anno Epiſcopus Chiemſeenſis novâ dedicatione 27. Aprilis locum Deiparę Aſſumptę ſacravit. Anno demùm milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo quarto inductâ Congregatione Sanctiſſimi Roſarij, antiqua pietas augmentum accepit, ita ut Deiparæ Aſſumptę feſto titulari plures Communicantium centuriæ numerentur. Pietas. Beneficia Deiparæ miraculoſa, quia ab Ordinario nondum approbata, in eo Authentico, quod accepi præterita ſunt.

M X L V I I.

Imago B. V. Miraculoſa. AUGUSTANA. *Auguſtæ in Germania Sup.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena Dominus tecum.
Anagr. *Virgo & nimis amanda, & pura macula.*

1. Fures quamprimùm puniti.
2. Equus pro carnifice.
3. Reſipiſcentia minuit pœnam.

OMitto Sancti Udalrici Epiſcopi laudes, quæ ſolæ plures libros implerent, de quibus ſuo tempore & loco aget Reverendus Pater Godefridus Henſchenius 4. Julij. Ego hîc ſolùm memoro, quod ad rem meam eſt, Templum ab ipſo

ipſo Deiparæ exædificatum & dedicatum: in quo Deipara multis magníſque miraculis claruit. Unum alterúmve hîc apponere libet. Berno Abbas Augienſis in ejus vitâ teſtatur, nihil ex hoc Templo Auguſtano, cujus auctor fuit Sanctus Udalricus, ablatum eſſe, quin quamprimùm fur periculo & infamiâ ſuâ lueret. Ex raptoribus unus, furens amentiâ, manus ſibi ipſe laceravit, neque priùs dilacerandi atque mordendi finem fecit, quàm à ſeipſo miſerè diſcerptus, miſerè interiret.

Furtum.

Alius librum ex eodem Templo furatus vendidit: cúmque ex libri venditi pretio equum emiſſet, & domum deduxiſſet, præſente & audiente uxore, equi pulchritudinem atque præſtantiam laudavit, ſibíque de animalis hujus commoditatibus applauſit, addidítque nec librum nec libri pretium ſe reſtituturū, ex quo tantam nactus eſſet utilitatem. Vtinam, repoſuit uxor, ne librum quidem mi marite attigiſſes! cave, ne tibi equus iſte pœnam inferat, quam furto meruiſti. Vix hæc Sybilla cum gemitu dixit, cùm equus impacto calce maritum in terram afflixit, & debitam mortis pœnam inflixit.

Furtum.

Tertius mitiore pœnâ mulctatus eſt, quia tempeſtivè reſipuit. Cùm enim vilis ſtraguli partem, quo menſæ teguntur, abſtuliſſet, à malo dæmone obſeſſus, nullam neque intra neque extra domûs limen quietem invenit: aquâ luſtrali aſperſus, tamen ab aſpectu fœdi dæmonis liberari non potuit: quocunque ſe verteret, velut individuum comitem ſocúmque dæmonem intuitus eſt. Ergo reverſus Auguſtam, quod abſtulerat, reddidit, Sanctóque Vdalrico Auguſtano Epiſcopo ſe ad pedes abjecit, furto ablatum tapetem reddidit, & veniam delicti poſtulavit. Sanctus hominem amanter complexus, facto ſigno crucis à moleſto dæmone liberavit, & domum remiſit. Hæc citatus Auctor.

Furtum.

M X L V I I I.

Imago B. V. Miraculoſa. VULNERATA.

Trepani in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. ***Ito pura, alma Eva, Sanctum Dei germina.***

1. Aleatorum finis funis.

2. Non luditur alea pro palea.

3. Fulmine perit Aleator.

Hoc in Caſtro Aleator facinus auſus eſt committere, quod nemini hactenus niſi Aleatoribus permiſſum fuit. Narrat rem hanc fusè in vita Sancti Alberti Joannes Maria Politianus apud Surium Menſe Auguſto. Aleator,

tor, inquam, rem ſuam ludendo perdiderat: ex damno dolor, ex dolore deſperatio hominem afflixit. Itaque vicinum ingreſſus templum, ad altare Sanctiſſimæ Virginis Iconem ex una, ex altera parte Sancti Alberti conſpexit: in has ſacras Icones totus furor effuſus eſt, ac priuſquam ſceleſtas manus admoveret, etiam alloqui mutas picturas auſus eſt, & ad ſancti Alberti Iconem primùm, quid, inquit, te ſanctum prædicem cum imperito vulgo, quando toties à me invocatus, nunquam ludenti opem tuliſti? Tum etiam ad Deiparæ Imaginem converſus, & tu quoque, quæ miſericordiæ Mater diceris, ad preces meas ſemper ſurda, nullo me unquam lucro beâſti. Plura non effatus, pugione utramque Imaginem fædè vulneravit, nec ullam ex ore vocem misère mutæ Imagines, ſed Sanguinem è vulnere, quo ſenſum contumeliæ teſtatæ ſunt. Non ita Elephantes ſanguine efferantur aſpectо, quàm ſceleſtus iſte à ſacro ſanguine perculſus eſt. Adfuit fortè fortuna puer innocens & primæ ætatis, qui ram diro ſacrilegio commotus clamoribus templum implevit, quibus aleator territus in fugam effuſus eſt, manus lictorum judicúmque effugiturus; ſi non in manus ejus, qui à tergo inſtabat ultor Deus, incidiſſet. Vix enim ſceleſtus templi portam attigit, cùm directum è cælo fulmen hominem in terram afflixit, & ut ſciretur non caſu, ſed ictu deſtinato ſumptam de homine vindictam eſſe, in pulverem redegit; ne fortè putredine ſua cadaver impium omnem latè viciniam inficeret.

Imago. *Puer.* *Fulmen.*

Sed nondum occiſorum ſatis eſt, audiunt hæc, legunt hæc, Aleatores impij: nec de ſe cantari Hiſtorias credunt; fabulas putant, niſi ipſi præſentes vindictas divinas in ſocijs videant, quamquam & ſic quoque monitos, quandoque non reſipiſcere experimur: rideant ſanè & irrideant iratum Deum; erit cùm & ipſe Deus, & cum Deo quotquot cælum habet, ſancti in interitu eorum ridebunt. Aleatorum mors rarò bona, quia vita eorum ſemper mala eſt. Lucra apud aleatorem hoſpitantur, non habitant; neque nos decipiunt, cùm ajunt, pro recreatione ſe ludere, non luditur alea pro palea. Olim quidem ludus erat pro otio, nunc eſt pro negotio; denique Aleatorum debitus finis eſt funis.

In pœnitentia.

M X L I X.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE SOLICITUDINE.
Madriti in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *I, alma, Germania ſanctum Dei, & pura ova.*

1. Conſolatio afflictorum.
2. Conſilium in tempore.
3. Dubiorum reſolutio.

Miraculoſiſſima hæc Imago & Madritenſium gloria de ſolicitudine nomen habet & mærore, quem

quem picturæ ad nos miſſæ egregiè exhibent. Tantam in afflictis rebus opem fert ſupplicibus, ut pauci diſcedant qui non levamen ſaltem accipiant, ſi non omnino curis ſuis eximantur; & minus eſt, quòd neceſſitatibus corporis hìc Deipara ſubveniat. Id præcipuum eſt, quod animi anguſtias levet, & leniat. Hìc enim conſilia cælitus ſupplicibus immittuntur, quibus ſe malis ſuis eximunt, & ſanè felicem ſortiuntur ſucceſſum. Rem omnibus notam utinam ad me fuſius perſcripſiſſet R. P. Fernandze de Acevedo. Soc. JESU. qui quam plurima alia ſcripſit.

Conſilium.

M L.

Imago B. V. Miraculoſa.
MADONNINA.
Meſſinæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Calum pietatis, agna vera, mira, munda.*

1. Imago vulnerata.

2. Magni exercitus magna incommoda.

3. Incommoda exercitus.

ANno 1535. Cùm Imperator Carolus V. ex Affrica armis ſuis domita victor rediret Meſſinam venit cum exercitu. Numeroſus exercitus quia jam omnes civium domus impleverat etiam ſacræ domus, militibus ceſſerunt in hoſpitium: ita quamplurimi RR. PP. Franciſcanorum Cænobium incoluere: eorum unus ſi non hæreticus, certè aleator inſignis, exploſa glande Imaginem B. V. in muro pictam tetigit in facie, & fœdum in modũ vulneravit in gena non ſine evidente miraculo: nam effluxiſſe ſanguinem teſtati ſunt præſentes, & guttarum veſtigia etiamnum adſunt. Sceleſtus evaſit, nec ampliùs comparuit. Atque ut memoria tanti miraculi non periret, ſæpius coloribus renovata reſpuit colores. Fuere qui hanc ſacram Imaginem honorarent, fuere quoque qui honoris illius, quem Deiparæ in Imagine hac ſua exhibuerunt, referrent dignum pretium, id nempe, quod ſupplices petierunt. R.P. Plac. Samperius l. 2. c. 8.

Cænobium.

M L I.

Imago B. V. Miraculoſa.
IN ARENA.
Herendalij in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Amen Amen, gaude i, tota pura curis mali.*

1. Fons miraculoſus.

2. Devotio impedita.

3. Imago colores reſpuit.

EXtra oppidum Herendalium: quod latinè vocaremus vallẽ dominorum ad ipſos muros ſacel-

lum Deiparæ amplum eſt & perantiquum, quod titulum habet de atena, quæ undique viciniam reddit inſtugiferam. Hic Deiparæ Statua ſummo in honore eſſet, ſi per bella liceret: certè diverſa hic beneficia miraculoſa impetrantur; & ſi vel induciæ tantum ſint, accurſus populi videtur, maximé ſabbatinis diebus, quorum ſi tribus conſequentet hoc templum ab afflicto viſitetur, & piè bibatur ſalu berrimi fontis aqua, experientia jam dudum plerisque perſuaſit obtineri optatam ſanitatem. Adhæc dicunt S. Statuam, quę omnino puſilla eſt, colores reſpuere: ſiquidem ſæpius tentatum fuit à pluribus, qui vetuſtatem minùs formoſam obducere novis coloribus voluere. Belli porrò tempore infertur in oppidum, & in hoſpitalis templo colitur, magno ſemper populi concurſu; qui tamen maximus eſt feſto Viſitantis Deiparæ. Wikmannus. Statua.

M L I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE CARMELO.
Meſſinæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *I, regnum à ſtirpe nata, i, o munda macula.*

1. Feſtum hebdomadarium.

2. Proceſſio menſtrua.

3. Sagitta in manu B. V.

AB Anno 1173. ait R. P. Placidus Samperius Societatis JESU probari poſſe habitationem RR. PP. Carmelitarum in urbe Meſſinenſi, quanquam initio extra urbem primum ſuum Monaſterium habuerint. Hodie Imago, quæ colitur, inter miraculoſas habetur, teſtantúrq; hoc pretioſa & quamplurima anathemata. Ceterùm magna pars civium feriâ quarta vel jejunat, vel certè carnibus abſtinet, & ſcapulare geſtat. Imago Deiparam refert pallio ſuo tres ſagitttas (peſtem, famem, & bellum) arcentem. Feſtum quavis feriâ quartâ diei poteſt celebrari ut refert Auctor, tanto ornatu argenteo, ut ſummam feſtivitatem repræſentet: ad hoc non minùs ſolennis eſt proceſſio menſtrua, quam Confraternitas ſcapularis ſummâ pompâ celebrat. Miracula peculiarem librum exigunt. Reverendus Pater Placidus Samperius l. 2. c. 9. Sagitta.

***

M L I I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
MEERLENSIS.
Meerlæ in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *I, ſola pura i Ditem, Anguem averni macta.*

1. Cura

1. Cura Phreneticorum &c.
2. Aſpectus S. Statuæ juvat.
3. Statua Beatiſſimæ Virginis tormentum dæmonum.

MEerlenſis pagus duobus circiter leucis diſtat ab Vrbe Bredana. Hic ſummo in cultu eſt Deiparæ Statua in Templo Parochiali, ante ſeſqui ferè ſæculum jam miraculis clara. Experti præſertim ſunt opem divinam phrenetici, lunatici, & ſemidæmoniaci ſeu energumeni, quorum nonnulli cùm ligati catenis hoc in Templo Deiparæ ſiſterentur, confeſtim ad S. Statuæ aſpectum ruptis vinculis adſtiterunt liberi, & ſani. Teſtantur hoc catenæ etiamnum ſuperſtites, & è pariete ſuſpenſæ, inter claudorum & hernioſorum anathemata. Concurſus licèt ſemper magnus maximus tamen eſt feſto Deiparæ Aſſumptæ. Wikmannus l. 2. cap. 53. Catenæ.

MLXIV.

Imago B. V. Miraculoſa. DE ROSARIO. *Meſſinæ in Sicilia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *O Gemma pura, divina, ſine tetra macula.*

1. Cultus quotidie novus.
2. Feſtum expectationis.
3. Roſarium in manu.

MIraculoſa eſt hæc Deiparæ Imago in Templo Reverendorum Patrum Dominicanorum: colitúrq; tanto cultu, ut dignum judicaverim, eum hîc referre. Nam ferè quotidie particularis aliqua pietas hoc in Templo videtur toto anno, ter in hebdomade corona Beatiſſimæ Virginis à populo altâ voce dicitur, Imagine interea multitudine luminum illuſtrata. Feſtum expectationis novem diebus continuis ad honorem Beatiſſimæ Virginis celebratur ſolenniſſimè ante diem Nativitatis JESU Chriſti ſummâ pompâ & machinis ſumptuoſis, dialogis quoque & verſibus. Itaquoque alijs novem diebus expectatio partûs celebratur ante Feſtum Nativitatis Deiparæ. Tertium novendium eadem pompâ celebratur ante Feſtum Roſarij. Ita pene totus annus inter Feſta & pietatis exercitia conſumitur. Roſarij.

Refert Auctor miracula plura. Unum appono. Anno mil eſimo ſexcenteſimo decimo ſeptimo 18. Octobr. tempeſtuoſum cœlum ad Roſarium dicendum pios coëgit, fulmen decidens in pulverem tormentarium omnia ſuſquedéq; vertit in eâ munitionis parte à Gonzagis nomen habet, multis ruina interemptis illi ſoli inter ruinas, quamquam ſepulti, tamen illæſi ſunt inventi, quibus Roſarium in manu erat. Reverendus Pater Placidus Samperius Societatis JESU l. 2. cap. 14.

MLV.

M L V.

Imago B. V. Miraculoſa. IN VALLE LILIORUM. *Lilientalij in Germania Inf.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *O clara pura vinea! Dei natum gemmâſti.*

1. Avium cantus mirabilis.
2. Omen horarum Canonicarum.
3. Filo deſignatus locus.

HVjus Monaſterij extruendi occaſionem aviculæ, quæ quotidie ſtatâ lege ſepties cantillantes, à pio quodam Sacerdote ſunt obſervatæ: quod augurium ipſe ſic interpretatus eſt, ut diceret, fore hic loci aliquando Monaſterium, in quo horæ Canonicæ canerentur. Satis dictum pijs & Virgini Deiparæ devotis. Illico cœpta fabrica eſt eo loco, quem etiam Virgo Deipara nobili miraculo deſignavit, filo ſiquidem ſerico coloris rubei circumſcriptus manè locus electus eſt, & Templum anno milleſimo ducenteſimo trecenteſimo primo finitum. Filum. Meminerit lector, quæ dixi de Beatiſſima Virgine Lakenſi & Halſenbergenſi, filis ſimilibus à Beatiſſima Virgine deſcriptis.

Templum hoc illâ Imagine miraculosâ clarum eſt, quæ olim ſteterat ſupra portam domûs ruſticæ altitudine pedis cum dimidio, lumine continuo honorata. Filia miſſa ad candelas emendas, lupum innoxia præterijt, canem eſſe rata, non ſine præſentium admiratione. Lupus. Hæc Monialis effecta Imaginem olim ſuam è maternis ædibus huc tranſtulit. Porrò Sacra Imago doloroſa eſt, & Virgo filium mortuum genibus ſuſtinet. Filia hæc denique Prioriſſæ dignitatem accepit, & anno ætatis ſeptuageſimo primo, Profeſſionis quinquageſimo ſecundo, Officij vigeſimo piè defuncta eſt. Curam habent Moniales Ciſtercienſes. Wikmannus l.3.cap.42.

M L V I.

Imago B. V. Miraculoſa. DE PACE. *Meſſinæ in Sicilia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *O munda ac peralma vitis, vitam genera.*

1. Concionis fructus.
2. Nomen ſorte inventum.
3. Monialis cultum B.V. promovens.

REverendus Pater Paulus Maſius ex Ordine Clericorum Minorum anno milleſimo ſexcenteſimo decimo ſeptimo, Conciones in Urbe Meſſinenſi eo fructu habuit, ut obtinuerit Templum & Cœnobium pro ſua Religione. Da-

Datum eis eſt Templum Sanctæ Agathæ, paulò pòſt (non invenio, quâ occaſione) eis obvenit hæc Deiparæ devotiſſima Imago, quæ antè in proximo perantiquo Sacello olim miraculoſa curabatur ab una Religioſa tertij Ordinis Sancti Franciſci, hæc eam dono novis Religioſis dedit ad majores honores promovendam. Rogata Monialis, quod nomen haberet Sacra Icon, reſpondit hactenus nullum ſe peculiare nomen S. Imagini dediſſe, vel ab aliis intellexiſſe. Illi ad orationem converſi à Deipara nomen poſtulârunt, quo poſthac appellari vellet. Sorte egerunt, diverſis & uſitatis titulis in urnam projectis: exijt tribus continuis vicibus titulus, *de Pace*. Rem miraculo non caruiſſe, non tantùm ideo crediderunt, quòd tribus continuis vicibus hic titulus ſorte exierit; ſed quòd hic titulus ad Religionis ſuæ originem pertineret, etenim Fundator cum duobus ſocijs profeſſionem ſuam fecit Dominica in Albis, qua Chriſtus Servator noſter diſcipulis pacem ſuam precatus eſt. Coram hac Imagine Sacrâ, Religioſi illi in majoribus neceſſitatibus Litanias Virgini decantant, & ut plurimum, quæ petunt, obtinent. Reverendus Pater Placidus Samperius Societatis JESU l.2. cap. 16.

Monialis.

M. L V I I.

Imago B. V. Miraculoſa. VIECHTACHENSIS. *Viechtachij in Germania* Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Jucundare, Agna mea, mitis, & malo pura.*

1. *Communio Generalis menſtrua.*
2. *Pagus ad formam Urbis pius.*
3. *Munera in pago argentea & inaurata.*

HOc in oppido Parochus habet quatuor, ut vocant, Filiales Eccleſias, omnes Beatiſſimæ Virgini dedicatas, & ſuo tempore quolibet anno peregrinationibus viſitatas. Viechtachenſis verò Parochia velut harum Mater Statuam Beatiſſimæ Virginis habet diverſis temporibus magis magiſq; propter præſtita beneficia honorib' auctam: nam & bis ab una ad aliam Capella fuit translata; uſq; dum propter accepta beneficia impenſis peregrinorum antiqua hæc & ſemper in honoribus habita Statua proprium & à fundamentis erectum Sacellum obtineret. Hic enim verò obſervatu dignum, quòd ſubito propter novas gratias, nova argentea & inaurata Anathemata advenerint, nam tabularum & cereorum donorum numerus longè major eſt. Anathemata.

Aucta devotio eſt Congregatione Roſarij, inſtituta anno 1660 demum Communione generali menſtrua pro defunctis ita perfecta

fecta eſt, ut hoc in pago, ad quem vicini concurrunt, cogitari majus augmentum ampliùs non poſſit, certè feſto omnium Sanctorum, & feſto Circumciſionis plures nongentis Sacratiſſima Euchariſtia paſtis numerati ſunt. Miracula ad me miſſa, licèt caſus varios habeant, è quibus B. Virgo ſupplices liberavit, quia tamen multis alijs Imaginibus communia ſunt, brevitatis cauſâ omitto, contentus illo miraculo, quod ad menſtruam Animarum Purgatorij Communionem tantus pœnitentium & Communicantium numerus accurrat. Hęc ex Autographo ad me miſſo.

MLVIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE MONTE SANCTO. *Meſſinæ in Sicilia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Amo te, Mater Agni, jucunda, pura mali es.*

1. Ex ſpelunca Latronum Mons Sanctus.

2. Antiquitatis ingens opinio.

3. Æger ſanatur.

MOns hic à parentum memoria Sanctus vocatur, qui avorum & proavorum temporibus ſpelunca latronum fuit. Occaſionem ſceleribus dedit Templum olim S. Chryſoſtomo ædificatum, & deſertum. Hoc licèt diu RR. PP. Carmelitani habitarent, tantis tamen ſceleribus obniti nequiverunt. Placuit protractâ fabricâ juſti Conventûs numerum in loco collocare, inſuper & relicto Templi titulo antiquo Deiparæ id conſecrare.

Deſiderabant ſanè Reverendi Patres Imaginem aliquam Deiparæ, cui primam celebritatem
Fæmina. daret antiquitas: cùm ſupervenit fæmina, quæ Imaginem Deiparæ ſpopondit, quam ſanguine ſibi conjunctus pictor efformaret; ſi quidem vires recuperaret, quas diuturnus morbus attriverat. Ad hæc Pater Prior, incipiat, inquit, quamprimùm, nec moras nectat: confido in B. Virgine redituras illi vires, quantumvis morbo incurabili laboraret, quem ſquinanciam Medici vocant. Inter laborandum redijt ſuum dexteræ robur & linguæ loquela. Faſſus inſuper, ſe colores tantùm præparare & manum extendere, penicillum à Virgine duci: ipſa, inquit, ſe depingit, non ego il- B. Virg.
lam, quin Angelum, ajebat, Gabrielem ſibi in ſomno apparuiſſe, & tacto dextro oculo tantam intellectui lucem infudiſſe, ut conceptas in ſomno ſpecies facto manè nullo negotio penicillo exequeretur. Illud notatu dignum, quòd cùm integerrimâ ſanitate Imaginem hanc Deiparæ offerret, velletq; quàm plurimas alias manu ſuâ depingere, noluerit Deipara; ſed hac Mon.
unicâ contenta ejus labores remunerari in Cœlo, unde paulò

pòſt

pòſt in morbum relapſus, & ad mortem, quàm optimè paratus, cœlo à Deipara, ut ſperare licet, inſertus eſt. Hinc Mons nomen Sancti accepit, hodiéque Mons Sanctus appellatur. Reverendus Pater Placidus Samperius Societatis JESU in ſua Iconologia l.2. cap.16. Vbi miracula ſubjungit, quæ brevitatis cauſa omitto.

M L I X.

Imago B. V. Miraculoſa. MATER MISERICORDIÆ. *Peütingæ in Germania Sup.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Enites ò Gemmarum Aula indicas pura.*

1. Matris documenta ſalubria.
2. Defunctorum cura.
3. Dolor mitigatur ſacro labore.

PEütinga Bavariæ pagus eſt, in Toparchia Schongavienſi, unde fortaſſis olim titulum ſuum accepêre Nobiles Domini de Peütingen, hodie Patritij Auguſtani. Ad ictum ſclopi ab hoc pago ſitum & Sacellum Deiparæ miraculis clarum, & peregrinationibus celebre, cujus Auctor eſt Laurentius quidam opificio ſartor: & hujus pagi incola, qui ab avia ſua, cùm infantulus adhuc eſſet, frequenter audivit, hic loci olim ſepultos eſſe, quotquot peſtis è vita expunxiſſet, ad Parochiam Peütingenſem pertinentes. Inſuper Laurentium infantem monebat, ſi in virum excreſceret, dictorum meminiſſet, & ſacris manibus ære ſuo curaret Statuam Deiparæ, atque hoc in loco collocaret; unde à prætereuntibus atque Virginem ſalutantibus Defunctorum, atque hìc ſepultorum animæ acciperent pœnarum ſuarum lenimen ac refrigerium. Mortuâ Aviâ Apolloniâ, verba ventis data ſunt, & abjerunt anni. Ita nempe monitoribus non vivis tantum, ſed & mortuis aſperi ſumus. *Infans.*

Laurentio jam viro ad regiònem cordis dolor exortus eſt, qui in dies augmentum accepit, & remedium non invenit; dum in ſomno viſus ſibi eſt moneri, Statuam Deiparæ hìc ſi collocaret, fore finem mali: cùm ſibi è ſomnio & ſomno redditus, etiam recordari cœpit verborum Aviæ. Itaq; quamprimùm facto Voto locum acceſſit, & ære ſuo fundamenta jecit muri ad formam hemicycli ſex pedes alti, quatuor lati: quin & vicinis quoque viri pietas placuit, qui calcem lapides & arenam non petitâ mercede advexerunt; ita brevi ſtetit Statua Deiparæ lignea decorè concinnata in hoc hemicyclo, id quoque obſervatum, dolores cordis ad primum lapidem poſitum mitigatos, finito opere omnino remiſiſſe. Satis piæ genti dictum. *Morbus.* *Statua.*

Concurſus proximorum pagorum cum fide factus, beneficia miraculoſa magno numero accepit, ita ut cum conſenſu Ordinarij ſtaret juſtæ formæ campeſtre ſed parvum Templum: pro quo cùm eruerentur fundamenta, oſſa quoque eruta ſunt, quæ teſtabantur, vera dixiſſe Aviam Laurentij. Plurima ad me miracula miſſa ſunt: quia tamen non multum ab Ordinarijs abludunt, omitto.

M L X.

Imago B. V. Miraculoſa. DE ANGELIS. *Meſſinæ in Sicilia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *O Arca munda à væ! i Templum Regis nati.*

1. Fornix Monialem ſepelit.

2. Cœmentarij imperiti.

3. Beatiſſima Virgo naufragis propitia.

MOnaſterium Sanctæ Claræ Ordinis Sancti Franciſci præter unam aliam miraculoſam etiam hanc Deiparæ Imaginem habet, quæ, quanquam ipſo Monaſterio antiquior non eſt, fons tamen gratiarum eſt, & pro tali colitur. Porrò fontem hunc è ciſterna fluxiſſe, rarum eſt, fodiebatur pro Monaſterij uſu ciſterna â Cœmentarijs; quam fornice texerunt ad artis regulas: quia tamen ligneos arcus priùs quàm debuerant, amoverunt, fornix nullo robore pendebat in aëre, quemcunque, qui veſtigio ſuo eum primus preſſiſſet, decepturus. Ea fuit ſoror Victoria. Itaque totus fornix, quantus erat concidit, & Virginem ſecum traxit in ruinam, præſentibus cæteris clamore & lachrymis miſeram Sororis charæ mortem deplorantibus, quamprimùm ſono campanarum excita in auxilium vicinia, molem lapidum amovit, & contra omnium expectationem ſororem Victoriam incolumen extraxêre ſeduli laboratores. Hæc S. Mariam de Angelis in illa ſua calamitoſe invocavit, & teſtata eſt, non aliter ſe ad fundum deveniſſe, quàm ſi in lectum quempiam decideret.

Contigit hoc inſigne miraculum anno milleſimo ſexcenteſimo decimo ſexto, octavo Novembris, primum, & origo reliquorum, quæ maximè nautis & naufragis contingunt. Sed nec illud tacendum, quod in frequentibus & ſummis Monaſterij neceſſitatibus, in gazophylacio, quod ante Altare Virginis eſt, tantum ſemper repenatur pecuniæ, quantum ea in neceſſitate œconomia religioſa requirit. Reverendus Pater Placidus Samperius Societatis JESU. l. 3. cap. 21. Pecunia

MLXI.

M L X I.

Imago B. V. Miraculoſa. DE CONCEPTIONE. *Meſſinæ in Sicilia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *I, pura & munda: nam ſecreta à jugo mali.*

1. Fugientium comes peſtis.
2. Pater lactat filium.
3. Genuflexus ſepelitur.

Coriariorum opificum eſt hæc Sacra Imago in Templo Sancti Bartholomæi, juvat memorare Templi & Imaginis miraculoſæ initia. Pulſi è Rhodo Inſula Equites cum populo, peſtem intulêre ſecum Siciliæ, quæ omnem latè Regionem depopulata anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo tertio, ſeptendecim millia Civium ſola Meſſina amiſit. Petrus Reitanus vir apprimè Virgini Deiparæ devotus mortua conſorte filium habuit Joannem Lucam lactis adhuc materni indigum, quid ageret Pater? nemo non ſuſpicione peſtis contagioſæ laborabat. Ad Deiparam converſus, Pater. conſilium petijt & auxilium pro filio jam jam defectu alimenti morituro. Senſit ſibi pectus intumeſcere, & tantum probatiſſimi lactis effluere quantum in multos menſes ſuffecit proli, & quanquam hoc naturaliter poſſit contingere ex opinione Ariſt l.3. hiſt. animalium; hoc tamen Deiparæ beneficio miraculoſum lac fuiſſe non dubito, Petrus ære ſuo Deiparæ Sacellum ſtruxit, & hanc Sacram Iconem, antiquæ manûs opus, Altari impoſuit, ſtructurus Templum, ſi opes fuiſſent & vita: ſed filio Lucæ reſervata hæc in Virginem pietas fuit. Hic ubi annos attigit viriles, è Sacello Patris fecit Templum. Ita Patris boni & bonâ morte defuncti filium decuit, ſive paterni ſive Mariani lactis Alumnum; Lac. Templo novâ ſolennitate antiquam illam Immaculatæ Conceptionis Imaginem intulit; honorémque Deiparæ modis, quibus potuit, in populo promovit. Creditur per revelationem reſciviſſe & prædixiſſe Victoriam Chriſtianorum contra Turcas Joannis Auſtriaci ad Neupactum. Anno ætatis trigeſimo quinto genuflexus in domo ſuâ obijt ante Imaginem Crucifixi; quo in ſitu quia obriguit, ad ſepulchrum deportatus eſt, non ſine eorum ſolatio, qui Deiparæ addicti lactis Mariani effectus in viro venerabantur.

Reverendus Pater Placidus Samperius Societatis JESU l.4. cap.10.

***

M L X I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
AUXILIUM PAUPERUM ET ÆGRORUM.
Schönefeldæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Alto Regi Amica tu janua ſemper munda.*

1. Securis origo monaſterij.
2. Moniales depauperatæ.
3. B.V. Statua mirè culta.

NIderſchönefeldenſe Sanctimonialium Cænobium ijs ſæculis initium ſuum habuit, quibus apud Nobiles in uſu erant arma Vngarica, ſecures. Contigit, ut Bertholdus Comes Lexentanus, è proſapia ſæculo noſtro ne de nomine quidem cognita, ſecurim ſuam amitteret, incertum quo caſu; cum à Deipara in ſomno monitus eſt, eo loco, quo eam eſſet reperturus, velle ſe Cænobium Virginum unà cum templo, in quo uſque ad finem mundi ipſa cum filio coleretur. Jucundũ pio Comiti fuit ſomniũ & Virgini Somniatoris, promptũ obſequium. Certè brevi ſtetit optatũ Deiparæ Monaſterium cum templo, quòd hodiéq; ſtat bis terve è ex incendio reſtauratum.

Hoc Cænobium furor Suecicus anno 1632. redegit in cineres; quod tamen brevibus annis iterum in priſtinum ſtatum diligentiâ æconomorum reſtitutum eſt. At verò ubi anno 1646. idem Balticus *Bellum.* furor redijt, iterúmque novum & priore venuſtius Cænobium flammis abſumpſit, nulla curatorum diligentia reſtaurationem inſtituit, Monialibus hinc inde dilapſis & mendicato vitam trahentibus. Earum tres Salisburgum devenere & in paupere domo, è comportatis Eleemoſynis vixere. Defuit Virginibus Altare domeſticũ privatis precibus commodum, quapropter ſtatuario Deiparæ Statuam ligneam locant, pretio minùs quam mediocri. Quid enim aliud poſſẽt pauperes, & è quotidianis viventes eleemoſynis?

Facta ab Artifice Statua placuit Nobili cuidam, empturo, quocunque eam pretio indicâſſet Artifex. Sed ille, Monalium eſt, inquit, & pauperum, eámque ob *Statuarius.* cauſam nullâ diligentiâ eam ſculpſi: ſimplices ſunt & pauperes, nec artem æſtimare, nec laborem ſolvere pecuniâ poſſunt: ſi placet, aliam faciam, meo dignam nomine & tuo pretio. Conventum eſt: ſed Statua longè exivit priori diſſimilis, ipſo Artifice fatente mirantéque facilitatem, quâ primam feciſſet. Interea Virgines Statuæ titulum dedêre *Auxiliũ pauperũ & ægrorũ*, & in compoſito altari collocârũt an. 1650. 2. ſept. Senſerũt creſcere eleemoſynas: fuere quoq; qui ſe huic novę Statuę commendarẽt & beneficia reportarent miraculis paria. Septuaginta ex his legi, magna ſanè, ſed quia communia ſunt, omitto. Statua à R^mo^. Prælato Ordinis S. Benedicti ad S. Petrum benedicta, & in Monaſterium de- *Statua.* ducta, Altaríque in novo Templo impo-

impoſita, adhuc concurſu majore & peregrinationibus culta eſt. Adſunt etiam centum quinquaginta alia miracula deſcripta, quæ tamen ad me non pervenerunt. Hæc ex Authentico accepi.

M L X I I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
LIMENSIS.
Limæ in Regno Peru.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Calamum pomi Adæ tu Regina una teris.*

1. Pictura ſe movens.
2. Colloquium ſpirituale.
3. Lacrimæ ſpiritualis gaudij.

SAncta Roſa Ordinis Dominicani Monialis, prima fuit quæ hanc Imaginem ad honores, ut puto, publicos evexit. Eſt Imago hæc in tela picta, & exhibet Deiparam ſedentem, & JESULUM ſinu tenet dormientem. Fuit hæc ea in domo, in qua S. Roſa adhuc Sæcularis hoſpitabatur: coram hac Sancta Virgo conſueverat fundere cū precibus lachrymas, quas cæleſtes delitiæ jubebant ſponte fluere. Quas illa gratias ab hac Sacra Imagine acceperit, Sancta ſilentio preſſit, ut plurimum; unicam vitæ Auctor memorat.

Collo-quium. Nobilium fæminarum una, cæteris domo egreſſis, in colloquium ſpirituale delapſa eſt cum Sancta, atque inter alia narrare cæpit miracula Deiparæ, quæ Madriti in Hiſpania contingunt apud antiquiſſimam & celeberrimam ejus Statuam, quæ de Atocha dicitur, de qua in prima centuria ſcripſi. Interea Roſa identidem unâque pene intuitu ferebatur in Imaginem, quam dixi è muro pedentem, attonitæ ſimillima: quæ cauſa fuit, cur domina illa ſermoni ſuo imponeret finem, non turbatura Roſam altiora cogitantem, cùm Roſa, perge, inquit, Mater, rogo te, perge. Illa ad alia & alia devenit Atochanæ Statuæ miracula, mirata, cur Roſa intentiſſimis ſemper oculis ferretur in Imaginem; donec abrupto ſermone, volo, inquit, ſcire, Amica, quid me narrante aut videris aut cogitaveris: ſi me amas, edic bona. Imago. Illa tantū Virginis beneficiū celare indignum rata, audi, inquit, Mater: dū tu hæc narrares, hęc Imago vivere mihi viſa eſt; ita oculos in te & in me conjecit intuitu ſuaviſſimo; non nunquam etiam ſurrexit, quaſi jam jam telam relictura, & ad nos exitura: hinc eſt quod te rogaverim ne ceſſares, ut his delicijs fruerer diutius. Hæc S. Imaginis miraculoſa origo, quibus poſtea majoribus honoribus culta ſit, non habeo dicere. Auctor vitæ R. P. Leonardus Hanſen Ordinis S. Dominici, Romæ impreſſæ.

MLXIV.

MLXIV.

Imago B. V. Miraculoſa. ODIGITRIA. *Meſſinæ in Sicilia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Eva munda, cæli porta, vitam germinas.*

1. *Regia liberalitas.*
2. *Imago dans lachrymas.*
3. *Infelix fit infelicior ſub patibulo.*

CArus Peloponenſi urbs eſt. Hæc cum ann. 1533. caperetur, multæ nobiles familiæ fugā iniere, & in Siciliam delatæ hoſpitium invenêre in Vrbe Meſſinenſi. Ipſe Imperator Carolus V. de Regio Patrimonio dedit, quantum ijs ſuſtentandis ſufficeret. Inter præcipua, quæ ſecum extulerunt, fuit Antiquiſſima Deiparæ Imago, & jam dudum miraculoſa, Ectypon illius, quæ Conſtantinopoli de Odigitria nomen habuit, quæq; S. Lucæ opus eſſe ſemper credita eſt.

Imago.

Meſſinenſes, Deiparæ ſemper devotiſſimi, Sacræ Imagini ſtatim exhibuêre honores, eamque in Templo S. Nicolai, quod Græcorum eſt, collocârunt. Concurrentis populi pietas quamprimum à Deipara obtinuit beneficia miraculoſa, quæ Auctor memorat eſſe innumerabilia: nam & ſæpius lachrymari viſa eſt, præſertim cùm anno millesimo quingenteſimo nonageſimo octavo terræ motus Meſſinam quateret, & muto puero anno ætatis decimo quinto loquelam dedit. Is anno ætatis duodecimo neſcio qua de cauſa fugit: nuſpiam divertere auſus, ne patri redderetur, ad patibulum confugit, ibique noctem exegit. Sed manè ſe invenit infeliciorem, quàm pridie fuerat: ſi quidem velut amiſsâ linguâ, omnem loquendi facultatem ſibi ademptam reperit. Coactus itaque domum redire, parentes afflixit. Triennio integro puer nec verbulum elocutus docuit, nihil à ſe fictum eſſe. Huic demum S. Imagini commendatus, repentè in conſpectu numeroſi populi in perfectiſſimam, ut antè, loquelam erupit, & magno ſolatio templum implevit.

Terræ motus

Mutus

Addit Auctor, hoc in templo inventam eſſe Imaginem. volumen tenebat ſemiapertum, hoc in volumine legi potuerunt aliquot lineæ ex Epiſtola Deiparæ ad Meſſinenſes ſcripta aliquantulū à Græca Conſtantini Laſcaris interpretatione differentes. Vnde Auctor concludit, jam ante Conſtantinum Laſcarem fuiſſe interpretem, qui eam ex Hebrea lingua in Græcam traduxerit. Imò ipſum S. Paulum fuiſſe iſtum Interpretem, cujus opinionis etiam fuit is, qui anno millesimo quingenteſimo quinquageſimo quinto Venetijs apud Auguſtinum Bindoni, & anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo quinto, Panormi apud Joan-

Joannem Antonium de Franciſcis impreſſit, ex antiquiſſima traditione hæc verba. *Quæ (Beatiſſima Virgo) Sanctiſſimis manibus proprijs, ipſis Meſſinenſibus Hebraicis litteris reſcripſit in quodam chirographo, quod fuit ab eodem Apoſtolo Paulo in Græcas litteras tranſlatum.* Hæc Reverendus Pater Placidus Samperius Societatis JESU. l. 4. cap. 15.

M L X V.

Imago B. V. Miraculoſa.
DUNTENHUSANA.
Duntenhuſij in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Paris ô magna, clarè munda, vitem vitæ.*

1. Munus præſcribit B.V.
2. Ægritudo repente curata.
3. Miraculorum frequentia.

HOc Deiparæ Sacrarium & ſingulare totius Regionis Subſidium perantiquum eſt & miraculis clariſſimum, originem ſcire nos vetuerunt incendia, quæ unà cum Templo etiam Scripturas abſumpſerunt. Anno milleſimo centeſimo trigeſimo Beihartingenſe Cœnobium, quod Canonici Regulares Sancti Auguſtini incolunt, extructum eſt: ei hoc Templum jam miraculis conſpicuum cum adjunctis terris addidit Geroldus Epiſcopus Friſingenſis Anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo primo, Miracula antiquiora nulla ſcriptura meminit; ex omnibus antiquiſſimum, quod ſcitur contigit Anno milleſimo quadringenteſimo primo, quo mulieri per tympanitidem inflatus venter nullo remedio per undecim omninò annos, curari potuit. Cùm ei Deipara in ſomnis apparuit, impetravítq; ut facta hùc peregrinatione, tot fili à ſe ad colum elaborati glomeres offerret, quot in pannum Altari tegendo neceſſarij eſſent, quod ubi marito annuente perfecit, ventris tumor nullo alio remedio reſedit. *Tympanitis.*

Miracula 590. in duodecim claſſes ritè diſtributa Typis edita ſunt: quæ hîc conſuetæ brevitatis ergo omitto. Floret hodiéque affluxu & refluxu peregrinorum: certè in annos ſingulos longè ultra centum ordinatæ ſupplicationes etiam à longè venientes numerantur, atque tredecim circiter Communicantium millia: miracula quoque tantùm non ſunt quotidiana. Feſta Deiparæ omnia hîc feſtivitatem ſuam habent. *Miracula.*

MLXVI.

Imago B. V. Miraculoſa DE GRATIA.

In M. Peloro in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Monſtrum, ac ruinam pelagi Adæ evita!*

1. Navis immota in mari.
2. Fulmen miraculosè innoxium.
3. Imago Beatiſſimæ Virginis à fulmine illæſa.

MOns Pelorus Poëtis celebris quinq; millibus paſſuum diſtat ab Urbe Meſſina. In hujus aliquo jugo inferiore eſt longè latéque celeberrimum Deiparæ Templum de Gratia, frequentiâ peregrinorum etiam ex Italia frequentatiſſimum. Originem pietati dedit Deipara anno millesimo quadringenteſimo.

Nobilis Meſſinenſis, ut aulæ curas pauliſper difflaret, in villam ſuam, quam hîc habebat, divertit, & in ſubjecto mari vidit ad littus navigia: miratúſq;, cur hîc nullâ tempeſtate coacti Nautæ hærerent, nullus, inquit, hîc portus eſt, qui navibus ſtationem præbeat ſecuram, nullus in hac ſolitudine mercatus. Dum ille hæc ſecum agitat, unà cum familiaribus ad ipſum litus deſcendit, ſalutatíſque nautis, moræ cauſam quærit: illi, ſive remora quæpiam ſit, ſive Superûm quæpiam pœna, nullo inquiunt, labore navim promovemus; ſed neque huc aut voluntate noſtra, aut vi ventorum delati ſumus. Quæſiti, unde venirent, quáſque afferrent merces, è Palæſtina, inquiunt, merces ferimus, quas alij inde ſolent. Nobilis amicè invitatus navim ingreſſus, inter alias Imagines invenit, quas prima Chriſtianorum pietas pinxit, quáſque inviti Chriſtiani vendiderant, ne perirent. Tres ex illis placuêre Nobili, quas etiam nautæ ſoluto pretio tradidêre, quas ſimul ac diſcedens è navi Nobilis ſecum accepit, navis curſum ſuum tenuit; ut ſciretur, quâ remorâ fuerit hactenus detenta.

Tanto miraculo doctus Nobilis, etiam à ſe Templum peti, quod quamprimùm in fundo ſuo Virgini ſtruxit, & in eo pulchriorem ex his Imaginibus (nam omnes tres Deiparæ erant) ſummo Altari impoſuit. Fama primi miraculi accivit homines ex ipſa uſque Italia, & hi alios poſtquam recenſuêre, hîc Deiparam Votis favere. Tanta paulò pòſt undique affluentium pietas viſa eſt, ut & Monaſterio locum inveniret Nobilis, ídque Reverendis Patribus Eremitis Sancti Auguſtini traderet. Anno milleſimo quadringenteſimo auxtfeicliter incho- Monaſterium.

choatam pietatem tremendum è Cœlo fulmen, quod è Religioſis unum, qui ſedandæ tempeſtati pulſavit Catholico more æs campanum, ita malè habuit, ut omni veſte conſumpta, etiam aliquam partem interulæ lineæ ambuſſerit, nullâ tamen vel minimâ corporis parte læſa.

Porrò idem fulmen ad ipſum Altare progreſſum, pleraq; circum ornamenta furioſâ flammâ devaſtavit; illæſa tamen, & illibata Deiparæ Sacrâ Imagine. Nec tacendum, quod Machometanis contigit. Piratæ facta exſcenſione hoc Templum ſpoliaturi, Sacram Imaginem ante omnia blaſphemijs ſunt inſectati; tum eorum unus Sagittam excuſſit in ipſam Deiparæ Sacram Imaginem. Non illi brachium obriguit non mortuus cecidit; mitiore miraculo admonitus eſt impietatis: ſiquidem Sagitta priuſquam Sacram Imaginem attingeret, ſe vertit, & in Templi tecto, quia ſine fornice fuit more antiquo, peccavit. Quamvis hoc Turcis mirum fuit, non tamen ab ijs pro miraculo habitum eſt: dum iterum ſecunda Sagitta hanc viam teneret, atque etiam tertia: tum enim verò ſucceſſit admirationi tremor, & pavor, qui fugam ſuaſit; ni vellent experiri graviora. Sagittæ tres etiamnum trabibus tecti inhærentes ſpectaculum peregrinis & miraculum exhibent. Miracula magna & multa Deiparam hìc operari, tradit Reverendus Pater Placidus Samperius Societatis JESU l. 5. cap. 2. atque ex ijs aliqua apponit, quæ ego brevitatis cauſa omitto.

***

MLXVII.

Imago B. V. Miraculoſa. AUGIENSIS.
Hamingæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Non gemis cum Eva Diva, præalti mater.*

1. Documenta impiorum.
2. Detrimenta propria.
3. Sabatha aurea.

HAminga pagus eſt Bavariæ, ad cujus Parochiam velut Filialis pertinet Templum vicinum Deiparæ, à quo omnis latè campus vocatur *Augia Dei*. In hoc ab antiquo miraculis clara eſt Deiparæ Statua, quæ hodiéque magnis concurſibus celebratur, maximè tribus Sabathis poſt Feſtum Sancti Michaëlis, quæ aurea dicuntur, quæque magnorum Feſtorum ritu celebrantur. Grada. E miraculis antiquis nullum extat, quod anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo quarto hoſtilis flamma omnes cum domi-

bus chartas abſumpſerit.

Illud & antiquum & novum eſt. Hamingenſes à Feſto Sancti Georgij uſque ad Feſtum Sancti Jacobi ab antiquo ſingulis Sabbathis huc conferta ſupplicatione ſe devoverunt, in remedium grandinis frugibus fortaſſis nocituræ, Poſteri majorum immemores ſupplicationem neglexêre, ſed ſuo damno, quod vindex grando quamprimùm intulit, ſed reſumpta pietate, nihil unquam auditum eſt de notabili aliquo damno, quod grando intuliſſet. Ita nempe per detrimenta propria diſcunt, docendíque ſunt, qui majorum documenta neglexerunt. Ex Authentico ad me miſſo.

M L X V I I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE PARO.
Pari in Inſula Paro.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Non agiteris metu pura macula Adami.*

1. Lapis creſcit inter manus.

2. Miracula non omnes convertunt.

3. Naufragium pœna furti.

PLura fuêre olim Templa Deiparæ Sacra in hac Inſula, atque etiam miraculoſa. De uno jam dixi ſuo loco, de hoc altero, ſi non initium, certè ingens augmentum pietatis languentis; quod recenſet Metaphraſtes in Vita Sanctæ Theoctiſtæ. *Niſirus* Pirata Arabs, admotis Inſulę navibus Templum ingreſſus eſt Deiparæ, in quo nihil admodum reperit, quod, qui ante ipſum venerant, reliquiſſent, tamen lapidem ad gradus, ni fallor, Altaris reperit, lęvore ſuo & maculis viſendum, atque hactenus à prædonibus ſecurum. Placuit Pyratæ marmor, atque id in Cretam ducturus erat, domeſticis uſibus ſerviturum, ni Deipara obſtitiſſet. Jámque fortiſſimi Nautarum, effoſſum marmor cæterà non maximum cylindris impoſuêre, evolvendum: cùm ecce inter volvendum moles repentè in tantum excrevit, ut per Templi portam evolvi non potuerit. Neque hac in parte ab Architectis commiſſus error eſt, quibus etiam ſine virga menſoria conſtare ad oculum potuit, vel duos ſimul ejuſdem molis lapides evolvi per portam poſſe: accedebant dimenſa lapidis veſtigia longè nunc lapide minora, ita ut vel ipſis Barbaris de miraculo conſtaret, qui nihilo inde facti meliores, diffracto in partes lapide mari ſe iterum commiſerunt, cùm ſe non ampliùs in Templo tutos eſſe viderent, ſed mare vindictam exegit graviorem, quàm Virgo exegiſſet à ſupplicibus: ſiqui-

Altare. Miraculū

ſiquidem vix ad pauca millia paſſuum ingreſſi, ab exorta tempeſtate deprehenſi naufragium fecère, ac juſtas ſceleris pœnas dedère. Metaphraſtes in Vita Sanctæ Theoctiſtæ.

M L X I X.

Imago B. V. Miraculoſa,
MAURKURCHENSIS.
Maurkürchij in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Amica pura, alma, i, gnatum Deo enutries.*

1. Pluvia frumentaria.
2. Principis Privilegia.
3. Statua Chriſti ærea.

Templum hoc Deipara jam ab antiquo miraculis clarum, quemadmodum ex antiquis Scripturis conſtat, anno nongenteſimo duodecimo è fundamentis extructum eſt. Quamprimùm miraculis claruiſſe quamquam ex Archivo non conſtet, inde tamen clarum eſt & indubitatum, quòd Henricus Bavariæ Dux, cùm ab infidis & Infidelibus Hunnis, Bulgaris, & Walachis Bavaria tantùm non ſingulis annis vexaretur, huc Voto facto plenam retulerit Victoriam; Statuámque æream Christo hîc poſuerit, quin etiam & ſuam ex eodem metallo, eâ formâ, qua in prælio ſuos in hoſtes animavit. Indè aucta mirum in modum pietate & in Sacrum hunc locum fiducia, munera advenère, quibus Votorum rei ſe Deiparæ obſtrinxerant: quæ tamen omnia anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſecundo, unà cum ipſo Templo conflagrârunt. Statua.

Iterum tamen reſtaurato per pios Templo, atque etiam in meliorem formam redacto, iterùm novi concurſus facti. Nova múnera certatim advenère à ſupplicibus, quos Deipara petitis & obtentis favoribus beavit, ita ut Theſauri fama neminem latere poſſet. Proinde anno milleſimo quadringenteſimo octavo acciti hâc famâ à longè fures, unica nocte locum cæterà bene cuſtoditum nullâque fraude penetrabilem diffringunt, omnémque omninò Theſaurum ita auferunt, ut nec veſtigia fugientium deprehendi poſſent. Ita nempe ab exteris magis quàm incolis timendum ei eſt, qui, quæ habet tenere & retinere deſiderat. Iterum tamen piorum liberalitate brevi omnia reſtituta ſunt. Extant ab anno milleſimo treçenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo magna & rara Privilegia Parocho loci à prædicto Duce data, quæ anno milleſimo quingenteſimo nono, iterum ab alio confirmata ſunt. Hodie Votivis ſuppplicationibus quam- Fures.

plurimis honoratur, & celebre nomen Dominæ noſtræ Maurkürchenſis eſt. Ita authenticum ad me miſſum, quod etiam addit fida adhuc firma traditione haberi, anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo rarum ſi non inauditum à Moyſis temporibus miraculum in favorem pauperum famis tempore contigiſſe: Frumento pluiſſe tradidere majores poſteris, & quidem tali, quod aptiſſime penſi & cum ſanitatis incremento comedi potuit. Hæc ex Authentico ad me miſſo.

M L X X.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE CANDELORA.
Meſſinæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *I, pura: tu etenim ignoras maculam Adæ.*

1. Ruſticus pius etiam alios pios facit.
2. Pietas ruſticorum prudens.
3. Felix alapa.

Turris illa, quam aliqui Pharum appellavere, orbi nota eſt ex Poëtis, nec multum abeſt ab urbe Meſſinenſi; nec ſola hodie, ſive pagus ſive oppidum ibi ſit: habitatores vix quatuor templis capiuntur, quæ ibi Deiparæ ſunt extructa. De tribus alibi, de quarto hic loquor, quod de Candelora ſeu de Virginis Purificatione titulum habet.

Silva fuit, ubi hodie platea eſt, tantùm non omnium pulcherrima: in hac ſimplex & cælo charus ruſticus caſam habuit, & in ea hanc Deiparæ perantiquam Imaginem, coram qua omnia ſua Deiparæ inter gemitus quandóque & lachrymas, ut miſeris mos eſt, commendabat. Hominis non ruſtica virtus in pretio fuit Pharotis: neque alijs miraculis indiguit hæc Deiparæ Imago, ſatis jam Ruſtici hujus non vulgari pietate commendata. Quapropter cùm excisâ ſilvâ loco adjuncta eſt nova platea, etiam templum erectum eſt, in cujus altari hæc Deiparæ tabula, nullo adhuc miraculo inſignis, eſt poſita. Atque hoc ipſum pietatis initium, quia rarum, & ab uno trahens originem ruſtico, credi non poteſt, pietate quàm primùm floruerit. Ex omnibus unum habeo, quod apponam, miraculum.

Ruſticus.

Viginti triremes Turcicæ media nocte excenſionem fecere. Cùm Matrona ruſticum quendam impactâ alapâ è ſomno excitavit, excitatumque his verbis monuit: Quid dormis, cùm jam hoſtis terram teneat? Ille proſiliens è lecto, turrim proximam adit, & viſos Turcas jam jam in oppidum irrupturos inflatâ tubâ, terruit, civéſque de periculo admonuit; qui arreptis armis Turcarum impetum repreſſere. Traditio inſuper habet, Campanam Templi hujus ſponte ſua edidiſſe ſonum, excitati ruſtici atque animati ſunt in hoſtes. Porrò morbis non melius certiúsque habent remedium, quàm pul-

Turcæ.

verem ex altari, vel oleum è lampade. Feſtum quàm ſolenniſſimè celebratur, Feſto purificationis. R. P. Samperius lib. 5. c. 3.

M L X X I.

Imago B. V. Miraculoſa.
EGELSPERGENSIS.
Eggelſpergæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *O clara & pura i, una metes Adami lignum.*

1. Cultus B. V. à dæmone.
2. Incendia nociva poſteritati.
3. Pij omnia iterum reſtaurant.

HAberet hæc S. Deiparæ Imago, ſi quidem eadem eſt, quæ olim, materiam calamo digniſſimam niſi intra ducentos annos bis omnia documenta ignis abſumpſiſſet, quo domus parochialis conflagravit; illo in incendio, quod primum fuit, etiam templum concepit flammam & in fumos totum abijt; quanquam in ſecundo à diligentibus & induſtrijs conſervatum eſt. Hodie non tantum peregrini celebrem faciunt hanc Deiparæ Imaginem, ſed ipſi quoque dæmones, qui miris modis hic loci obſeſſos exagitanr, & mirà præſentibus teſtibus edicunt ſcriptu digniſſima; ſi quidem approbationem ſuam haberent ab Epiſcopo: quâ quia adhuc carent, hac vice non judico adjungenda, quantumvis fide digna quamplurima acceperim. Incendia.

M L X X I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
TURONENSIS.
Turone in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Age jam veni pura, mundi ſatorem lacta.*

1. Statua perjuris inimica.
2. Vita perjuri non ultra annum.
3. Perjurus proſtratus.

TEmplum, quòd temporibus Georgij Epiſcopi in urbe Turonenſi Deiparæ & S. Præcurſori fuit dedicatum, Statuam habuit Deiparæ perjurijs & periuris inimicam, ita ut vix quiſpiam perjurus impunè abiret. Mos ijs temporibus inolevit, ut omnes, in quos vel furti vel alterius ſceleris ſuſpicio cecidiſſet, quam primum à quocunque ad hoc altare Virginis ducerentur juramento purgaturi; quod ſi renuebant, jam rei habebantur. Etenim certa punitio reos in loco expectabat.

Fuit, qui ab adverſario huc adductus perjurium parabat, jámque manum, extulerat in altum; cùm tetrorſum velut à fulmine dejectus in terram concidit, ut vix vitæ ſpes ſuperfuerit. Pœna. reverſus ad ſe nocentem ſe & perjurum coram populo faſſus, Dei-

paræ

paræ gratias egit ſervatæ vitæ. Gregorius Turonenſis libro de gloria Martyrum cap. 19. qui addit ex ijs, qui coram hac Deiparæ Imagine perjurium feciſſent, neminem ultra annum vitam ſuam protraxiſſe.

MLXXIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
PVRTENSIS.
Pürtæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Da germen vitæ, nam vitiis, ac pura malo.*

1. Hæreſis igne pejor.

2. Annuli ſepulturæ indices.

3. Liber miracula patrat.

LOcus hic peregrinorum viſitatione, & Deiparæ miraculoſis beneficijs jam ab antiquo celebris, nullis vel litteris vel ſcripturis hodie illuſtrari poteſt, ita omnia vel ignis vel igne pejor hæreſis abolevit. Et ſanè ipſe ego ne nomē quidem loci nominâſſem, niſi liber adeſſet, qui S. Loco nomen æternum facit, non quidem quòd miracula ſcripta teneat, ſed quòd etiamnum faciat. Res altius à fida traditione inchoanda eſt.

Alta Virgo regiæ familiæ cùm in gravi morbo ſe Deiparæ commendâſſet, digna ob ſanctitatem vitæ viſa eſt, cui ipſa Deipara loqueretur. Itaque ſe illi per ſomnium præbuit ſpectabilem, juſſitque peregrinationem inſtituere. Porta. Ad portam (hoc enim tunc loco nomen, qui hodie Pürten vocatur, quæ vox lingua noſtra noſtra portam ſignificat, ſi vel unicam litteram mutes) ibi templum eſſe ſibi dicatum, & miraculis clarum quod ſi in via mari contingeret, ibi ſepulturam eligeret, ubi muli geſtatorij conſtitiſſent. Paruit Virgo Regia, & quantumvis ægra in viam ſe dedit, comitatu, ut tempora illa ferebant non maximo. Iamque non multùm aberat à loco, cùm vi morbi urgente, ut vixerat, ſanctiſſimè obijt, ſuos conteſtans, ut cadavere ſellæ geſtatoriæ iterum impoſito, ſinerent mulos ire, quò ipſi vellent; atque ubi conſtitiſſent, ibi dignam ſibi ſepulturam procurarent; inſuper librum ſuum precatorium templo donarent. Sepulchrum. Paruerunt Virgini Regiæ ſervuli, & cùm ad hoc templum, quod ipſa pro termino peregrinationis ſuæ habitura erat perveniſſent muli, conſtiterunt, & ſervi quoque mandata Reginæ ſuæ quàm fideliſſimè ſunt executi. Sepulchro, ut illa ferebant tempora, Virgo illata quamprimum miraculis claruit, & Beatæ titulum Beatæ. communi ſenſu populi adepta eſt, atque etiamnum retinet.

Hæc omnia nullo ſcripto quod ſuperſit, probari poſſunt, & ſola traditione ſubſiſtunt: ſunt tamen nonnulla, quæ traditioni huic non parùm favent. Adeſt etiamnum ſepulchrum Beatæ, viget etiamnum pietatis erga eam affectus per omnem latè Regionem: adeſt in

muro

muro perantiqua Beatæ illius Effigies cum inſcriptione; in qua tamen, quia tardè à poſteris eſt ſcripta, nec annus nec aliæ circumſtantiæ memorantur. Solus ille liber miram antiquitatem ſpirat, etſi cætera abeſſent: eſt ſcriptus in charta pergamena in Liber. forma quarta, Idiomate latino, charactere prægrandi; ita tamen, ut plurima ægrè, nonnulla omninò legi non poſſint: in quo, quia nulla temporis mentio fit, liberum nobis relinquitur, in quæ ſæcula periti hanc ſcripturam reijcere velint. Inter alia, quatuor Evangelia cum ſcriptorum Evangeliſtarum picturis continentur. Hic, inquam, liber in hodiernum diem ægris, præſertim dæmoniacis, cum fructu applicatur. Mira fidis teſtibus confirmata in manus meas venêre, digna, quæ hoc loco ponerentur, ſi authoritate Ordinarij approbata eſſent.

M L X X I V.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE MIRACVLIS.

Meſſinæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *I, Virgo, amata, pura centies almè munda.*

1. Certum Aſilum.

2. Lampas ſine oleo ardens.

3. Accenſa pietas.

PAulò antè dixi, ubi Pharus Turris ſola olim ſtetit, ſtare hodiè penè dixerim oppidum, incolis ruſticanis refertum, quatuor Templis Deiparæ dedicatis inſigne. Quod hic memoro, de Miraculis nomen habet, & ferè titulum Divæ Catharinæ, cui olim dedicatum eſt, obſcurat. Pictura Sacræ Imaginis in privato Sacello græca eſt amæna & perantiqua.

Originem nec ipſe Auctor invenire potuit: hodie nulla neceſſitas *Pharotis* ingruit, in quâ non Lampas. ad hanc Deiparæ Effigiem cum certo fructu recurrant. Fuit cùm inundans torrens vadum non daret curaturo lampadem coram Sacra Icone ardentem: plures itaque dies abiêre, dum adiri Templum poſſet. Lampas tamen à ſollicitis deprehenſa eſt non extincta: unde novis modis accenſa incolarum pietas, novis concurſibus Deiparam ad nova & majora beneficia coëgerunt. Reverendus Pater Placidus Samperius Societatis JESU. l. 5. cap. 4.

M L X X V.

Imago B. V. Miraculoſa.
SCHIRENSIS.
Schiræ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Gaude, nite, anima clara: ito ſummè pura.*

1. E Caſtro Cœnobium.
2. Pax bene lites finit.
3. Fratrum gratia rara.

SChirenſe Cœnobium, quod Ordo Sancti Benedicti à pluribus ſæculis habet, Beatiſſimæ Virgini à primis & pluribus ſimul fundatoribus dedicatum fuit. Rem omnem, quia ſcriptu digna eſt, & prorſus ſingularis appono ex Hiſtoricis, qui Bavarorum Ducum geſta deſcribunt, qui omnes hujus facti meminerunt.

Comites Schirenſes multos è ſua proſapia Duces dederunt Bavariæ & bonos. Fuit cum Comite Schirenſi mortuo Caſtrum Gentilitium per hæreditatem delaberetur ad plures, qui ejus ſibi Sedem ambiebant, nemine non pro ſe ratione afferentes, cur ſibi præ alijs deberetur. Actum eſt inter amicos, non ſine lucro Advocatorum, qui lites ſerebant ex litibus, ita ut Caſtrum quidem maneret hæredibus, ſibi autem cederet Caſtri pretium. Sed eorum unus, Amici, inquit, ſi ita pergimus, concordia noſtra, qua per ſæcula ſtetimus, unà cum Caſtro cadet, & nos cum illo, ſi hos audimus, actum nobiſcum eſt. Pietate hactenus & concordia ſtetimus, his cadentibus & nos jacebimus. Pereat ſanè Caſtrum, ut nos ſtemus. Imò ſi me auditis, ſtantibus nobis etiam Caſtrum ſtabit, magno omnium lucro. Abite cauſidici, quorum pacis tempore nullus eſt uſus, finita lis eſt. Habuit Nobilis Orator faventes amicorum aures. Itaque Caſtrum, inquit, omne unà cum terris ſubjectis donemus Reginæ Cœli Bavariæ Patronæ: exurgat noſtro ære Templum & cum Templo Cœnobium, cui ſuſtentando omnes ſubjectæ terræ cedant: hoc in loco ſepulti expectabimus glorioſam Reſurrectionem; poſtquam abundè experti fuerimus vicini Deiparæ favores. Si mecum ſentitis, plaudite. Secutus omnium plauſus, & redintegrata concordia, quam litium ſatores Advocati pauliſper diremerant, unus tamen tam felici incepto reſtitit, fecítque, ne quamprimùm conceptis verbis donatio conficeretur, quia tamen in proximo lacu poſt paucos dies ſubmerſus nunquam ampliùs comparuit. Virgini miraculoſæ locus quamprimùm ceſſit. Ita omnes Bavariæ Hiſtorici, niſi quòd aliqui negent, hunc aquis hauſtum in lacu periiſſe. Hic jam pluribus ſæculis Beatiſſima Virgo propitia eſt ſupplicibus.

Lites. Pax. Monaſterium.

MLXXVI.

MLXXVI.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE INCARNATIONE.
Madriti in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Gaudeto in æternum, Amica pura malis.*

1. B. Virgo flammas extinguit.
2. Incendium Cœnobio periculoſum.
3. Cultus Imaginis creſcit.

HÆc Deiparę miraculoſa Imago à populari concurſu celebrata, nomen ſuum habet à Monaſterio, quod de Incarnatione titulum ſuum obtinuit. Originem primi miraculi nemo ad me perſcripſit; illud ſolum accepi, quòd ingens pietati dedit augmentum.

Ardebat Cœnobium, jámque Sacræ Virgines ſervandæ vitæ cauſâ inter ſe conſultabant, num exire vel poſſent vel tenerentur: cùm Beatiſſima Virgo in tempore tam gravi quæſtioni reſponſionem ſuam non verbis, ſed facto dedit. Viſa ſiquidem in aëre eſt Deipara eâ omnino figurâ, quâ hac in Icone repræſentatur: & viſa eſt manibus & pallio ſuo flammas ſopire. Ita Monaſterium ceſſantibus, qui ſuccurrere debebant, ſolius Deiparæ auxilio perſtitit incolume. Hinc cætera quoque miracula. Ita Reverendus Pater Fernandez Societatis JESU. Incendia

MLXXVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE CONSTANTINOPOLI.
Neapoli in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Gaude pariter immunis à nota maculæ.*

1. Peſtis 60000. occidit.
2. Imago juſſu B. V. quæritur.
3. Vetula fidem invenit.

DEvotiſſima Deiparæ eſt Neapolitana Civitas, & Imaginibus Deiparæ miraculoſis plena. Eſt inter alias una, quæ titulum habet de Conſtantinopoli. Unde hunc titulum habeat invenire non potui, niſi fortè ex Græca pictura, aliiſque antiquis monumentis, vel etiam ipsâ inſcriptione habeatur, illam ex Urbe Conſtantinopolitana huc allatam. Cultus autem, quem hodie habet, initium inde eſt, quòd, cùm anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo nono Vrbs gravi peſte affligeretur integro biennio, Deipara Vrbis ſibi devotæ jámque ſexaginta mille funeribus deformatæ ſit recordata. Peſtis

Itaque ſimplici mulierculæ apparens teſtata eſt, peſtem peccatis promeritam nondum ceſſaturam, niſi ipſa precibus apud Filium

lium id impetraret: impetraturam autem, ſi hoc in loco, quem digito porrecto monſtrabat, Magiſtratus eruere terram juberet: inventuros enim Imaginem, in qua poſthac coli vellet, & cultoribus rependere gratias, ut eos laboris non pœniteret: gratiarum primam fore peſtiferæ luis finem: & ſiquidem etiam Templum extruerent, polliceri in multos annos ſecuritatem à peſte toti Vrbi, licèt omnis latè vicinia juſto Dei judicio tanto malo puniretur. Vetula fidem invenit, quam vetulæ non ſolent, & Vrbs inventa Imagine, Templo quamprimùm fundamenta dedit, quod non ſolent Vrbes.

Nempe aliud eſt, quando afflicti ad pietatem cogimur, aliud quando felices ad eam invitamur. Hodie contra injurias Cœli invocatur ab Vrbe cum fructu.

Hiſtoria Typis edita.

⁂

MLXXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE COGITATIONE.

Meſsinæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Gaude Mater inviolata nam purè micas.*

1. *Beatiſſima Virgo dubitantium Aſylum.*
2. *Beatiſſima Virgo cogitat cogitationes pacis.*
3. *Gratiæ occultæ impetrantur.*

QVisquis Pictorum Deiparæ hanc Tabulam ſua manu coloribus infecit, auctor ſimul fuit multarum, ſed occultarum gratiarum, quas Virgo ſupplicibus confert. Eſt hæc in Templo Reverendorum Patrum de Mercede in peculiari Sacello partis ſiniſtræ. Stat Beatiſſima Virgo eo geſtu, quo cogitabundi ſolent, manu dextrâ partim ſubjectâ mento partim ad genam pertingente oculis ſemiclauſis. Corda omnium movet hæc Virginis ſitus non alias cogitantis cogitationes niſi pacis, & nova inventa indagantis, quibus mortalium corda ad Filium trahere queat. Epigraphe in pede Imaginis iſta legitur. *Sancta Maria cogitationis, gratiarum & lucis, intende pro nobis ad Filium tuum Dominum noſtrum.* Credi vix poteſt, qua pietate huc accurrant cogitabundi, & conſiliorum ancipites, niſi conſilium à Deipara petituri, quamquam de miraculis nil Pater Placidus Samperius memoret. Cogitatio

⁂

MLXXIX.

Imago B. V. Miraculoſa.
IN MONTE VIGILUM.
Herendalij in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Intemerata, gaude! pura is omni macula.*

1. Hæreſis Iconoclaſtica.
2. Pietas inter rudera.
3. Febrium remedium.

NOn præteriri debet, quod olim fuit, & nunc ampliùs non eſt, Deiparæ Sacellum in Monte Vigilum prope Herendalium: licèt tantùm rudera adſint, & de S. Imagine non tantùm nihil ſuperſit, ſed nec ſciatur, quid actum ſit, nempe hi ſunt bellorum effectus, quæ geſſerunt Iconoclaſtæ. Olim valde miraculoſum fuiſſe, inde conſtat, quòd etiamnum ipſa rudera Templi à febricitantibus viſitentur, & ſanitatem referant. Unde virtutem ab Imagine, quæ olim exijt, in loco relictam eſſe, teſtantur, qui id cum fructu experti ſunt; non vano augurio iterum antiquam pietatem redituram, & loco honores. Febris.

Wikmannus.

MLXXX.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE SANITATE.
Meſſinæ in Siciliâ.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena Dominus tecum.
Anagr. *Eja gaude, nimirum Sancta, & pura malo.*

1. Imaginis ſolennis translatio.
2. Titulus de Sanitate.
3. Ægrorum remedium.

COngregatio Miniſtrantium infirmis fundata à Sixto V. anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſexto 18. Martij Fundatorem habuit B. Camillum de Lællis: & nobile Templum hodie Meſſinæ habet S. Petri Piſanorum. Hic anno milleſimo ſexcenteſimo ſexto fuit ad murum Templi Imago Deiparę jam dudum in honoribus; pendebant quoq; ſub dio lampades ardentes aliáque Anathemata. Judicatum à Patribus eſt, magis expedire hos Deiparæ honores dari in Templo, quàm foris ſub dio. Itaq; cum pompa inſigni Templo illata eſt, & ad id præparato Sacello. Pompa vulgaris non fuit: nam & Nobilitatis pars major & Mercatorum plerique accenſis facibus eam comitati ſunt, & navium tormentarius plauſus auxit majeſtatem. Pompa hæc adeò excitavit infirmos, ut quamplurimi ſtatim, vel mitterent, vel ipſi ferrent munera, quibus à Deipara felici mercatu emebant ſanitatem. Hinc de Sanitate ei nomen datum: quæ miracula adhuc durant; inquit Reverendus Pater Placidus Samperius Soc. JESU. l. 1. c. 11. Proceſſio

M L X X X I.

Imago B. V. Miraculoſa. RHODIENSIS. *Meſſinæ in Sicilia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *I, nivea, ſta, ô munda placa Regem iratum,*

1. Congregationes B. V. quindecim.
2. Imago inter flammas illæſa.
3. Mendicorum liberalitas.

ANtequam de hac ſacra Imagine ſcribam, non poſſum non mentionem facere plurimarum aliarum, quas in Vrbe Meſſinenſi Societas JESU habet in Congregationibus: quæ quidem ut miraculoſæ non ſint, neque pro talibus habeantur, miraculo tamen apud Superos non carent, ut quarum aſpectu tot bona fiunt à pijs Sodalibus; quando hac ætate pro miraculo in terra non habentur tot peccatorum converſiones, niſi cum ſingularibus eventis conjunctæ ſint. Enumero Congregationes, quas Societas JESU Meſſinæ inſtituit. Congregatio.

Prima igitur Congregatio eſt Diſcipulorum noſtrorum è duabus ſcholis Rhetorum & Humaniſtarum; quæ mille plus minus Sodales habet.

Secunda anno 1582. inſtituta fuit Nobilium ſub titulo Virginis Annuntiatæ, cujus inſignis liberalitas eſt in ſolvendis debitis pauperum incarceratorum, præter alia inſignia virtutum opera.

Tertia eſt Artificum Magiſtrorum, ut vocamus, ſub titulo Virginis Purificatæ, è quibus quamplurimi per Vrbem colligunt eleemoſynas, nomine Congregationis inter pauperes diſtribuendas.

Quartam Congregationem conſtituunt Opifices Juvenes ſub titulo Deiparæ Natæ; quæ propter anguſtias loci diviſa in duas eſt: quarum prima eorum tantùm eſt, qui artem jam callent, non tamen adhuc matrimonij vinculo ſe conſtrinxerunt: altera &c.

Quinta eorum Juvenum, qui artes adhuc diſcunt: hi æquè ac primi & ſub titulo Virginis Natæ Deo militant.

Sexta eorum Diſcipulorum eſt, qui in minoribus ſcholis in Gymnaſio noſtro Grammaticis laboribus fatigantur, ſub titulo Virginis Eliſabetham Viſitantis.

Septima coaluit è Philoſophis Juriſtis & Theologis ſub titulo Conceptionis Immaculatæ.

Octavam Congregationem conſtituunt Mercatores ſub titulo etiam Immaculatæ Conceptionis.

Nona Congregatio eſt Sacerdotum ſub titulo Deiparæ Viſitantis Eliſabetham.

Decima Congregatio vocatur ſecreta: nec excedit numerum triginta trium Sodalium: ipſa quoque pietatis exercitia quæ peragunt ita in ſecreto manent, ut non vulgentur: habentque titulum: Congregatio B. Virginis de Pietate. Secreta.

Vnde-

Vndecima Congregatio eſt Mendicorum, quæ ex ipſis mendicorum eleemoſynis conſervatur. Hãc adminiſtrat unus è noſtris Patribus, qui & eorum audit Confeſſiones, & eos in Conventibus ad patienter ferrendam paupertatem & paupertatis incommoda hortatur. Adjuncti ſemper ſunt huic Patri Præſidi duo è Congregatione Secreta, qui finito conventu ſingulis dant, quantum ſufficit pro victu illius diei. Singulis menſibus quarta dominica longa ſupplicatione ad Domûs Profeſſæ Templum deducuntur, ut peracta confeſſione ſacrã communionem peragant.

Duodecima Congregatio eſt Curialiũ, qui foro contentioſo ſerviunt ſub titulo Deiparæ Aſſumptę. Curiales.

Decima tertia eſt Puerorũ Parvorum ſub titulo Virginis Præſentatæ: origo inde eſt. Patresfamilias ſecum adduxere parvulos filiolos, ut & illi, quantum ferret eorum capacitas, diſcerent: qui quia in oratorio non parùm incommodi fuerunt, ijs proprius Præſes & propria Congregatio inſtituta eſt; quæ ita tempus ſuum diſpenſat, ut cum parentibus venire, & cum iiſdem redire domum poſſint.

Decima quarta Congregatio eſt Miſſionis ſeu Communionis Generalis ſub titulo Deiparæ Natæ, cujuspiam in proximum officia vix uno libro explicari poſſunt.

Decima quinta demum eſt Congregatio univerſalis, & titulum habet de Sacra Converſatione Mariæ cum JESU: in hanc omnes, cujuscunque ſtatûs vel conditionis ſint, admittuntur. Hæc inquam Congregatio habet Imaginem antiquam quam Rhodienſes Equites attuliſſe olim dicuntur, quæque in Templo Cathedrali Rhodienſi fuit in honoribus. Rhodus. Et Meſſinæ quidem in domo civis cujuspiam decorè habita aliquamdiu eſt. Evenit, ut cum duabus proximis ædibus etiam hæc ignem conciperet, & funditus ſubſideret, ita tamen, ut Incendiũ. ad invocationem Deiparæ herus cũ domeſticis ſe ruinis & flammis ſalvus ſubduceret. Quid quid ſupellectilis fuit, vel diffractũ ruina, vel conſumptum igne fuit. Hæc ſola Deiparæ tabula integerrima & illæſa inter omnes una & ſola ſuperſtes incendio & ruinis manſit: quã deinde herus huic Congregationi dono dedit, ubi in ſummo honore habetur, & ſupplicibus beneficia copioſè largitur. Conſervatur autem Cryſtallo tecta; & quando certis temporibus remotis plagulis videnda proponitur, magnos animorum motus in populo ejus aſpectus producit. Reverendus Pater Placidus Samperius in Iconologia Meſſinenſi l. 2. c. 13.

M L X X X I I.

Imago B. V. Miraculoſa.

INSVLANA.

Pellenbergæ in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Virgo alma, in te das carum vita panem.*

1. Mona-

1. Monaſterium domeſticum.
2. Octo Sorores Religioſa.
3. Felix octo filiarum parens.

INſula Ducis Monaſterium eſt RR. PP. Præmonſtratenſium, cujus origo à Deiparæ amore originem ſuam trahit anno 1219. Renerus Nobilis Familiæ Brabantinus Patre Reyſſone à Vaeken natus ex Laureta Permetana, filios quatuor, filias octo ſuſcepit. Omnes in Deiparæ cultu piè educavit, viditque filias octo ad unam omnes ab infantia ad ſtatum religioſum propenſas. Clauſtrum itaque in domo propria ædificavit cum ædicula B. Virginis, & filias ſuas octo veſtibus albis induit ipſo Feſto Chriſti ad Cælos Aſcendentis eáſque cum amplis facultatibus Ordini Præmonſtratenſium dedicavit. Hinc hodiéque Monaſterium de Inſula Ducis nomen habet, ubi Deipara magnos honores accipit, & magna pro acceptis honoribus beneficia ſupplicibus diſtribuit. Miræus in Chron. Præmonſtratenſium. Filiæ.

M L X X X I I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
D E E P I S O L A.
Meſſinæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Da vitam puram ò Regina & ſine macula.*

1. Imago miraculoſa ditiſſima.
2. S. Pauli adventus Meſſinam.
3. Imagines de Litera omnes miraculoſa.

IN Templo S. Mariæ Magdalenæ antiquiſſima colitur Imago Deiparæ de Epiſtola, ſeu de Littera. Fuit olim eo in templo, quod S. Paulo Majores erexerunt, qui concione ſua ad Meſſinenſes, ſcribendæ Epiſtolæ occaſionem dedit, uti primâ Centuriâ in Imagine de Littera fusè memoravi. Hoc in templo feſtum adventus S. Pauli Apoſtoli celebrabatur octavo Septembris. Hodie unà cum S. Imagine etiam Feſtum translatum eſt in hoc templum S. Mariæ Magdalenæ, quod eſt Religioſorum S. Placidi, quorum grandes divitiæ, quæ in eorum Sacrario videntur, veniſſe creduntur per hanc miraculoſam Imaginem, ut videre eſt apud toties citatum R.P. Placidum Samperium Soc. JESU, qui fusè de hoc Monaſterio ſcripſit l. 2. c. 23. Divitiæ.

M L X X X I V.

Imago B. V. Miraculoſa.
A R N B R U K I.
Arnbruki in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Pura à Dumo vitij amata, clemens, regna.*

1. B.V.

1. Beatiſſima Virgo Templum imperat. 2. Hernia quatriduo ſponte curatur. 3. Conatus pius facile invenit auxilia.

ANno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo quarto, Vir plebejus Wolfgangus ætatis ann. 67. ad mortem decubuit, jámque ſepulchrum non decretum modò, ſed & foſſum, cadaver expectavit; cùm vocem audijt in hæc verba: *non morieris, ſed mihi Sacellum ædificabis*, iterum ſanitati reſtitutus etiam uxorem duxit, jam diù viduus: memor tamen dicti, quod audierat; cùm opes Templo pares non haberet, Statuam Deiparæ triginta florenis curavit, & Templo oppidi Arnbrukenſis intulit. Hernia. Anno 1641. hoſtium irruptio pagum medium in cineres redegit. Wolfgangus iterum ſuam domum reſtauraturus; inter labores Herniæ malo afflictus eſt. Cùm ille vovet Deiparæ ſe neglecto ſuæ domûs ædificio, fabricam Templi, quã poſſet, exſtructurum: acceptavit Votum Virgo, & intra quatriduum vir jam plùs quàm ſeptuagenarius gravi Hernia miraculosè liberatus eſt, nullâ omninò præter Deiparæ opem adhibitâ medicinâ.

Itaque deſertis domûs ſuæ rûderibus ære ſuo Sacellum B. V. Viſitanti dedicandum anno 1644. incepit; quem pium conatum ſumptibus pauperis opificis non finiendum, piiſſimus quiſq; adjecto ære fovit, ita ut anno 1656. in ampliorem formam reduci debuerit, dirigente omnia & favente tantis conatibus Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Epiſcopo Ratiſponenſi. Conatus. Beneficia miraculoſa appenſis donis & ſcripto teſtata legis ſcriptu quidem digna; ſed quia alijs communia & raritate ſuâ non eminent, omitto. Hæc accepi ex Authentico ad me miſſo.

M L X X X V.

Imago B. V. Miraculoſa. DE ROCCAMATORE. *Meſſinæ in Sicilia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *O puera ingens Diva Mater immaculata.*

1. Ruſtici bene judicant de miraculo. 2. Obtenta fertilitas terræ. 3. Ectypon Imaginis miraculoſum.

HOræ ſpatio extra Urbem eſt hæc antiquiſſima Imago Deiparæ, jam olim celebris propter hîc obtentas gratias. A rupe Amatoris è Gallia nomen habet, de qua dixi ſuo loco. Utraque eſt illa & iſta Reverendorum Patrum Ciſtercienſium eſt, qui in adjuncto Cœnobio curam Templi & Sacræ Imaginis habent. De initio non habeo, quod dicam. Celebritas tamen miris modis aucta eſt ante quadraginta quinque annos, quando agris areſcentibus defecère præter pecora etiam homines: cùm hæc Sacra Imago co- Fruges. mitantibus quamplurimis Confrater-

fraternitatibus in publicum deducta eſt, cujus aſpectu Cœlum nubes collegit & aquas, & terræ fertilitatem ſuam reddidit, miraculo, quod periti Coloni omnes magnum dixêre. Hinc auctus Sacræ Imagini cultus, qui hodiedum durat. Reverendus Pater Placidus Samperius Societatis JESU. l. 2. cap. 27.

M L X X X V I.

Imago B. V. Miraculoſa.

ILGENSIS.

Staingadæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Diva Gemma, ritè pura, non es maculata.*

1. Peſtis cogit ad Vota.
2. Sacellum novum pro Statua antiqua.
3. Collis aptus peregrinis.

Staingadenſe perantiquum Ordinis Præmonſtratenſis Monaſterium habet in colle vicino Sacellum Deiparæ miraculoſum ex Voto ob peſtiferæ luis finem ædificatum. Deiparæ lignea Statua antiquiſſima à Reverendiſſimo Abbate non ſine aliqua ſolennitate in hoc Sacellum eſt translata è Monaſterio; unde populus in omnem pietatem pronus Deiparam hoc in colle, quem *Ilgen* incolæ appellant, invocare cum fiducia cœpit, & quamprimùm beneficia accepit miraculis paria: quorum plurima ad me miſſa ſunt. Primum contigiſſe ſcribitur anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo tertio 25. Julij: quia tamen Ordinarijs, quæ paſſim fiunt, majora non ſunt, more meo omitto. Concurſus in dies augetur, & incrementa expectantur magnis majora. Indulgentias acceperunt Anno 1564. à Pio Quinto Summo Pontifice. Peſtis.

M L X X X V I I.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE MIRACULIS.

Meſſinæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Gaude Cœli Manna ito, ſummè rite pura.*

1. Facies Beatiſſima Virginis ab Angelo picta.
2. Panes duri fiunt recentes.
3. Liquor albus pro lampade.

De Miraculis hæc Sacra Imago nomen habet, quia quamprimum in Altari expoſita populo eſt, ſine mora miracula fecit. Eſt illa in Monaſterio Ciſtercienſium Monialium extra Urbem, quod anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſecundo. Vidua opulenta ſecundos amores reſpuens, conquiſitis pluribus Virginibus ædificavit, atque exemplo prævivit, electa in primam Abbatiſſam.

tiſſam. Fuit tunc Pictor Deiparæ devotiſſimus: hic pro domo ſua ſolicitus Imaginem Deiparæ animo concepit penicillo dignam, quam in parte domûs honoratiore ſuſpenderet: nec malè ſucceſſit opus, ſi faciem excipias, cujus decorem nullo unquam labore aſſequi potuit, ut illi par eſſet, quam mente conceperat. Semel in ſomnum lapſus cœleſti cuipiam genio tempus dedit finiundi operis: certè poſtquam evigilavit, iterúmque penicillum reſumpſit in manus, vidit opus non ſuum tantùm, ſed & omnis humanæ artis conatum ſuperare.

Angelus.

Non ille tam profanus fuit, ut tantum miraculum retinere in profana, etiam ſua, domo vellet. Quapropter Monialibus his ad Sanctum Spiritum, tabulam dono dat, & miraculum pictæ faciei non tam recenſet, quàm demonſtrat: quis enim crederet ab eo factam, qui non magni nominis Pictor apud Meſſinenſes habebatur? aut quis cęterorum Pictorum tam protervus eſſet, ut ſe auctorem picturæ jactare auderet? etenim ut veſtitus cæteráque facilè crederentur mediocris manus adeóque hujus Pictoris opus; facies tamen omnium artem ſuperabat. Moniales nobiliſſimam picturam, & Conceptioni Deiparæ dedicatam, in Altari expoſuêre populo. Interea per omnem Vrbem editâ miraculi famâ, tantus Meſſinenſium concurſus fuit, ut primo octiduo Templum claudi ne noctu quidem poſſet. Beneficia porrò miraculoſa & morborum remedia tanta tótque obtenta à ſupplicibus ſunt, ut quamprimùm obtineret titulum de Miraculis, totius populi conſenſu.

Miraculū

Famis tempore cùm Antiſtita extremam Cœnobij egeſtatem Deiparæ commendâſſet, tantum optimæ farinæ ad portam Cœnobij repertum eſt, quantum vix octo jumenta portarent, nemine uno unquam invento, qui ſe tantæ ac tam opportunæ charitatis auctorem denunciaret. Feſtum verò hujus S. Imaginis celebrari cœpit 8. Decembris, non ſine prodigio. Pridie Feſti Sacriſtanus ſæcularis, oblitus erat ardenti lampadi affundere oleum: quapropter ne negligentiam ſuam lueret, ſummo manè Templum adijt, accenſurus lampadem, quam credebat extinctam: ſed ingenti prodigio ardentem invenit. Ille Moniales quamprimùm dato ſigno accitas monet de miraculo. Sed quis miraculum populo ingerat ad unius hominis & quidem ſæcularis denuntiationem? falli poteſt, quia etiam fallere, quem virtus ultra communem hominum conditionem non commendat. Sed prodigium alio prodigio probatum eſt, quando inſpicientibus liquor lacti non abſimilis alere lampadem deprehenſus eſt, nullo invento, qui ejus coloris oleum vidiſſet. Duravit inſuper hic miraculoſus liquor per integram Feſti Octavam. Hac nempe luce miracula indigebant, quæ illo octiduo Deipara quàm liberaliſſimè profudit. Sic etiam prima Pictoris intentio impleta eſt, qui opus ſuum Puriſſimæ Virginis Conceptioni dedicaverat.

Panis.

Miraculū

Cccccc 2 Illud

Illud rarum: Monialis huic Sacræ Imagini addictiſſima, jejunia inſtituit hoc ritu: quindecim diebus ante Feſtum Aſſumptionis Beatiſſimę Virginis quotidie panem unum petijt eleemoſynę ritu ab Oeconoma, eóque contenta toto illo die vixit. Is ubi in manus petentis devenit, calidus, mollis, denique talis factus eſt, qualis eſſe ſolet recenter è furno eductus; quantumvis durus plerumque & plurium dierum eſſet, & latuiſſet. Sanè latuiſſet prodigium, niſi Monialis apud Abbatiſſam accuſâſſet Oeconomam, minùs paupertatis obſervantem, ut quæ quotidie pinſeret panes. Antiſtita non ignara, quàm raró panes recenter cocti in menſa Sororibus apponerentur, miraculum agnovit, & quàm grata Deiparæ eſſent hæc jejunia, intellexit. Reverendus Pater Placidus Samperius l.3.cap.22.

M L X X X V I I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
A N Z I N G A N A.
Anzingæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *I, gaude: nam tota mirè pura ſine macula.*

1. Civis domus inſtar Templi.

2. Tres fœminæ inchoant pietatem.

3. Statuæ ſuo loco ſunt reſtituendæ.

HÆc Deiparæ Statua antiqua nullo unquam cultu celebris, primos honores accepit anno 1625. quos ei dedêre tres piæ fœminæ, quæ cum in numeroſa ſupplicatione, quam Monacenſes quarto quoq; anno Oetingam inſtituunt, hunc pagum tranſirent, in reditu etiam hujus pagi Anzingani Templum intrârunt. Statuam Deiparæ carie exeſam ubi ſunt intuitæ, eam ab æditu o petiêre tantiſper, dum Monachij novis coloribus renovatam veſtitámque reportarent. Nec difficilis fuit ab æditu o interrogatus Parochus. Statua.

Renovata Monachij Statua diu ſtetit in domo civis opificio textoris, ad quam quamplurimi in ſomnis moniti accurrerunt: & quia Deipara dignata eſt elargiri gratias miraculoſas, etiam munera allata ſunt à voti reis: ita civica domus Templi ritu frequentata eſt. Quapropter S. Statua in Templum S. Petri eſt deportata; ubi decentiùs quàm in privata domo honoraretur. Divitias hic Deipara collegit, quas pro acceptis miraculoſis beneficijs depoſuêre ſupplices, (ſeptuaginta, quæ annotata ſunt, legi) è quibus Anzingæ novum Altare extructum eſt, quo finito S. Statua ſolenni ſupplicatione, quam inſtituerunt Monacenſes, cum omnibus donarijs Anzingam eſt reportata; ubi hodiéque magnis concurſibus & tredecim Votivis ſupplicationibus celebris eſt, & miraculis clara. Ita ex Authentico, quod ad me miſſum eſt. Munera.

***

M L X X X I X.

Imago B. V. Miraculoſa.
V U L N E R A T A.
Montani in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Advocata Regina mira, ne timeas lupum.*

1. Teſtimonium inimici duplex.
2. Sanguis ex Statua vulnerata.
3. Iconoclaſta impius.

IN oppido Montani, impius quiſpiam ſive hæreticus, ſive non melior hæretico Aleator, auſus eſt Deiparæ Sacram Statuam ſtricto gladio ferire. E vulnere, ut ſolet, mox ſanguis erupit. Factus inde Catholicorum accurſus ſupplicum & vota ferentium, ſperantium quoq; Deiparam Virginem, ubi ſparſiſſet ſanguinem, ſparſuram quoq; beneficia, neq; ſpe ſuâ fruſtrati abiêre; ſiquidem admoto Sacro & miraculoſo ſanguine quamplurimi cæci, ſurdi, claudi, & qui alijs vitijs & morbis laborârunt, ſanati ſunt: ut refert Michaël ab Iſſelt libro decimo quarto, qui id ex Franco, acerrimo Fidei Catholicæ adverſario accepit, cujus teſtimonium quia inimici, duplex eſt. Quid autem illâ Sacrâ Imagine factum, quóſque habeat curatores ad me non pervenit. Credibile imò certum eſt à Catholicis propagatum ulteriùs eſſe cultum hujus Sacræ & miraculoſæ Imaginis. Miracula

M X C.

Imago B. V. Miraculoſa.
D E S. D O M I N I C A.
Meſſinæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Euge miranda Parens! jò tu Immaculata.*

1. Titulus à die Dominica.
2. Caſtrorum acies ordinata apparet.
3. Turcæ à Beatiſſima Virgine puniti.

NOn longè à turri Pharo prope Urbem Meſſinam videre eſt Templum Deiparæ, quod apud illos ruſticanos homines eſt in ſummo cultu, cujus titulus explicatione indiget Traditione fidâ & verâ habent, Templum hoc à quodam Summo Pontifice viſitatum eſſe, quin etiam eundem Pontificem in eo ſacrificium Miſſæ celebrâſſe, & benedictione data conſecrâſſe; atq; etiam Indulgentias conceſſiſſe. Inſuper cùm hæc omnia contigerint die quapiam Dominicâ, illam Dominicam à ruſticis vocatam fuiſſe Sanctam: deniq; ipſum Templum Deiparæ, nomen à Dominica Sancta appellatum, prout hodie *Sancta Maria in Sancta Dominica* vocatur.

Hæc Traditio apud ruſticos habetur. At quia nihil extat uſpiam ſcriptum, nec quidquam ruſtici illi habent, quo ſuam traditionem tueantur, R. P. Placidus Samperius ex quo hæc accepi, laborat ut traditionis hujus veritatem ſuſtentet: & primò quidem affert plures Summos Pontifices, qui in itinere Conſtantinopolitano moram fecerunt in Vrbe Meſſina. Deinde argumentum ſumit ab Indulgentijs, quæ hodiéque decimo Auguſti, Feſto S. Laurentij (quod utique tunc in diem dominicum cecidit.) à Meſſinenſibus magno concurſu in hunc locũ quærũtur, & ambiũtur. Tertiò probat ex pictura, quæ refert S. Laurentium & Pontificẽ cum mitra, atque in eorum medio Sanctam Martyrẽ Dominicã, cujus feſtum eſt ſexto Julij, quæque propter nomen tantùm Dominicæ picta eſt; non quòd ei templum ſit dedicatum: cùm ejus feſtum nulla celebritate peragatur. Adhæc monſtrant altare lapideum, in quo Pontifex Sacrificium celebravit. Statua Deiparæ miraculoſa ſatis ſupérque demonſtravit, gratiſſimum eſſe Deiparæ hunc ſolennem cultum, quem decimo Auguſti huic S. Statuæ exhibent undique concurrentes ruſtici atque etiam Meſſinenſes Cives.

Pictura.

S. Dominica.

Anno 1500. cùm ad hoc Feſtum pridie, id eſt, nono Auguſti concurriſſet ingens hominum multitudo, & noctem ageret in vineis, campis, atque etiam in ipſo maris litore ſecuram, Turcarum quæpiam piratica navis illum ſinum ſtrinxit exſcenſionem factura, ſtragémque datura inermibus: nec caruêre ſucceſſu proſpero. Juvenes duo in cimba piſcationem facientes, & longius à litore progreſſi quàmprimum à piratis capti tormentis adacti, faſſi ſunt, inermem eſſe multitudinem, plurimóſque ex Vrbe Meſſina Cives opulentos: quin etiam viam monſtrârunt, quâ ad locum venirent excenſuri, commodum. Et facta ſanè exſcenſio à Turcis eſt, detentis interea captivis juvenibus, ſed longè alia reperere, quàm juvenes edixerant, Aderant in ordinem redactæ Phalanges peditum, jamjam aggreſſuræ venientem hoſtem: aderat magno numero equitatus in aciei formam digeſtus: terrebant eos tympana & tubæ, ita ut vix pedes ſufficerent in fugam, vix tempus, ut ſublatis Anchoris diſcederent à littore.

Peregrini

At verò ubi in altum devênere ſecuri, ad juvenes converſi, perfidiam eis exprobravêre, morte certa plectendam ſed lentâ. Illi Deiparæ ſe commendârunt, cujus feſtum cum aurora advenerat. Ita orantibus ſupervenerunt triremes Melitenſium Equitum, â quibus piratica capta & juvenes liberati ſunt: è quibus intellectum eſt, quid Deipara videre Turcas fecerit, ut populus ad feſtum præparatus ſecurè noctem tranſigeret. Ita R. P. Placidus Samperius lib. 5. c. 5.

Turcæ.

MXCI.

M X C I.

Imago B.V. Miraculoſa.

P R O T E C T R I X.

Alicubi in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratia plena, Dominus tecum.

Anagr. *Prima ac ultima, munda es, ô integra Eva.*

1. Sunt qui exceptis non terrentur.

2. Monitoribus aſperi puniuntur.

3. Pendente litigatore etiam lis pendet.

MAtrona quædam nobilis, cujus nomen in Cælo ſcriptum utique eſt, Ciſtercienſibus Religioſis ſua prædia dono dedit, receptura centuplum in Cælo. Juſta donatio fuit, & omnibus legum cærimoniis ritè peracta. Ante omnia templum Deiparæ in præcipuo prædio ædificârunt Religioſi Virgini ſemper, & ubique addictiſſimi: hæc, inquiebant, proteget prædia, quæ toties totam Religionem contra potentes adverſarios defendit. Vixit Matrona aliquamdiu, & Religioſos nemo in quieta poſſeſſione prædiorum interturbavit.

Lites. At verò ubi dicta Matrona oculos clauſit, unus poſt alium fuit, qui quâ vice, quâ injuriâ eripere Religioſis prædia conatus eſt. Horum primus fuit Henricus quiſpiam potens; qui tamen per opem Virginis non tantùm facilè excuſſus eſt, ſed etiam in pœnam ad incitas redactus, vitam poſthac egit infelicem. Alter cùm alterius veſtigiis inſiſteret, & ad ſe prædia per fas & nefas trahere conaretur, à ſuo ſervo occiſus temeritatis pænas dedit. Tertius prioribus audacior, non tamen felicior, ſupplicium Judæ tulit & crepuit medius.

Ita lis pendebat: atque utinam etiam illi pependiſſent, qui tot exemplis nondum territi, perſeverabant in ſententia ſua, nec cavebant alienam! quam unus eorum, antecesſorum veſtigia timens premere ſuis, ad templum venit, & ante miraculoſam Virginis Deiparæ ſtatuam in genua procidit, hac prece Virginem allocutus: *Domina mea, Spes mea, Portio mea! ſint tua tibi, ego jure meo cedo, & qua me pars attingit, ſi tamen attingit, eam ego partem libenter tibi relinquo.* Patibulum.

Ita finem bonum tot lites habuiſſent, niſi fæmina interveniſſet, quæ litem extinctam ex ipſis uſque cineribus iterum excitaſſet. Vxor Dynaſte cujuſpiam fuit, quæ Marito probavit, ſe jure dominam eſſe prædiorum, perſuaſitque novam cum Religioſis litem, ſed non coram judice: nam litium ille minus quàm rapinarum peritus, vi militari prædia fecit ſua. Moverent ſanè Monachi, ſi vellent litem conteſtatam, ſuſtentaturum, fructus prædiorum ſuffecturos in expenſas. Fæmina

Interea Religioſorum unus neceſſitates Monaſterii Deiparæ commendans, pænas vidit, quæ invaſorem injuſtum manebant, eúmque proinde Dynaſtâ monere ſuſtinuit, & ad pænitentiam adhortari, Raptor.

tari, neceſſariam illi, qui non multum abeſſet ab ultimo & ſupremo tribunali, ubi cauſam malam bene defendere non poſſet. Ille uxorem cauſatus hominem rejecit; quin etiam litteris Summi Pontificis cedere juſſus prædijs nõ ſuis, parere neglexit. Interea dum curſores Romam ultrò citróque commeant, Religioſorum unus, cui major negotij cura incubuit, noctu per viſum Virginis Statuam vidit audivítque in hæc verba quæ-rentem: *Hinc me migrare neceſſe eſt.* Et quò, inquit ille, *migrabis ò Domina? Ad Filium meum;* reſpondit Virgo, *de Dynaſta conqueſtura, qui me hoc in loco quietam eſſe non ſinit.* Statua.

Non diſtulit Religioſus hæc poſtridie famulo Dynaſtæ inter primos narrare, rogarréque, Dominum periculi maturè moneret. Sed famulus ſibilo prophetam excepit, ſuo malo: nam mox diffracto crure pænas dedit. Interea cauſam apud Filium egit in cælo Deipara, & liti finem invenit. Nam Dynaſta, dum in ſilva volucres viſco caperet, à ſervo inimici comitis deprehenſus, & lancea confoſſus eſt. Vxor quoque à privingo omnibus bonis ſuis exturbata eſt unà cum liberis, quos ex impio Dynaſta ſuſceperat. Id unum dolendum, non adfuiſſe, qui his raptoribus illud *Is. 33.* occineret: *væ tibi qui prædaris! nonne & ipſe prædaberis?* Ita S. Statua Deiparæ inclaruit, & beneficia alijs quoque impertita eſt. Cæſarius l. 7. c. 7.

M. X C I I.

Imago B. V. Miraculoſa.

ARBOR MARIÆ.

In Valleflorum in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Amata arca perge, diluvium non timeas.*

1. *Ordo Teutonicus B. Virgini devotus.*
2. *Initia pietatis à milite.*
3. *populi in pietate conſtantia.*

EST in Bavaria ſuperiore locus, quem propter inſignem amœnitatem majores appellarunt *vallem florum*, utique à multitudine florum, quos terra ſponte ſua exhibet in ſolatium Habitorum. Teutonici Ordinis Eques commendaturam hic loci habet. Is memor, quantum Religio ſua debeat Beatiſſimæ Virgini, Statuæ Virginis templum ædificavit, quod *Arbor Mariæ* vocatur.

Concurſus facti ſunt initio grandes; at verò ubi dictus Eques & loci Fundator pietatíſque totius Auctor vitâ functus eſt, tantum abeſt, ut accenſus in populo ardor extinctus ſit, ut etiam ſingulare augmentum acceperit: ſed nec Deipara defuit ſupplicibus, ut etiam miraculoſa petentes exaudiret: quæ miracula prætereo, quia nondum ab Ordinario ſunt approbata. Ex Authentico ad me miſſo. Fenst.

MXCIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE GUARDIA. *Meſſinæ in Sicilia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *O Agna Dei, pura manè cumulata meritis.*

1. *Mutatio nominis grata Superis.*
2. *Turcas abigit B.V.*
3. *Beatiſſima Virgo eſt ſecura cuſtodia.*

Etiam Superis mutatio nominis nonnunquam ita grata eſt atque accepta, ut ipſimet hanc nominis variationem videantur ambire per merita. Eſt aliquot millibus paſſuum extra *Meſſinam* Templum Deiparę perantiquum, quod quia eo tempore ædificatum eſt, quo Templum *de Scala* nuncupatum in Urbe Meſſina florebat miraculis, ut ſuo loco dixi, eam ob cauſam titulum ei Fundatores dedère *de Scala*, quem etiam longis annis retinuit. At verò, cùm locus ſit ad littus maris, & perpetuis Turcarum incurſibus expoſitus, viſum eſt incolis & accolis, mutare titulum & appellare *de Guardia*: utique poſtquam ſæpiſſimè in deſperatis caſibus invocatæ Deiparæ auxilium invenêre; ut quæ quandóque Turcas jam jam exſcenſionem facturos terruerit; quandóque videre fecerit exercitus à nullo alio viſos, aut alijs modis ſine habitatorum damno abegerit, quorum illi beneficiorum memores Deiparam, quo cultu poſſunt, honorant. R.P. Placidus Samperius Soc. JESU l.5.c.6.

Titulus.

MXCIV.

Imago B. V. Miraculoſa. VELKIRCHENSIS. *Rottæ in Germania Sup.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Vitis merè integra ac munda palma, ova!*

1. *Majorum pietas.*
2. *Majorum incuria.*
3. *Poſterorum fruſtranea diligentia.*

Rotta antiquiſſimum Cœnobium in Bavaria eſt ſub Epiſcopatu Friſingenſi. Ad hoc Cœnobium pertinet Templum Velchirchenſe tantis concurſibus celebre. Ædificavit illud à fundamentis Prælatus quiſpiam cujus nomen ideo ſciri non poteſt, quia annus ignoratur, quo hæc ædificatio facta eſt. Cæterùm ante annum 1559. jam ſtetiſſe certum eſt, cùm eo anno legatur ſepultura reconciliata in Templo Velkirchenſi tertio Calend. Novembris 1559. per

Epiſco-pus. Theodoricum Epiſcopum Salonenſem, Vicarium Generalem Reverendiſſimi Domini Pauli Venerabilis Eccleſiæ Friſingenſis Epiſcopi. Quot annis verò antè, & an non in collapſæ antiquioris Eccleſię vicem hoc Templum ſit extructum, ſcripta monumenta, quæ poſſint nos docere, non adſunt. Miracula plurima & rara ad me miſſa ſunt, ſed quia nondum approbata ab Ordinario ſunt, omitto.

M X C V.

Imago B. V. Miraculoſa. DE GROTTA. *Meſſinæ in Sicilia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Tu Dei ara inoculata, Gemmis pura manè.*

1. Imago B.V. nautas odit.
2. Spelunca pro Templo.
3. Furtum punitum miraculosè.

ANte annum milleſimum quingenteſimum hoc in loco, qui aliquot millibus paſſuum Meſſinâ diſtat, cœpit pietas erga Imaginem miraculoſam, de qua nunc dicere aggredior. In proximo ſinu maris (nam non multum à littore diſtat) navis mercibus preſſa conſtitit nullis velis promovenda per plures dies, etiamſi venti & nautæ officium facerent.

Solicitus Navarchus in rem ſuam omnia divina humanáq; mente percurrit, & demum: Imago, inquit, quam in navis meæ præſidium veho, moræ hujus cauſa eſt: nautarum malos mores odit, virtutes eorum, quia paucæ ſunt, amare non poteſt. Coli cultu majore vult: quid moror? privari me tanto theſauro oportet, ſi gratiâ Virginis privari non volo. Itaque Sacræ Imagini ultimos honores inter gemitus exhibet, & cymbæ impoſitam ad littus deportari jubet, ibi deponendam, ubi decorè ſtaret & coli religiosè poſſet. Nautæ mandata Patroni fecêre, & eam in caverna ſaxi grandis non longè à via regia ita deponunt, ut nec obliviosè relictam, nec impiè derelictam credere poſſent, quicunque eam primi reperiſſent. Vix regreſſi in onerariam nautæ ſunt, cùm officium fecêre venti & mare, ut ſciret Navarchus, ſe non erraſſe.

Ita Deiparæ S. Imago Sedem invenit quietam, quam plebs ruſtica brevi tempore ita ornavit, ut venuſti Sacelli formam ſpelunca aliàs non amœna referret. Beneficia B. Virginis miraculoſa circa initium ſæculi decimi ſexti fecêre locum ita celebrem, ut ex oblationibus, ad latus ſpeluncæ Templum exurrexerit, parvum tamen. Fuit cùm furum quiſpiam candelas aliáq; fruſta ceræ oblata ſacco imponeret, & abitum pararet: ſed is ita virtute divinâ detentus eſt, ut quocunque greſſum verteret, ſemper tamen Oblatio-nes. ite-

iterum ad Templi portam rediret. Viſus à nautis è cymba, pro ſtolido primum habitus eſt, deinde etiam pro fure; poſtquam cera in ſaccis eſt inventa, fure turpiter confuſo.

Oleum. Mirabilius eſt, quòd, cùm oleum lampadis defeciſſet, quidam Franciſcus nomine Sacellum ingreſſus Virginem ſalutaret, ejus interea canis littoris arenam pedibus eruens, eruerit utrem olei optimi, à naufragis fortè olim relictum.

Vexilla. Adjungo tertium. Navis mercatoria è portu Livornenſi Italię egreſſa in tempeſtatem incidit: jámq; utcunq; quaſſata plurima amiſit, atq; etiam ipſum navis vexillum. Voto facto ad B. Virginem *de Grotta* in Sicilia, quamprimùm ſedata tempeſtas ſpem vitæ & littoris fecit. Appulsâ tandem navi ad Siculum littus, nautæ factâ exſcenſione locum ſacrum ingreſſi voto ſe exoluerunt, &, quod illos in admirationem rapuit, Vexillum navis fuit, quod jam pluribus diebus inter Anathemata pependit, ipſo Parocho ignorante, quis hominum attulerit.

Anno 1622. Sereniſſimus Prorex Emmanuel Philibertus. Templum magnificum in loco ſtatuere cœpit; ſed morte præventus reliquit molem inchoatam, quam tamen anno 1639 Franciſcus de Melo Prorex perfecit. Ita R.P. Placidus Samperius lib.5.c.7.

M X C V I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE ARBORE.
Brunſvvici in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Pura immaculata unde ignita es? amore.*

1. *Imago pendens ab Arbore.*
2. *Cella vinaria infelix.*
3. *Pœna hæretici contemptoris.*

ANno milleſimo quingenteſimo octogeſimo quarto nondum omnino exulabat ab Urbe Brunſvvicenſi Religio Catholica, ſuperfuit adhuc Arbor, è qua pendebat Imago Deiparæ antiquiſſima, & à tranſeuntibus non perfunctoriè culta. Credita fuit à Sanctimonialibus ibi jam olim fixa, eò quòd Cœnobio propinqua fuerat Arbor illa Deiparæ Sacra.

Homo improbus omnium Religionum contemptor ſub trunco Arboris (cum Arborem eradicare non liceret) cellam vinariam effodi juſſit, non ſine Sarcaſmis in Deiparam, ut credere licet expęna, quæ hominem corripuit: etenim tertio abhinc die horrea ejus & pecora igne conflagrârunt, ut non Catholicis modò ſed Hæreticis quoq; vindicta violatæ Imaginis appareret. Quis poſtea à Catholicis exhibitus S. Imagini cultus ſit, litteris traditum non eſt. Reverendus Pater Orlandinus Societatis JESU. Anno 1584. Pœna.

M X C V I I.

Imago B. V. Miraculoſa. DE PACE. *Meſſinæ in Sicilia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Agna tam pura mali, cui Mater es? uni Deo.*

1. Generatio unius eſt corruptio alterius.
2. Defenſio contra Turcas.
3. Deficiens pietas.

TRactus ille jucundiſſimus ad mare, qui à Turri illa nominatiſſima Pharo hodieq; nomen ſuum habet, Templis & Sacellis Marianis refertus eſt. E pluribus, de quib⁹ ante jam dictum unum eſt, quod de Pace nomen habet, quod nomen à majoribus ideo datum credunt, quòd locus ille à Beatiſſima Virgine defenſus ab incurſionibus Turcarum, hactenus ſecurus fuerit; non quòd ulla valla vel muri eum tueantur, ſed quòd ſola Virgo ei hanc tutelam præſtet. Curant Sacram & antiquiſſimam Imaginem Reverendi Patres Carmelitani, Feſtúmque magnâ ſolennitate celebrant Feſto Deiparæ Eliſabetham Viſitantis. Cauſa tamen, quòd ſolenniſſima illa Feſtivitas, quę olim hunc locum celebrem hoc die fecit, aliquantum defecerit, illa eſt, quòd eo die celebrari cœpta ſit Feſtivitas Templi Deiparæ de Portu Salvo. Ita nempe etiam in ſacris rebus generatio unius eſt corruptio alterius. Nec plura Reverendus Pater Placidus Samperius Societatis JESU lib. 5. cap. 8.

M X C V I I I.

Imago B. V. Miraculoſa. DE ANNULO. *Alicubi in Germania Inf.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Tu menſa Dei pura, ô Regina immaculata.*

1. Statua digitum conſtringens.
2. Voti oblitum monet B.V.
3. Sponſus Sponſam deſerit.

VIncentius Bellovacenſis Ordinis Sancti Dominici, natione Burgundus, Vir Doctiſſimus & magnis tomis, quos ſcripſit, Clariſſimus, apud nonnullos in hiſtorijs ſuis enarrandis, ideo fidem non invenit, quòd tempus, perſonas, loca frequenter non memoret. Viri veracitatem obſcurare temporum illorum ſincera conſuetudo nec tam exacta diligentia ſcribendi non debet. Eam ob cauſam nolo præterire tanquam fabulam, pientiſſimam illam hiſtoriam, quam l. 7. cap. 87. in Spec. Hiſt. ſcribit. Pueri, inquit, Clerici ante quandam

Ludus. dam Eccleſiam ludum Pilę exercebant, quorum unus, qui habebat in manu annulum, quem ei puella donaverat, carnali amore ducta, timens ne aſſiduâ pilæ percuſſione frangeretur, divertit ad Eccleſiam, ut alicubi eum reponeret; donec poſt ludum eum iterum reciperet. Ingreſſus itaque ante Statuam Deiparæ conſtitit primùm, dein etiam genuflexo eam devotè ſalutavit, atq; in hæc verba ei locutus eſt. Oratio. *Verè tu es in omnibus formoſior, quàm illa, quæ mihi annulum hunc amoris teſtem dono dedit: ideóque ei renuncio, téque deinceps amore tibique deſervire decerno, ita duntaxat, ut ego vice reddita, amore tuo dignus inveniar.*

Sic igitur præfatus, annulum digito Statuæ inſeruit. Quo accepto quaſi condictum approbans, digitum ſuum Statua conſtrinxit. Quo viſo ſtupefactus puer circumſtantes advocat, & rei novitatem mirantibus, Salutationis ordinem & voti conditionem enarrat. Illi hominem adhortantur, relicto ſæculo religioſum quempiam Ordinem ingredi. Religio. At ille contrà promiſſi immemor, & ingratus ad matrimonium reſpexit, & uxorem duxit. Pridie, quàm celebrarentur nuptiæ, Virgo Deipara in ſomnis homini ſe ſtitit, Statuæ illius ſpecie annulum in digito oſtentans. Ille excuſſo ſomno quæſivit manu Statuam, quam vidiſſe ſe exiſtimabat, atque iterum in ſomnum relapſus iterum Statuam eandem vidit, acribus verbis ſibi fractam fidem & nuptias craſtinas exprobrantem, inſuper omnia adverſa, & ipſum denique Infernum, ſi pergeret, minitantem, tantum potuit ſevera Virginis etiam in ſomnis admonitio, ut altero die Sponſa. relicta Sponſa Virgine, Monachum induerit. Hæc propè ad verbum Vincentius loco citato.

MXCIX.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE CONSOLATIONE.
Meſſinæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. I, cara & ſumma, munda, Porta Evangelij.

1. *Imago Beatiſſimæ Virginis furto ablata.*
2. *Monachi privata devotio.*
3. *Pij habent imitatores.*

NOn longe à Palatio Regio in platea, quam olim Græcam nominârunt Majores, Templum hoc eſt, in quo Imago Deiparæ antiquiſſima ſimul & amœniſſima colitur. Adventum Sacræ Imaginis ſic enarrat Auctor. Monachus, inquit, è Monaſterio celeberrimo Montis Sinai Meſſinam negotiorum causâ venit, ſecúmque in viæ ſolatium attulit hanc Sacram Deiparæ Imaginem.

Negotia, ut fit, in longum protracta detinuêre hoſpitem. S. Imago à multis viſi & viſitata, etiam favores rependit; inde donarijs honorata & argento ornata, civibus eſſe in honore ita cæpit, ut abeunte confectis negotijs Monacho remanſerit, non invito donatore, nec multò pòſt templo aucta eſt, & de conſolatione nomen accepit; tum quod ab ipſa multi Meſſinenſium conſolationem acceperint; tum quòd ipſa à reſurgente Filio prima viſa ſit digna, cujus anima conſolationem acciperet, eámque ob cauſam Feſtum hujus S. Imaginis ipsâ Paſchatis Dominicâ quàm feſtiviſſimè celebratur. Furto ablata, ut alibi majore honore coleretur, iterum reſtituta eſt, doctíque ſunt curatores, decentiùs habere tantum theſaurum R. P. Sampeperius l. 5. c. 39.

M C.

Imago B. V. Miraculoſa. CORONATA. *Alicubi in Germania Inf.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. ***I, Virgo purè munda amati amans electi.***

1. Sincera ſimplicitas.

2. Oratio efficax.

3. Repentinum B. V. auxilium.

Claudo undecimam centuriam nobili illa Hiſtoria, quam Collector ſpeculi exemplorum memorat, quam breviter meis verbis hic ſubjungo. Religioſus, gravi carnis tentatione tantùm non afflictus, ad altare Virginis confugit, cauſam ſuam oraturus, & petiturus auxilia tantùm non nimis tarda. Porrò in altari juxta Virginis Deiparæ Statuam Coronatam, Divæ quoque Gertrudis Statuam ſculptam poſuit artifex. Monachus poſt preces ad Deiparam fuſas ſinceriſſima ſimplicitate, eò, inquit, res devenit, ut hodie diadema tuum aut retineas aut amittas: ſi me feſſum juveris, manebit tibi: ſi adhuc precantem ſpreveris, hoc tuo diademate caronabo caput S. Gertrudis: Illa cùm ſe viderit tanto honore affectam, ne ingrata ſit, me liberabit.

Altare.

Videlector, quid poſſit ſincera ſimplicitas & ſimplex ſinceritas: velut verita ſanctiſſima Deipara à ſupplici Cliente ſpoliari, illico precantem exaudivit, & omni nube diſpulſa lætum alacrémve dimiſit. Simplicitas.

Hæc Collector ſpeculi. Nullus dubito quin Statua illa majores poſtea honores acceperit dederítque ſupplicibus favores.

CENTURIA XII.

M C I.

Imago B. V. Miraculoſa. CERCINENSIS. *Cercinæ in Italia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Euge munda ac alma, puritati norma es.*

1. Statua B. V. Cuſtodia in via.
2. In mulo primum miraculum.
3. Summi Pontificis Auctoritas.

MIſſus ab Urbe in Galliam Cardinalis Legatus natione Gallus, ſecum theſauri loco tulit Statuam Deiparæ. Is cùm Florentiâ diſcederet Bononiam, mulus Statuæ ſacræ bajulus cum cæteris impedimentis præmiſſus, tribus ab Vrbe Florentina milliaribus Italicis immotus conſtitit, nulla agoſonum induſtria promovendus. Superveniens paulò pòſt Cardinalis, mulo quantumvis verberibus plusquam ſaturo, nova ingeri & cumulari præcepit, donec altius aliquid ſubeſſe ratus, laxatis habenis præcepit; permitterent liberum beſtiæ curſum. Tum enim verò mulus à via, quæ Bononiam ducebat, ſe avertit, & *Cercinam*, quæ ſemihora diſtabat, nemine urgente properavit, atque ante ipſum templum iterum immotus conſtitit; quin etiam in genua provolutus ita eſt, ut nemo non videret, hic Deiparæ Statuam eſſe relinquendam: quod & Cardinalis cum ſuis, exhibito ultimo honore, fecit, Statuámque ſacram maxima, qua tunc potuit, pompa altari impoſuit. Viſitavit locum anno 1515. Leo X. famâ miraculorum adductus.

Pagnozius M. Triumph. f. 605.

M C I I.

Imago B. V. Miraculoſa. DE SPASMO. *Meſsinæ in Sicilia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Ceu Platanus Regi amata i, ô mirè munda!*

1. Somnium theſaurum promittens.
2. Latitant pretioſa profundo.
3. Cultus à ſummo Pontifice.

EſSt hæc S. Imago in templo RR. PP. Franciſcanorum, cujus inventionem hic affero. Anno

1599. Somnium habuit R. P. Tullius Natalis primæ notæ Religioſus illus Cænobij, ſepultum eſſe theſaurum eo in templo, non longè à templi porta majore, prope cujusdam Vexilliferi ſepulchrum. Fuit quoque, ut ipſi viſum eſt in ſomno, qui eum diſertis verbis exhortaretur animaretque ad eruendum hunc theſaurum. Facto manè quantumvis ſomnij rationem nullam haberet, non deſijt tamen inſtinctus ille, qui non tã ſuadebat quàm imperabat foſſionem.

Viſurus, quis demum theſaurus in paupere templo lateret, quasdam ex amicis adhibuit, & foſſionem inſtituit, felicem ſan:èetenim vix paucos palmos progreſſus tabulam invenit marmoream candidiſſimam, quæ quia nullo ſcalpro planitiẽ ſuam & lævorem amiſit, credita eſt operculum eſſe theſauri, qui quærebatur. At verò ubi eruta, & ex altero quoque latere conſpecta eſt, pulcherrima Virginis Imago apparuit, operis è plano de parùm extantis. Titulum habet ſpaſmo quia, formam refert figurámque, quæ Deipatæ fuit ſtintis ſub cruce. Porrò per ſpaſmum antiqui non intellexere doloris enormis effectum aliquem, qui indecorus Virgini eſſe poſſet; ſed quia voce alia dolorem illum exprimere non potuerunt: quemadmodum nec Simeonis pientiſſimi ſenis mens fuit, prædicere Deiparam gladio perimendam; ſed hoc modo magis quàm alio doloris illius exceſſum explicare potuit. Tabula illa propriam ſortita Capellam, in honoribus eſſe cæpit, & beneficia ſupplicibus largiri. Porrò quis eam defoderit, ignoratur. Creditur à pio quopiam Chriſtiano Saracenorum furori ſubtractã & hîc loci ſepultã fuiſſe. Hæc R. P. Placidus Samperius in ſua iconol. Meſſ. l. 2. c. 8.

Imago.

MCIII.

Imago B. V. Miraculoſa. KÖZIGENSIS. *Közingæ in Germania Sup.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *J, magna nivea, tu mera Paracleti Domus.*

1. *Habet ſuum Æneam Statua B. V.*
2. *Statua redit ad primum locum.*
3. *Sub ſordido palliolo ſceleſta impietas.*

HAbuit ſuum Æneam hæc Deiparæ Statua: ſiquidem iconoclaſtica hæreſi ſæculo ſuperiore Palatinum vaſtante, vir quiſpiam hanc S. Statuam è Palatinatu jam jam hæretico in Bavariam, quæ tota Catholica fuit, atque etiamnum eſt, tranſtulit, & in quercu quapiam ita decorè recondidit, ut honores mereretur. Qui verò eam huc deportavit, omiſſo ſuo nomine in cervice Statuæ ſcriptum reliquit, ex civitate Nappurgenſi hæretica huc allatam eſſe.

Statua hæc pluribus annis hîc ſtetit & à tranſeuntibus invocata. Advocatam ſe pro eorum neceſſitatibus apud Filium ſtitit, & petiat impe-

Statua.

impetravit. Hinc Templo ad majores honores illata eſt, ſed ubi altero die iterum ad quercum ſponte ſua redijt, ſatis docuit, ſe hic ſedem elegiſſe. Fuit tamen in *Pleipachienſe* Templum deportata ab ijs, qui miraculo primo non contenti poſtulabant ſecundum. Et verò etiam ſecundum Sacra Statua dedit, iterum ad quercum redeundo. Tertio miraculo occaſionem dedit mendicus nequam, qui loco ſuo exemptam in flumen abjecit: unde tamen iterum ad quercum illæſa omnino eſt reverſa. Viſo miraculo Hæreticus mendicus nec inhorruit quidem; ſed audacior factus, oſſulatim eam diffregit. Non parùm hoc vicinos contriſtavit, qui quàmprimùm coagmentatis fruſtulis Statuam, quantum licebat, reſtituerunt. Ea ita iterum coaluit, ut nemo eam unquam ruptam aut diffractam crederet.

Statua.

Hinc populi pietas, accurſus, vota, & Virginis miraculoſa auxilia. Hæretico cuidam ſervo cultus hic diſplicuit: itaque cùm ſine reverentia tranſiret, minatus alijs præſentibus eſt, ſe, ſi ſolus eſſet, lapide petiturum fuiſſe hoc Idolum. At ſceleſtus in loco punitus eſt, ſicque in terram afflictus, ut fulmine tactus, quamvis ſereno Cœlo, crederetur.

Pœna.

Alius per jocum fatigato ſocio & quietem poſcenti reſpondit, iret ſanè & apud quercum alios pedes peteret. Dixit, & in terram concidit, pedéſque ſuos antè fortes, inutiles invenit, ſive ſtandum, ſive ambulandum eſſet; dum facto ad quercum voto, duos pedes ligneos afferret. Fuit, qui cùm ad manipulos ligandos clavo, ut vocant, ligneo indigeret, arrepto pede ligneo, quem quiſpiam voti causâ appenderat, clavum cultro format operi idoneum. Vix tertium manipulum abſolvit, cùm repentè oculorum uſu privatus, pœnam agnovit: quanquam ut facinus doluit, præſentibus omnibus laboris illius ſocijs facto voto, iterum viſum recepit, & ramenta conquiſita iterum ad locum reportavit.

Cæcitas.

Tanta fuit ad hanc Sacram Iconem in quercu pietas, ut nemo tranſiret, quin genuflexus Deiparam honore aliquo afficeret. Contigit, ut anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo quarto ruſtica mulier accensâ ad arborem candelâ, & facta brevi oratione domum abiret, interea correpto à candela igne quercus abiret in cineres, Statua tamen Virginis ſic illæsâ, ut nemo non miraculum agnoſceret. Hanc ob cauſam quercui ſubſtitutus murus eſt, cui decenter Sacra Statua fuit incluſa uſque ad annum 1610. quo juſſu Epiſcopi Ratiſponenſis Sacellum in loco ædificatum eſt, quod & Sacram Statuam & accurrentem cum Votis populum decentiùs exciperet. Ab eo tempore ita beneficia Deiparæ creverunt, ut anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo in formam juſti Templi Sacellum

Eeeeeee de-

debuerit ampliari. Durántque Deiparæ miraculoſa in hanc uſque diem beneficia, quorum aliqua ad me pervenêre, ſed quia ordinaria ſunt, omitto. Ex Authentico ad me miſſo. Ubi locus eſſe dicitur prope pagum, qui ab alba pluvia nomen habet.

M C I V.

Imago B. V. Miraculoſa. DE FRUCTIBUS. *Meſsinæ in Sicilia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *O Eva Margaritum, ſine Adami planctu!*

1. Præpoſtera pietas nil proficit.
2. Terræ motus defendit Imaginem.
3. Funis campanæ mira utilitas.

EST in Celeberrimo Conventu de Scala, quem Sanctimoniales Carmelitanæ incolunt, Imago Deiparæ ad murum omnibus cœli injurijs expoſita, è gypſo & argilla ita muro immerſa, ut opere relevato ſemiemineat, undiq; fructib' ex eadem materia fictis ornata, à quibus etiam nomen accepit. Porrò Imaginis decor magnus, & artis ingens opinio eſt; tum quia ſummam toto corpore amœnitatem ſpirat, tum quia ex argilla cùm ſit, lęvore vilitatem ſuam ita tegit, ut ab omnibus marmorea credatur.

Fuêre, qui prępoſtera pietate Theſaurum hunc Monialibus eripere conarentur, & alteri Templo inferre ad honores majores, quàm hic ſub dio accepiſſet. Jámq; miſſi murarij opifices, qui murum omnem ſummâ arte ſimul tollerent atq; aveherent. Impactis ictibus operi dedêre initium; cùm inſolitus tremor omnibus ſudorem expreſſit, quem diurn' labor nequiviſſet. Terrore hoc moniti deſtiterunt, neq; alij reperti ſunt, qui quavis mercede propoſita ſuccederent tam infauſto labori, non ignari, majore pœnâ dignos, qui temerè laborem hunc producerent, quàm qui eam innocenter inchoâſſent. Ita Imago ſtare loco ſuo à B. Virgine juſſa, ab his permiſſa, & majoribus honoribus culta eſt.

Murarij.

Adjungo, quod Bonfinius l. 4. ſcribit. Ferdinandus Gonzaga Dux Ariani, Prorex Siciliæ, è Sicilia cum exercitu diſceſſurus debuit in ipſo procinctu ſeditionem ſedare præſentiâ ſuâ, paulò pòſt erupturam. Venit itaque cum ſatellitibus paucis ad confertam militum manum, quæ ante hoc Templum de Scala ordinata conſtiterat: cùm unus intento ſclopo Principem deſignat, ſeu territurus, ſeu trajecturus: tum Princeps advocato carnifice, huic, inquit, hoc loco quamprimùm laqueo gulam frange, niſi ipſe pari pœnâ mulctari velis. Quid ageret carnifex, cui præcipuum artis ſuæ inſtrumentum deerat funis? ad hæc urgebat Protegis Imperium, & mors ſibi certa: ingenium dedit locus. Templum de Scala ingreditur,

Carnifex.

ditur, & quantum ſatis fuit, de fune campanæ abſcindit; & mox ad ſuos, qui hominem intereà tenuêre, reverſus, injectò capiſtro animam reo elidit, & cadaver in ipſum Templum abjicit, dum id patibulo, paulò pòſt erigendo, ante ipſam Templi portam appenderet.

Campana

Virgines Sacræ tam triſtem caſum Virgini conqueſtę, pro rei animâ fecêre preces, & obtinuêre, ut paulò pòſt reus ad ſe rediret, non ut aſſolent, infirmus & debilis, ſed repente vivus, vegetus, & ſanus; & ſe Proregi ſiſteret, aſſereretq; verè ſe mortuum, iterum ope Virginis revixiſſe: miratum enim ſe eſſe, quòd fune, quo Virgo in Templo honoratâ eſſet, ipſe mortem exequi deberet, rogâſſeque, ne id permitteret Virgo: ita exauditum ſe hîc ſtare, & meliora ſpondere. Et quia Proregi miraculum ſatis probatum fuit, factâ vitæ gratiâ liberum abire permiſit, indecorum ratus, eum punire, quem Virgo abſolviſſet. Reverendus Pater Placidus Samperius. l. 1. c. 4.

M C V.

Imago B. V. Miraculoſa.
HOHENPEISSENBERGENSIS.
Raitenbuechæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *I, anima ſane pura! i, terge Adamo luctum.*

1. Primum miraculum equorum ſanitas.

2. Ruſticorum exemplaris pietas.

3. Ex Sacello Templum.

Raitenbuechâ Monaſterium eſt Canonicorum Regularium Sancti Auguſtini. Fuere in latè patente Monaſterij hujus ditione nonnulli ſubditi, qui querebantur & viæ & tempeſtatum incommoda, quibus nonnunquam vel ægri vel etiam ſani cogebantur manere domi, & Feſtis diebus negligere Sacrum ob Parochię nimiam diſtantiam. Convenêre viri anno milleſimo quingenteſimo decimo tertiò, & impenſas juſti Templi promiſêre hoc in monte. Placuit hæc ruſtica, ſed vera pietas, poſitúſque lapis primus eſt anno milleſimo quingenteſimo decimo quarto, 25. Maij.

Quo die cùm ruſticus quiſpiam intellexiſſet, quæ ad honorem Deiparæ in monte peragerentur, equum vovit optimum Templo ſe donaturum, ſi cæteri, quos plures habebat, & omnes ad mortem ægros, convaleſcerent. Voto vix emiſſo potitus, quamprimùm eorum præſtantiſſimum Deiparæ adduxit, & hoc primo miraculo ſpem cæteris quoq; ingeſſit contribulib⁹.

Equis

Pietas accurrentium & beneficia reportantium, jam non ampliùs Sacello contenta, Templum exigebat juſtæ magnitudinis, quod circa annum 1608. ædificatum eſt. Miracula ad me miſſa, eo ordine perſcripta ſunt,

quo Servator noſter ſua recenſuit ijs, quos ad ſe legatos miſerat S. Præcurſor. Cœci vident, claudi ambulant, ſurdi audiunt &c. quin etiam nonulla memorantur de mortuis ad vitam reſuſcitatis: quæ tamen quia adhuc Ordinarij approbatione carent omitto.

M C V I.

Imago B. V. Miraculoſa. DE INDIRIZZO. *Meſsinæ in Sicilia*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *I, magis pura lacte, o Mater munda navi.*

1. Pictor non bonus, ſed innocens.
2. Cura Monialium placet B.V.
3. Nauta Scillam ſuperat.

Eſt extra Urbem Cœnobium, quod incolunt Moniales Ordinis Ciſtercienſis ſub titulo de Spiritu Sancto. In hoc Cœnobio præter Imaginem de Miraculis, quam ſupra explicavi, etiam una eſt, quæ de *Indirizzo*, ſeu de *Directione* nomen habet, cujus hæc eſt origo. Fuit eo in Monaſterio rota plateam verſus juxta Templi portam. Oeconomus Monaſterij, qui paucis abhinc paſſibus domum ſuam habebat, non ſemel obſervavit, fures & latrones, qui aditum ſibi ad Virgines per hanc rotam perfringere conabantur. Oeconomus pro poteſtate, quâ pollebat, diffractâ rotâ muro Cœnobium munivit in formam hemicycli, qui Sacelli parvi inſtar Imaginem contineret, Deiparæ tranſeuntibus in ſolatium. Oeconomus.

Puerum ad hoc elegit tredecim non ampliùs annos natum, qui arti pictoriæ operam dabat oppidò mediocrem, nec dum prima artis rudimenta prætergreſſum. Is arte, quâ potuit, Sacram Imaginem Virginis deſignavit carbone, coloribus decoravit, & denique operi finem dedit, quem potuit. Nemo inventus eſt Pictorum, qui arti inviderer; nemo, quem pictura multùm ad preces invitaret. Nempe è longinquo quærendus & advocandus fuit nauta, qui pretium Imaginis indicaret; is delapſus in Scyllam, jam antiquis inviſam, ne abſorberetur, Deiparam invocavit maris Dominam, & quamprimùm lucem in littore vidit, è qua radius ad ipſam uſque navim pertingebat: hunc ille ſecutus, ad littus pervenit illæſâ navi. Curioſus videndi, unde hic radius originem ſuam acciperet, adhuc dubia luce venit ad hanc Deiparæ Imaginem, & clamoribus omnem latè viciniam in hoc Urbis pomęrio excitavit: miraculum inſolitæ lucis & navis à Scylla liberatæ eloquentiâ plùs quàm nauticâ in vulgus propagavit. Creditum homini eſt teſtibus non deſtitutó: neque enim vel unus in navi fuit, qui non certum vitæ periculum, & viſum à ſe lucis inſolitæ radium teſtaretur. Nauta. Miraculi

tur. Hinc concurſus ex Urbe ingens,& in multos dies expectandum eſſet, ſiquis ad ipſam Imaginem penetrare vellet. Facta innumera miracula locum fecere celebriorem: quin quòd poſt aliquot annos ſudare viſa eſt in vultu per tres continuos dies.

Reverendus Pater Placidus Samperius l.5.cap.22.

MCVII.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE MONTE OSSIUM.

Painbergæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *I, Agna, jam ſidera te Evam puram colunt.*

1. Mons cadaverum.

2. Veſtes dono data.

3. B.V. ſuadet cauteria.

ORigo Templi hujus à prælio quopiam eſt, in quo tot cadaverum oſſa ſunt collecta,& in cumulum congeſta, ut collis ſpeciem exhiberent: hinc in antiquis ſcripturis *Mons Oſſium* vocatur, linguâ Germanicâ, *Painberg.* Parvum initio Sacellum fuiſſe, litteræ teſtantur, & fama quoq; conſtans, etiam Deiparę Statuam ab antiquo fuiſſe miraculoſam, ijs præſertim ęgris, qui veſtes ſuas huc devoviſſent. Hodie ſingulari accurſu celebris eſt. Ex antiquis miraculis, quia perierunt, nihil perſcribi potuit. Duo beneficia notatu digna & recentia ex ijs, quæ ad me miſſa ſunt, adnecto.

Veſtes.

Latro ad mortem ducendus Deiparam impensè invocavit, ut dignaretur impetrare peccatorum remiſſionem, idq; ſigno aliquo ei conteſtari, quo cordatiùs meritum mortis ſupplicium ſuſtineret. Nocte ultimâ ei Deipara apparuit, juſſitque, ut amicis ſuis indiceret peregrinationem ad ſeptem Deiparæ miraculoſas Imagines, inter quas hanc nominavit, & ad ſingulas pro defuncto ſacrificium Miſſæ procurarent. Ita confidenter velut hoc ſigno certus Judicis ſententiam ſuſtinuit. Mihi difficile non eſt, fidem huic homini habere, quia Ariſtoteli fidem habeo dicenti & aſſerenti, quòd morituri non mentiantur.

Apparitio.

Mendacid

Alterum beneficium Sacerdoti pio collatum à Deipara eſt. Is dolore capitis tanto affligebatur, ut negotijs omnibus ineptus etiam medicorum auxilia ſperneret, quia nullo fructu adhibita. Huc ad Deiparam facto Voto intra muſculos utriuſq; brachij alterâ die tentiginem inſolitam ſenſit, invenitque non ſine admiratione maculam utrinque rubram eo proſsus brachij loco, quo cauteria muri conſueverunt Chirurgi. Cùm ei in mentem venit, Virginis voluntatem eſſe, ut hic cauteria ponantur. Quæ ubi poſita fuere, omnis dolor capitis evanuit. Hæc ex Authentico ad me miſſa.

Cauteria

***

MCVIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE CATENA. *Meſſinæ in Sicilia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Virgo mea ac pura, ea munda malis nitet.*

1. Beneficium eſt catena.
2. Captivorum Spes.
3. Nautarum devotio.

AD maris littus Pharum, magni nominis eſt B. Virgo de Catena. Pictura eſt manûs bonæ: ſedens Deipara tenet JESULUM ſtantem; & hic florem in dextera: Deipara alterâ manu. Catenâ ferreâ tenet hominem ante ſe flectentem, cui catena collo innexa eſt. Fundator Auctor & Dotator hujus templi fuit pius Sacerdos, qui anno 1518. ſuo ære id extruxit.

Captivi. Quid ille hâc picturâ voluerit incertum eſt, an quòd captivus quiſpiam olim à Deipara liberatus, hanc olim picturam curaverit, atque ita captivi apud Turcas idem ſperare poſſint? an quòd à Deipara beneficio affectos gratitudinis admonere voluerit, Iuxta illud: Nautæ. qui beneficia invenit, catenas invenit. Certè hic loci Deiparæ Captivi apud Turcas commendantur, & nautæ, ſive abeant, ſive redeant, hîc ſe Virgini ſiſtunt. Muri tabellis & catenis tecti loquuntur beneficia. R. P. Samperius S. I. l. 5. c. 9. Feſtum magna ſolennitate celebratur 16. Auguſti.

MCIX.

Imago B. V. Miraculoſa. ANNUNCIATA. *Meſſinæ in Sicilia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Tu es, Virgo mea dilecta: nam anima pura.*

1. Scylla ſemper periculoſa.
2. Nauta præter morem pius.
3. Imago B. V. honorata.

TEmplum hoc Deiparæ Annunciatæ aliquot milliaribus italicis diſtat ab Vrbe Meſſina, & littori dat nomen, quod de Annunciata appellatur. Eſt mare propter Scyllæ viciniam hîc loci nonnunquam navibus adverſum, propter torrentem, ut vocant nautæ; ſciunt tamen periti, etiam hunc maris torrentem ſuperare.

Anno 1560. Celebris Nauarchi pretioſa navis in hunc torrentem Scylla. devenit, & conſuetis licet artibus uteretur peritus nauclerus, appellere tamen etiam poſt multas horas non potuit: miſit in expedita cymba, qui quærerent in littore, quæ ſint hæ terræ tam inhoſpitæ & navibus inimicæ, reſpon-

ſum

ſum eſſe *Littus Annuntiata*, neque peritis nautis inacceſſũ eſſe locum. Navarchus ubi intellexit littus à templo Deiparæ vicino nomen habere, ſimul in mentem ei venit Græcæ manûs Imago Deiparæ, quam ſecum ex Oriente attulerat. Hanc, inquit, Virgo hîc reponi petit: obſequor. Simul cum dicto mirum quanta facilitate navis velut ſponte ſua littori ſe applicuerit. Instituta rite ſupplicatione nauticâ, templo illata Imago accivit populum: cujus pietas facilè Deiparam invitavit ad plura & majora beneficia. Vnde hodieque nondum deſinit dare ſupplicibus, quæ optant, ſperántque beneficia. Navarchus quoque peractâ ritè donatione, navim nullo labore per torrentem egit in apertum mare. R. P. Samperius l. 5. c. 11.

M C X.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE ALTOBASSO.
Meſſinæ in Silicia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Eja ergo pura, munda, immaculata nites.*

1. *Antiquitas per ſe veneranda.*
2. *Littera perpetua memoria.*
3. *Architectura inimica pietati.*

HÆc Deiparæ Imago ætatem plurium ſæculorum habet, & non tam propter antiquitatem quàm propter titulum & figuram ſemper fuit, & adhuc eſt in magna veneratione. De littera nomen habet, quia volumen geſtat JESULUS, ut in cæteris Imaginibus, quibus proponitur ea Deiparæ Epiſtola, quam ad Meſſinenſes ſcripſit.

Anathemata antiqua partim ætate conſumpta, partim ob novam architecturam abolita ſunt. Cæterùm novum cultum à noviter erectâ confraternitate accepit prioribus annis, quem Deipara renovatis beneficijs compenſat. Feſtum celebratur Feſto Virginis Natę. Curam habent RR. PP. Eremitæ S. Auguſtini idem l. 5. c. 27.

M C X I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DI ROGADEO.
Meſſinæ in Sicilia

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Parens Adam: Virgo immaculata veniet.*

1. *Voluntas & facultas rarò ſimul.*
2. *Ingenium pietatis.*
3. *Furtum pium.*

ARmenij propriam olim plateam incolebant Meſſinæ, quæ de Gente Armeniâ corruptâ voce adhuc Gentirmeni vocatur. In hac antiquiſſimum Deiparæ templum eſt cum Hoſpitali ejuſdem ætatis. Titulus Sacræ Imaginis

ginis eſt de Rogadeo, incertum, ob quam cauſam. Fuit hæc Deiparæ Imago olim in maxima veneratione ob ſingularia beneficia ibi obtenta; ſed ut tempus omnia abſumit, etiam iſthæc devotio populi deſijt ſucceſſu temporis tantum non in nihilum. Imago.

Vidit hoc Amator quiſpiam Virginis, & populo non parùm iratus, tantùm non teporem publicè exprobravit. Sed quid unus contra torrentem, præſertim ſæcularis, cui ut ſit voluntas, non tamen facultas, Deiparæ honorem promovendi?

Ingeniũ. Invenit tamen ingenioſa pietas modum, quem nulla induſtria inveniſſet. Imaginem ingenioſo furto abſtulit, & domi ſuæ occultavit; dum omnis ſacræ Iconis memoria periret: tum enim verò deſtinabat ille Imaginem loco cuipiam ubi meliùs haberet, & à populo decentiùs coleretur. Sed ut fit, furto ablata Imago jam pretioſa templi curatoribus erat, quæ antè vix triobolaris: credi vix poteſt, quantâ induſtriâ fur quæſitus, quâque diligentiâ inventus ſit: neque fur pœnâ ullâ affectus, qui non alia quàm quæ ſuprà à me memorata eſt, intentione ſpretum hunc theſaurum abſtulit. Imago ſacra in locum ſuum reducta poſthac charior eſſe ornari & coli cæpta ab accurrentibus vicinis, denique

Præſtitis beneficijs celebris fieri. Idem. ib. c. 25.

MCXII.

Imago B. V. Miraculoſa. POGENBERGIANA. *Pogenbergæ in Germania Sup.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Tu ignara pomi, Eva lucens Mater Adami.*

1. Magnitudo & longevitas honorantur.
2. Templum ex arce.
3. Ceſſio loci inaudita.

Ad origñe hujus antiquiſſimę & valde miraculoſę Statuę pertinet ipſa Monaſterij Oberalrani, imò ipſius Arcis origo. Planitiẽ Straubinganæ Vrbis velut amplũ & ſpacioſiſſimum Pomeriũ rivus interluit, qui quia varijs mæandris ludit, & non rarò in arcum curuatur, ab arcûs ſimilitudine nomen accepit, & Germanicâ linguâ *Pogen* vocatur. Mons amœnus nec enormis altitudinis, qui rivo huic proximus eſt, à rivo nominatur, vocaturque *Pogenberg* ſeu, *Mons arcûs*, more rebus humanis conſueto, quando omnia magna nòmen ſuum à parvis mutuantur. Non longè ab hoc monte Quercum poſuêre majores, quæ quia in immenſum excrevit, credebatur honores mereri divinos. Itaque dati ſunt honores, quos gens Ethnica Jovi dedit. Hic pro Templo fuit omnis latè patens campus, pro tecto cælum, pro Deo annoſa Quercus, tantò dignior honoribus divinis quàm Belus ille, quantò magis non modò vivere ſed etiam bibere decta, Mons.

injurijs cœli, ſi fulmina excipias, ſecurâ. Aliam & huic cognatam quercum atque ex eadem eorumdem Deorum genealogia eductam coluit Bavaria Inferior, robore tantorum Deorum, ſi fortiſſimorum virorum viribus jungantur, ſat tuta. Stetêre hæ duæ arbores, velut ultimæ & jam pridem extinctæ & abolitæ gentilitatis reliquiæ, uſque ad annum Chriſti Servatoris ſeptingeſimum trigeſimum primum: cum Utilo Dux Bavariæ exciſâ ſuperiore quercu antiquâ, cujus hodiedum ſupereſt nomen *Oberalta*, truncata ultima ſemiſyllaba, Monaſterium condidit, & Templum, quod Sanctus Pirminius Epiſcopus (cujus Sacrum Corpus Societas JESU Oenipontí colit,) ſolenni ritu Eccleſiæ conſecravit. Dux duodecim Religioſos Ordinis Sancti Benedicti ex *Divite Augia* (hoc enim antiquiſſimi Monaſterij nomen eſt) vocatos, in loco conſtituit, ad Fidem Chriſtianam in neophytis populis conſervandam. Floruit locus ſub Prælatis ſex & viginti, ſex & ſeptuaginta annis ſupra integrum ſæculum: cùm ab Hunnis vaſtata omni circùm Regione, ipſum cum Templo Cœnobium igne abſumptum eſt, jacuitque ſub cineribus ſepultum duobus ſæculis, ſi quinque ſolos annos excipias, cùm ab Azvvino Comite Pogenſi iterum à fundamentis extructum eſt.

Juvat breviter Nobiliſſimi Fundatoris memoriam agere, qui
Hartvvicus magni Babonis Comitis Abenſpergenſis Sextus filius, à Sancto Henrico Imperatore Comitatum Pogenſem in feudum accepit, atque eo in monte arcem ſuam habuit, Vir è Comitibus Schirenſibus oriundus, qui proſapiam ſuam à Carolo Magno deducebat. Hujus Hartvvici filius fuit Azvvinus Cœnobij Oberaltenſis Secundus Fundator, qui felicibus prælijs ad eam laudis magnitudinem devenit, ut ubique vocaretur Terror Boemorum. Felicibus auſpicijs Cœnobij hujus favit Deipara: ſiquidem & ipſa Victoria.
ſperavit honores à tam pio Comite. Anno milleſimo centeſimo quarto Statua Deiparæ miraculoſo natatu contra Danubij potentes undas devenit ad litus Monti Pogenſi propinquum, & conſtitit digna, quæ quamprimum à Comite videretur. Vidit ſanè, & altiora mente volvens, in arcis ſuæ Sacello decenter eam collocavit. Virgo primitias honorum compenſavit victorijs, & hoſtium manubijs: neve Dominum ſolum curare videretur, ſubjectos Comiti populos miraculis accivit, & beneficijs ditatos domum remiſit.

Plus ipſis victorijs placebant Azvvino honores Virginis, Cultus.
quos ut augeret, raro exemplo Arcem Gentilitiam in Templum juſtæ magnitudinis & è fundamentis erectum mutavit, & Cœnobio Oberaltano tradidit. Ita, ô Virgo, omnes quotquot te colimus, gratias agimus tibi

propter magnam gloriam tuam. Ita Azvvinus jugum amœniſſimi Montis Deiparæ cum Arce tradidit; ſibi ad pedem Montis novam & priori non parem ſtruxit, quæ omnia juſtis documentis in Archivo Oberaltano conſervantur.

Porrò Deipara locum ita beneficijs ſuis celebrem fecit, ut ſecunda Bavariæ Arx & Reſidentia dici potuerit. Etenim ſicut Oetingæ in Statua ſua miraculoſa præſidebat Bavariæ Inferiori; ita in hac ſua Statua Pogenbergenſi præſidebat Bavariæ Superiori. Adſunt teſtes litteræ Pontificum plures, Bullæ, Legatorum Pontificiorum Indulta, Epiſcoporum ſingulares gratiæ, & favores Principum, quibus locus celeberrimus honoratus eſt, quémque plurimi Principum devotionis gratiâ acceſſerunt. Templū. Hodie Templum novem altaribus & architecturâ ſua decorum adminiſtratur à Reverendis Patribus Benedictinis è Cœnobio Oberaltano; qui, quia locus aliquantum à Cœnobio diſtat, habitationem habent in modum Cœnobij parvi duodecim Patribus ſufficientis, qui advenis Sanctiſſima Sacramenta miniſtrant, & Sacram Statuam curant. Hæc ex albo lapide ſculpta, tres pedes cum dimidio alta eſt, eâ figurâ, quâ Deipara S. Eliſabetham ſalutavit, ita ut ipſe JESULUS ſub corde materno per vitrum intuentibus ſpectandus proponatur. Eam ob cauſam prægnantes hic auxilium quærunt, & inveniunt: adſunt in viciniâ Sacella ſex ad imitationem Montis Serrati, in quibus olim fœminei ſexûs Eremitæ juſtâ clauſurâ aſperam vitam duxêre: è quibus unam rectâ poſt obitum evolare ad Cœlum vidit Sanctus Albertus ex Comite Monachus, & hujus Templi Parochus, olim miraculis clarus.

E quibus Sacellis unum, originem habet à puero ruſtico, qui Paſchali tempore Sanctiſſimâ Euchariſtiâ refectus, dum domum rediret, dolore ſtomachi oppreſſus, Sacram Hoſtiam nullo ſuo delicto in terram ejecit: Templū. quam & Sacerdotes quamprimùm ad Templum deportârunt, & pius populus quamprimùm ære ſuo ligneum Sacellum, & quia locus miraculis clarere cœpit, etiam juſtum Templum ædificavit, quod hodiéque miraculis claret.

Cæterùm Templum Pogenſe, quod hodie cum turri ſuâ per omnem latè Regionem conſpicitur, non illud eſt, quod Azvvinus exſtruxit; neque enim illud multùm ultra duo ſæcula ſtetit, injuriâ temporum & incuriâ hominum collapſum; ſed novum & illo magnificentius. Statua tamen antiqua illa adeſt, & etiamnum miraculoſis beneficijs claret, & concurſibus peregrinorum celeberrima eſt. Ipſe ego, qui hæc ſcribo cum Celſiſſimo & Reverendiſſimo Principe Alberto Epiſcopo Ratiſponenſi Sacrum locum pluries viſitavi; Proceſſio & Catholicis ex Urbe Ratiſpona huc decorâ & populosâ

ſup-

ſupplicatione venientibus, tanquam meis in dictæ Urbis Ecclesia Cathedrali Auditoribus è pulpito de Deiparæ laudib⁹ dixi.

Tabellæ antiquæ penicillo ſcriptæ, bello Suecico periêre. Ab anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo tertio, quadringentæ amplius advenêre & indies adveniunt. Beneficia miraculoſa cum approbatione Ordinarij publicata ſunt anno milleſimo ſexcenteſimo ſecundo, milleſimo ſexcenteſimo quarto, milleſimo ſexcenteſimo decimo quinto, milleſimo ſexcenteſimo decimo nono, milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo quinto, & jam reliqua typo parantur. Hæc ex Authentico ad me miſſo.

MCXIII.

Imago B. V. Miraculoſa. ROMANELLA. *Meſſinæ in Sicilia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Ergo amanda purè Immaculata veniſti.*

1. Fulminis vis ingens.
2. Templum poſt Victoriam.
3. Statua inter ignes illæſa.

NOmen hujus Sacræ Imaginis, quia Romam ſonat, ipſa Imago à Summo Pontifice Comiti Rogerio olim ex Urbe miſſa creditur, non ſine alia bona ratione, quia in Templo S. Salvatoris, quod dictus Comes Rogerius è fundamentis exſtruxit, non multùm à litore hanc Sacram Imaginem Templo intulit, quam ipſe pro theſauro habuit, utique jam miraculoſam. Incoluêre Cœnobium illud à Fundatore Rogerio inducti Reverendi Patres Baſiliani Græci, & cultum Deiparæ promoverunt, uſq; dum anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo nono Menſis Julij die decimatertia fulmine ictum eſt reconditorium pulveris pyrij, Templo proximum, idque momento diſcerpſit potiùs quàm diruit, magno Meſſinenſium dolore, eo ſolo ſolatio pijs relicto, quòd Imago Deiparæ miraculoſa, miraculosè in tanta marmorum congerie illæſa omnino ſit reperta. Unde permoti cives è ruderibus Templum hoc, quod nunc viſitur, longè à primo diverſum coagmentarunt ſub eodem titulo Sancti Salvatoris: in quo etiamnum nulla non hebdomade feriâ ſecundâ magno concurſu viſitatur hæc Deiparæ miraculoſa Imago. Quia verò tantus populi concurſus Caſtello militari non parùm incommodus fuit, metuentibus militibus, ne quà aliquando proditio ſuboriatur, clauſâ portâ hic concurſus abolitus nuper eſt. Cæterùm tabellis votivis parietes cooperti loquuntur miraculoſa Deiparæ beneficia.

Ipſius autem Monaſterij origo negligenda non eſt. Rogerius Comes à Meſſinenſibus vocatus

Fulmen. *Proditio.*

à Summo Pontifice animatus, & ab ipſa Deipara incitatus, ad liberandam Siciliam à jugo Saracenorum, cùm è Calabria tranſitum feciſſet in Siciliam cum exercitu, ubi terram attigit, infelici omine non tam contriſtatus, quàm in furorem actus eſt contra impios Saracenos. Vidit enim in littore furcas infames, & ex ijs viros duodecim pendentes; quos ubi cives Meſſinenſes eſſe intellexit, nullo alio delicto tam infami morte mulctatos, quàm quòd ſuſpicionem incurriſſent advocati in auxilium Comitis, & Urbis tradendæ. Ubi id Comes intellexit, in genua prolapſus Deo & Beatiſſimæ Virgini votum fecit, ſi victoria potiretur, fundandi hoc in loco Templi ſumptu regio, quod & obtentâ victoriâ fecit, & dictam Imaginem de Romanella honorandam Templo intulit. Reverendus Pater Placidus Samperius Societatis JESU l.5. cap.13.

Suſpenſi.

***

MCXIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
JUSTA.
Meſſinæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Immaculata Virgo! en pates, munda ira!*

1. Juſtitia titulus à vinea.
2. Inundatio innoxia.
3. Luſores puniti.

Mille non ampliùs paſſibus extra Vrbem hæc Sacra Imago in Templo ſuo colitur. Juſtæ titulum non aliunde habet, quàm ab ipſa platea, quæ juſta vocatur: quæ nec ipſa titulum ſuum habet ab incolis ſuis, qui utiq; non omnes ſemper juſti ſunt; ſed, quod rarum eſt, à vinea proxima, quæ ſingulari benedictione divinâ annis ſingulis centum vini optimi dolia dedit, eâ lege, ut vinum qualecunque annus ille produceret, ſive dulce ſive amarum, hoc, de quo loquor, ejuſdem ſaporis ſemper eſſet: inſuper ſive annus vini prodigus eſſet ſive parcus, hæc vinea centum dolia daret; juſtè, eam ob cauſam vinea *Juſta* eſt appellata: à vinea nomen ipſa platea accepit, & denique platea nomen ſuum ipſi Deiparæ dedit. Cæterùm Annuntiata ab alijs vocatur.

Antiquiſſima eſt & miraculoſa. Certè ab inundatione vicini torrentis, quæ vicinas domos cum fundamentis ſuis eruit, nullum Sacræ Imagini, ſed nec Templo, damnum illatum eſt. Alterum eſt, quod dubium facit, an non *Juſta* nomen aquiſiverit à juſtitia: ſiquidem cùm Joannes Auſtriacus contra Turcas iret anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo militum nonnulli in hoc Templo conſederunt, & productis in medium ſeu aleis ſeu folijs ludo tempus fefellerunt, inter

Inundatio.

ter conſuetos luſoribus ſermones, abſumptis luſu infelicibus horis. Vix Templo egreſſi in rabiem acti ſunt omnes, ſéque ad unum omnes collatis manibus inter rixas interemerunt, nemine uno tam cruentæ cladis cauſam penetrante, omnibúſque juſtam juſtæ Deiparæ vindictam laudantibus. Ludant ſanè pueri ludo, quo pueri Davidis luſère, ſéque mutuis cædibus interimant.

Ita merentur. Idem ib.

***

M C X V.

Imago B. V. Miraculoſa.
N O V A.
Meſſinæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *I, regna: tota enim pura maculam evadis.*

1. Opinio bona ſemper utilis.
2. Imago Beatiſſimæ Virginis honoratur.
3. Fama auget pietatem.

ORigo Templi hujus, ſive vera ſit ſive falſa, magnorum bonorum origo fuit. Vnde videre Lector poterit, quàm exigua vel etiam nulla principia pijs ſufficiant ad colendam Virginem, & Virgini ad gratias largiendas. Imago hæc in angulo domûs alicujus ad Odigitriæ formam picta, vicinis in honore fuit tanto, ut lampadem curarent diu noctúque ardentem. Cauſam verò huic novo cultui fama dedit per viciniam didita, fleviſſe Imaginem: quod quia an verum falſúmque fuerit, à nemine ullò examinatum eſt, libertas cuicunque ſua relicta eſt, ſive credere id libeat, ſive abnuere. Sed accenſa à vicinis lampade credentium eſt auctus numerus, & factus quotidianus populi concurſus. Petita & accepta à Virgine beneficia adhuc magis pietatem inchoatam extulère, ita ut tandem è comportatis pecunijs hoc Templum anno milleſimo ſexcenteſimo decimo nono exſurgeret, & in ea dicta Deiparæ Imago, evulſa è muro, hîc collocaretur. Lampis.

Feſtum ſolenne celebratur Dominica in Albis.

Idem ibidem.

***

M C X V I.

Imago B. V. Miraculoſa.
D E P A N N O.
Meſſinæ in Siciliâ.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Virgo & pacis Mater, Anima munda, vale!*

1. Dæmon forma apri.
2. Dæmon cauſa templi.
3. Dæmon omnes terret.

NOn aſſero titulum hûc hodiedum templi eſſe, quem hîc appoſui, & ex ipſa Hiſtoria aſſumere coactus ſum, cùm alium apud Auctores infrà citandos non reperiam. Tempore S. Pomponij Epiſcopi Neapolitani, datum dæmoni à Deo forum eſt, in quo nonnihil dominari poſſet Vrbi Neapolitanæ, inventus in eo foro eſt Aper, monſtrum immane, ingens, qui tranſeuntes ferociſſimè adortus non quidem læſit, ſed tamen metu mortis incuſſo tantùm non exanimavit. Non defuêre venabula, quæ fortiſſimi viri beſtiæ intentabant, daturi mortem certam; ni beſtia identidem aſtu novo ſe ſubduxiſſet, quin etiam ipſos venatores diducto rictu periculi admonuiſſet, & in fugam egiſſet. Dum demum animadverſum eſt, dæmonem quempiam ſub hac apri forma latere. Hinc major adhuc metus omnium, qui illo in foro domicilium habuêre.

S. Pomponius Vrbis tum Antiſtes Deiparam invocavit, & ab ea mali tanti remedium popoſcit: nec illa precanti defuit, quin apparens ei diſertis verbis edixit, dæmonem hunc hoc è foro non abiturum, priusquam ibi templum ſibi erigeret. Non renuit Antiſtes, non dubius, tantum malum ſi averteretur, populum tantas impenſas non gravatè porrecturum: at ubi, inquit, & quo loco, Mater! tibi hoc templum vis, ut ſtatuam? Ibi, reſpondit Deipara, ubi cras in platea pannum cæruleum reperturus es: ſimul videri deſijt, & Sanctum Virum omnia læta cogitantem reliquit. Repertus ab eo altera die pannus eſt: indicata populo Deiparæ voluntas: datus templo primus lapis, finis terroribus infernalis apri, qui ampliùs viſus non eſt. Templum illud in veneratione populo fuit, cui Deipara quoque beneficijs miraculoſis favit. Ita in Hiſtoria Epiſcoporum Neapolitanorũ Bartholomæus Chioccharellus, & Paulus Antonius de Tarſia in Hiſt. Beatiſſimæ Virginis Inſulanæ.

Apparitio.

Signum.

MCXVII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE VICTORIA. *Meſſinæ in Sicilia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Te agnam ſine Adami reatu puram colui.*

1. Mendici vel incurij vel impij.
2. Neglectus liberorum.
3. Pietas Sacerdotis.

AD portam Pozzetanam à fundamentis extructum eſt Deiparæ Oratorium anno 1630. à Reverendo Sacerdote Dominico Vitale, cui placuit in altari ponere Imaginem Deiparæ veſtitu albo cum vexillo in manu. In eo vexillo Crux Meſſinenſis Vrbis gentilitia videtur. Ipſi Oratorio titu-

lum

lum dedit de Victoria. Vtriuſque cauſa fuit victoria illa, quam ſic apparens Virgo Vrbi dedit, cùm à Carolo Rege anno 1282. obſidione premeretur.

Porrò aliud quoque fuit, quod pium Sacerdotem ad hoc pium opus adegit. Puerorum pauperũ miſertus, quos negligentia parentum tantùm non orco tradit, eos convocatos eleemoſyna juvit, & pijs doctrinæ Chriſtianæ præceptis imbuit, docuitque, quid quamque bonum ſit timere Deum. Placuiſſe Virgini tam pium inſtitutum oſtendit in puero, qui ex alto muro fallente veſtigio deorſum lapſus, ſe Virgini de Victoria (tantum aſſuetudo poteſt) alta voce commendavit. Virgo puerum qui in Oratorio ſuo didicerat, indemnem in platea ſpectanti populo ſtitit. Puer collectis, quotquot invenire potuit, pueris inſtituta ritè ſupplicatione ad Oratorium hoc proceſſit unà cum ſocijs, cùm ſolus non ſufficeret, debitas Soſpitatrici acturus gratias. Populus, ne pueri omnem Virginis favorem ſoli exciperent, & ipſe quoque in vota venit, & voti compos miraculoſam Imaginem per omnem Meſſinam deprædicavit. Sacerdos Oratorij Fundator, poſtquam id ritè RR. PP. Theatinis tradidit anno 1638. vitam piam piâ morte clauſit. Feſtum S. Mariæ de Victoria hoc in loco celebratur primâ Dominicâ Octobris quantumvis non illa victoria fuerit, ob quã hâc Dominicâ feſtũ celebratur: credibile eſt, eodẽ menſe quantumvis nõ eodem anno contigiſſe. R. P. Plac. Sampe. l. 5. c. 16.

M X C V I I I.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE SALUT. ANGELICA.

Alicubi in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Laus Deo! Mater Agni mei una pura micat.*

1. Inceſſus novus modus.
2. Vis ſalutationis Angelicæ.
3. Cultus à dæmonibus.

TEmplum Deiparæ (ſive Romæ ſive alibi fuerit, non refert) in quo Deipara docere ſuos voluit, quo ritu per plateas ad templa ſuaſit eundum, deſcribit Petrus Cæleſtinus ſummus Pontifex opuſculo 6. c. 11. nolo mutare tanti Auctoris verba, ne verbis meis obfuſcem. Sic itaque ſcribit. *Bonus quidam Chriſtianus ſurgens nocte causâ orationis, dum vellet ad Eccleſiam B. V. intrare, ſenſit inſidias dæmonum, qui totum clauſtrum obſederant. Vndique ergo anguſtijs arctatus, proficiſcendi genus aggreditur inauditum. Et primo quidẽ inceſſu toto corpore ſeſe in terrã proſternens, ſalutiferũ illud nomen* AVE MARIA *intentè dicebat ac devotè. Ceſſit ſupplicanti dæmonum denſitas: turbatur & contremiſcit, dum profertur ſalutis nuncium; & vir Dei uſque ad Eccleſiam ita ambulavit, ut quoties ſe proſter-*

neret

neret, & AVE MARIA *pronuntiaret*, *toties Dæmonum globus ante ejus vestigia caderet.* Hæc ille.

M. C. X. I. X.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE ITINERIBUS.
Meſſinæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Cano Reginam, jure tutam è lapſu Adam.*

1. Lachrima ſanguinea è Statua.
2. Lampas ſponte accenſa.
3. Pueri fidem invéniunt.

BIs mille paſſibus diſtat ab Vrbe hæc miraculoſa & celebratiſſima Deiparæ imago. De itineribus titulum acquiſivit à frequentia populi, hoc iter in altum montem facientis: neque ambulationem vocare licet id viæ genus, quod & aſperitate ſua & longitudine euntes fatigat. Annus Vrbi infauſtus fuit millesimus quingenteſimus nonageſimus quartus: ſiquidem menſe Junio Ætna mons cineres ejecit magno camporum, ſerici, & vinearum damno atque Vrbis periculo. Menſe Septembri claſſis Turcarum fortiſſima in oculis Meſſinenſium vaſtavit Calabriam totam, præſertim *Rhegium* Vrbem. Lachrymæ. Interea Beatiſſima Virgo Meſſinenſium Patrona ſanguineas lachrymas cum precibus fudit pro Vrbe: extant veſtigia ſanguinis in ipſa S. Imaginis facie.

Lachrymæ porrò iſtæ ſanguineæ paulò antequam hæc mala imminerent, à populo viſæ ſunt; qui tanto omine territus, hanc S. Statuam jam ante miraculoſam frequentare cœpit inſtantiùs, nec fruſtra: nam 7. die Menſis Septembris vigilia nativitatis ſuæ, tremenda claſſis intactâ Siciliâ vela fecit. Nec tacendum, quod alijs quoque Tuta. vicibus vultum mutaverit S. Statua; atque anno 1599. iterum lachrymas fuderit ſanguineas. Addo, quod contigit 24. Aprilis anno 1638. Circa veſperum Sabbati duo pueri more conſueto cum carbonibus accenſis properabant ad hoc Deiparæ templum accenſuri lampadem, quam dominica præcedente extinxerant. Hi ludis puerilibus per viam intenti, non advertere carbones interea temporis extingui; quapropter per apertam clave portam templum ingreſſi, pio quodam horrore contremuerunt, viſa lampade fulgentiſſimâ Lampas. flammâ lucente, plus timoris injectum eſt pueris, poſtquam viderunt ipſam Statuam lachrimantem. Optimum fuit incidiſſe pueris, quod fortè tibi, optime lector, nunc in mentem venit: ergone tanta fides pueris duobus, ut duo hæc miracula prudenter credi poſſint, non dico debeant! Hæc ipſa pueri, qui naſum rhinocerotis habebant ſibi invicem ingeſſere: cùm unus arrepto fune campanam novis ictibus concutiſſum cientibus pulſat, præſens quamprimùm è vicinis villis populus, miratur primum puerorum inſolitum

tum factum: ubi & quæ, inquiunt, ſeditio? quis hoſtis? quod incendium? ecce, reſpondet puer, incendium in lampade, quæ noſtrâ operâ accenſa non eſt, cùmque mentiri pueros paſſim clamarent, deſinite, inquit puer: quæ ignem dedit Virgo, etiam aquas dat & quidem ex oculis viſæ in vultu Virginis lachrymæ, lucem dedêre miraculo lampadis; & pueris fidem. Commodum adfuit è proxima villa parochus, qui conſcenſo altari, bombyce lachrymas magno numero excepit, quas populus certatim donum tulit.

Æditus. Illud omnino rarum, & æditnis imitandum. æditnus vir juſtæ ſimplicitatis & rectus, monile pretioſum dono oblatum ſacræ Statuæ appendit, & injectam collo non ita bene ligavit, quin paulò pôſt furax manus ſoluto nodo monile abſtulerit. Æditnus miratus primùm, quòd Virgo ſua meliùs non cuſtodiret, tum etiam quòd furem non illico immobilem in loco fixerit, aut aliâ pœnâ vindicârit, ad extremum, ſi tanta, inquit, eſt miſericordia tua, hominem ſtimulis conſcientiæ exagita, ut ablatum monile referat, & tu habeas, quæ tua ſunt. Non vanæ fuerunt hæ ſine viribus iræ precéſque: etenim fur octiduo pôſt iterum monile ibi repoſuit, ubi facilè ab æditno reperiri poſſet. Feſtum celebratur feriâ tertiâ poſt Dominicam Paſchæ. Curant locum & devotionem augent Reverendi Patres Dominicani. R.P. Samperius Soc. JESU l. 5. c. 17.

M C XIX.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE GUADALUPA.
Meſſinæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Reginam videtis à nota maculæ puram?*

1. Ventus ad vetum.
2. Cultus à militia.
3. Modus obtinendi petita.

EO in monte extra Vrbem Meſſinenſem, in quo olim ſtetit Caſtrum Orionis pro Vrbis defenſione, hodie ſtat Caſtrum Regis Hiſpaniæ velut Vrbis frenum milite Hiſpano, & tormentis bellicis inſtructiſſimum. Ad hoc caſtrum Hiſpanus quiſpiam Deiparæ Guadalupanæ addictiſſimus (de qua ſuo loco dixi) ſacellum ære ſuo extruxit, & ſculptam Statuam prototypo quàm ſimillimam in eo repoſuit. Habuit faventes ſibi Hiſpanos ob patrium affectum: quapropter Dominicâ primâ Septembris, quâ feſtum prima vice celebratum eſt, explosione omnium tormentorum & bombardarum Deipara honores accepit. Populus quoque Meſſinenſis tantæ celebritatis fragore accitus & animatus, cùm multa audiſſet de miraculis Guadalupanæ Statuæ in Hiſpania; ad paria beneficia accipienda ſpem ſuam erexit. Et fuerunt ſanè, qui fiduciâ ſuâ velut ruptâ glacie fontem miraculorum ape- Tormenta.

Gggggg riren.

rirent, hos alij atque alij ſecuti paria, quinetiam majora, impetrārunt.

Teſtes horum ſunt parietes, Votivæ. è quibus votivæ tabellæ maximo numero pendent, monumenta beneficentiæ Marianæ. Inter has tabellas illa memorabilis eſt, quæ navem refert Galli Mercatoris à quinque bellicis nauigijs Turcicis tantùm non captam, jam ad ictum tormenti curulis vicinam: cùm Hugo (hoc enim Gallo nomen) facto huc voto, ventum repentè accivit è cœlo, cujus ope ſine ullo diſcrimine elapſus eſt ab ipſa uſque Barbaria Meſſinam uſque. Hoc attuli, ut lector ſciat, ſimilia quamplurima pendere in Templo anathemata. Qui exaudiri à Deipara cupiunt, ſepties Templum hoc accedunt, & ſepties ſanctiſſimum Miſſæ Sacrificium procurant, & exauditos ſe fatentur. Reverendus Pater Placidus Samperius Societatis JESU l. 5. cap. 19.

MCXXI.

Imago B. V. Miraculoſa.
PRÆGNANTIUM.
Meſſinæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Templum Dei ſum: Arca ignara nota avi!*

1. Prægnantium auxilium.
2. Primi partus adjumentum.
3. Græca antiquitas.

Non longè à Caſtro Hiſpanórum, de quo paulò antè dixi, Templum eſt Deiparæ dedicatum tantæ antiquitatis, ut primæ fundationis tempus & Fundatoris nomen inveniri nequeat. Fabrica omni ex parte græca, cum altari ſuo ad Orientem, & cœmiterio ad Occidentem. Imago quoque Beatiſſimæ Virginis Græcæ manûs eſt opus. Mirum quantum miraculorum hîc Deipara à pluribus ſæculis patraverit, teſtantur hæc anathemata nautica è Templi fornice undique pendentia, captivorum catenæ, parietum ornamenta. Prægnantes. Præ omnibus tamen hîc auxilium inveniunt prægnantes, illæ maximè, quæ primum partum nondum expertæ ſunt. Creduntur olim hujus Sacræ Imaginis curam habuiſſe Reverendi Patres Franciſcani. Feſtum ab antiquo celebratur Feſto Paſchatis, & feriâ ſecundâ ſequente idem ibidem.

MCX

MCXXII.

Imago B. V. Miraculoſa. ADVOCATA PECCATORUM.

Meſſinæ in Sicilia

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Pia, munda, juſta, alma, Creatorem genui.*

1. Miſterioſa Imago.
2. Converſio peccatorum.
3. Situs Templa ornat.

VT ſemper populoſa fuerit Siciliæ Inſula, ac præſertim Urbs Meſſinenſis, hoc tamen ſæculo ager Meſſinenſis quamplurimis plateis velut parvis urbibus auctus eſt; ut ubi majorum ætate fuerunt arenæ & littora, campi & prata, hodie ſint ampla & multa velut Vrbis celeberrimæ pomeria. Inter quæ tractus ille eſt, quem habitare cœperunt noſtrâ ætate quamplurimi ob viciniam Urbis. His, ut bene eſſet, Sacerdos quidam pius & Beatiſſimæ Virginis Cultor eximius ære ſuo Templum ædificavit, & in ejus altari Imaginem poſuit, opus manûs novæ ſed myſterijs refertam. Flectit Mater Sanctiſſima ante Filium ſitu precantis: Filius manu ſiniſtrâ tenet ſceptrum Omnipotentiæ ſuæ ſignum; dexterâ fulmen vindictæ vibrat, Angelo uno adſtante, qui alia atque alia fulmina jam parata ſubminiſtrat, in peccatores infra flectentes, & Advocatam peccatorum implorantes: cujus deprecatione fit, ut duo Angeli fulmen illud manu dextrâ jam jam vibrandum detineant. Concurſus vicinorum eſt magnus: miracula, quæ hic fiunt, occultiora ſunt cæteris, adeóque majora: nam converſio unius peccatoris gaudium tantum omnibus Angelis creat, quantum vix ipſe Servator ad captum noſtrum potuit explicare. Feſtum celebratur primâ Dominicâ Octobris. Idem ibid.

Converſio.

***

MCXXIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE MONSERRATO.

Meſſinæ in Silicia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Magna Dei Mater, vivo ſanctè pura mali.*

1. Amor patriæ prudens.
2. Sabbatina pietas.
3. Securitas ab hoſtibus.

FErrantus Gonzaga è Ducum Mantuanorum proſapiâ Prorex Siciliæ, ſive frenum, ſive ſe-

curitatem daturus Vrbi Meſſinenſi, Caſtrum apto loco poſuit anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo, quod hodie incolunt & defendunt milites Hiſpani. Templum, quod ab antiquo Sacrum Sancto Archangelo Michaëli, deſertum ſteterat, Caſtro vicinum renovavit Franciſcus Bertrandus Caſtri Præfectus anno milleſimo ſexcenteſimo, & Deiparæ de Monſerrato dedicari fecit; ne Patriæ ſuæ obliviſcerentur Hiſpani. Sed quia Hiſpana pietas etiam à Meſſinenſibus aucta eſt anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo tertio pulchrius & amplius à fundamentis erectum eſt. Miracula quia Ordinarijs non ſunt diſparia, omiſit Auctor: ex omnibus tamen unum poſuit.

Sabbatū. Sartor quiſpiam Civis Meſſinenſis morem habuit & pium & imitatione dignum. Omnibus Sabbatis ſub Veſperum ex Vrbe huc venit, & Deiparæ ſe ſuaque commendavit, nullis cœli injurijs impediendus. Dum Sabbato quopiam in viâ anguſtâ, & tunc nullâ populi frequentia imò ne ab uno quidem homine tritâ pergit, in tres Sartoris capitales inimicos & in hominis certam perniciem armatos incidit: nec jam multùm aberant. Tremefactus Sartor ad mortis cogitationem, quanquam omnes animi vires intenderet, viam tamen non invenit, quâ evaderet, ſive obvios progreſſuro, ſive fugientem inſecuturos: ad hæc inermis ille contra armatos & quidem tres, qui vix contra dimidium etiam inermem ſuffeciſſet armatus. Alas optâſſet, quas tamen vel ipſe timor tanto tremore impeditus addere non potuit. Itaque ad Deiparam de Monſerrato converſus, ei cum via etiam viatorem, & peregrinum Sabbatinum commendavit affectu ſolito, ſed inſolito periculo non parùm aucto; & gradu nec feſtino nec lento hoſtes ſuos ſecurus prætergreſſus, miratus eſt, ſe ab ijs non agnoſci; quamvis eum intentis oculis intuerentur: vel panico timore ſtupefactos exequi timere malum, quod meditabantur. Ille gratijs Deiparæ actis, ſuperati timoris memoriam reliquit in pariete. Feſtum, quod magno concurſu celebratur ſecundâ Dominicâ Octobris, exploſione tormentorum curulium & bombardarum honoratur. Idem ibidem. Timor.

M C X X I V.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE CARMINELLO.

Meſſinæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Tota ſine macula Adam, purè Germinavi.*

1. Pan-

1. Pauperum pietas.
2. Inter ignes illæſus.
3. Volatus mirabilis.

IN platea Tironis extra Urbem ſtetit ab antiquo Sacellum cum titulo de Carminello, jam paſſim à me explicato. Multa ad Sacram hanc Imaginem Deipara patravit miracula, quibus finem dedit novum Sanctæ Barbaræ Cœnobium, eo in loco ædificatum. Pauperes tamen, plateæ illius incolæ Sacræ Statuæ alio in loco novum Sacellum & ære ſuo & manibus exſtruxerunt; iterúmque Statuam Deiparæ inibi repoſuerunt, neque Virgini ingratus fuit tam pius labor: ſiquidem eum novis & pluribus miraculis compenſavit.

Miracula. Memorabile eſt, quod contigit anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo ſexto cùm triremis, ut vocant, patrona non ſine multorum funere accenſo pyrio pulvere conflagraret: nam juvenum unus in altum ſublatus cum caniſtro atque in mare delapſus, ad invocationem Sanctæ Mariæ de Carminello, ſalvus ſanúſque ex omnibus penè ſolus & unus evaſit. Idem ibidem.

M C X X V.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE INDIRIZZO.
Meſſinæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Vivam Deo integra Immaculata Parens.*

1. Periculum alienum non terret.
2. Græci fiunt Itali.
3. Gratia occulta.

HÆc Deiparæ Imago antiquiſſima eſt, & ad modum illius de Odigitria penicillo græco depicta. Tituli causâ, quod de Indirizzo & non de Odigitria appelletur, eſſe poteſt, quòd, cùm ſicuti græcâ linguâ loqui deſinerent & ad italicam reſpicerent, pleraque vocabula è græco tranſierunt in italicum. (Græci.) Ita credibile eſt, vocem Odigitria græcam, eſſe mutatam in vocem italicam Indirizzo, nullo prorſus errore; cùm eadem idem ſignificet, viæ ducem ſeu conſilium, quo indiget, qui negotijs ſuis bonum quærit exitum, quod alij alijs atque alijs vocibus titulíſque expreſſerunt; ut videre eſt per totum hoc opus. Stat hæc Sacra Imago in Templo Parochiali Sancti Jacobi, habétque Sacellum clauſum. Adſunt munera & anathemata argentea magno numero.

Colunt hanc Sacram Imaginem & viſitant, quos negotiorum gravium incertus exitus torquet, quos conſilium deficit in ambiguis, quos fluctuans animus affligit; (Conſilium.) & auxilium inveniunt, eo majore miraculo, quo oc-

occultiore: ſiquidem ſimilia nec ita ut cætera in lucem proferuntur, nec ita ab alijs æſtimantur, ſicut ab eo, qui gratiam miraculoſam ſibi ſoli notam accepit; nemo enim in alieno periculo ita pavet, ut in proprio. Porrò dies, quo gratiæ hîc petuntur & obtinentur, eſt feria quarta cujuſcunque per annum hebdomadæ: ita fert opinio. Denique Feſtum annuum celebratur in Octava Beatiſſimæ Virginis Natæ. Idem ibidem.

M C X X V I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE PORRINNE.
Piſtorij in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Perijt anguis coram Eva munda & alma.*

1. *Gratitudo brevis.*
2. *Morbus peſtilentiæ ſuppar.*
3. *Beatiſſima Virgo nulla nomina recuſat.*

IAm ſuprà memoravi, duas Deiparæ Imagines miraculoſas, quas Piſtorienſes Cives ſummis honoribus colunt. Tertia, quam hic affero, antiquior cæteris eſt, habétque nomen *de Porrinne.* Vide lector; quàm nulla nomina Deipara fugiat, modo beneficij qualiſcunque memoriam involvant. Scito itaque *Porrinne* lingua Hetruſca morbum ſignificare, & morbum fortaſſis alijs etiam vicinis populis aut incognitum, aut certè aliâ voce appellatum; morbum tamen talem, qui parùm à peſte abſit, certè contagioſus ſit & latè ſerpere dicatur, atque augeri; dum denique in veram peſtem excreſcat. Morbus.

Ab hoc morbo Urbs Piſtorienſis olim vexata ad hanc Sacram Statuam confugit, & miraculosè ſe liberatam ſenſit. Habet hodiéque honores, ſed antiquis non pares propter alias duas, quæ ſuprà modum miraculis celebrantur, habitura iterum, ſi iterum metuenda *Porrinne* Civitatem affligat. Ita nempe nullum beneficium unum ſi ſit, tam magnum eſt, ut apud nos perpetuam & conſtantem gratiarum actionem inveniat. Pagnozi in Mar. Triumphante fol. 606.

M C X X V I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DOLOROSA.
Nideraltæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Virginem adora è ſpinâ macula tutam.*

1. *Quer-*

1. Quercus Bavarorum Idolum.
2. Confraternitas antiqua.
3. Fides plantatur ut arbores.

CÆnobium Nideraltenſe Ordinis S. Benedicti jam à pluribus ſæculis originem nominis ſui habet à quercu, olim ante fidem Chriſti prædicatam adoratâ. Idola ſanè in Bavaria adorata nulla legi: vivum eſſe oportebat, quod à Bavaris cultum divinum poſcebat, vivum, inquam, & vitam longam cum majeſtate in ſæcula producens: magnum item eſſe & procerum debuit apud eos, qui nihil, quod parvum & exiguum eſſet, honore dignum judicabant: denique ſpeciem aliquam, cui cælum invideret, quodque hominibus aliquâ ſaltem ratione prodeſſet: hoc demum divinis honoribus dignum judicabant, quidquid id eſſet, quod tot prærogativis alijs omnibus præſtaret. Arbor.

Hæc omnia quia in quercu ſola conveniunt, quercus nomine divinitatis honorata eſt. Nam & vivit quercus, & in immenſum excreſcens ſæculis pluribus ſtat firma; cum cælo quoque bella gerit: nam quia ventis obſiſtit, fulminibus petitur. Cultoribus demum ſuis non parùm prodeſt, quos umbrâ ſuâ defendit à ſole, folijs ab imbre; quin & arma ſubminiſtrat, quæ nec rubiginem contrahunt, ut ferrum; nec curuantur, ut gladij, ſudes, inquam, qui ſi etiam præuſti ſint in terram fixi, cum hominibus caſtra defendunt. Has quercus præ idolis adorârunt Bavari. Duæ præſertim in honoribus habebantur, una in Bavaria inferiore, altera in ſuperiore: hæc, ſuperior antiqua quercus vocabatur, illa, inferior antiqua quercus. Ad has currebatur undique è tota Bavariâ: hic vota appendebantur, hic preces fundebantur, dubites, an non tolerabiliùs, quàm ab ijs, qui manufactis idolis hos dederunt honores.

Inducta à S. Ruperto fide hæ duæ quercus ante omnia exſcindendæ erant; quod & à Theodone Duce non perfunctoriè factum, quam primum conſtitit alium & longè majorem eſſe Deum, qui rebus humanis præſit, quàm ulla quercus eſſe poſſit. Vtrobique verò Deo templa erecta, & ſequentibus ſæculis adjuncta Cænobia S. Benedicti, quæ in hodiernum diem ſibi conſtant, ingentibus aucta redditibus; nomen vetus Nideralta. Oberalta etiamnum hanc, de qua dixi idololatriam loquitur. Cænobiũ

In Nideraltenſi itaque Monaſterio Deiparæ doloroſæ Statua eſt, quæ jã à ſeſqui ſæculo apud peregrinos & incolas in honoribus eſt, inſuper & confraternitate à centum quinquaginta annis inſignis. Concurſus per annum maximè feſtis Deiparæ fiunt, & anathemata antiqua & recentia teſtantur Virginis favores multos & magnos, ut habet Authenticum ad me miſſum.

MCXXVIII.

MCXXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DOLOROSA.

Dekendorffij in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratia plena; Dominus tecum.
Anagr. *Deipara inventa ſum: ergo immaculata.*

1. Statua latens.
2. Somnium aditui felix.
3. Fides ſimplici habita.

STatuam Deiparæ Doloroſam, quæ hodie prope Vrbem Dekendorffenſem colitur, olim fuiſſe in honore dubium non eſt, cùm miracula jam ab anno 1483. conſcripta ſint. Cæterùm loco ſuo olim mota anno 1628. in angulo aranearum telis obſita latuit; etiamſi templum totum cultiſſima munditie more patrio niteret. Ædituus tribus continentur noctibus ſibi viſus eſt moneri in ſomno, hanc S. Statuam tenebris & ſqualore aranearum erueret, & loco decentiore collocaret, non ſine ſpe futurarum gratiarum. Ille non tardus Deiparæ cultor, ſpongiâ abſterſit ſordes, & S. Statuam altari impoſuit. Hominis fidi fidelis narratio accivit cultores: hinc tanta, quæ hodie videtur, pietas, miſſa ad miracula non appono, quia cum alijs communia ſunt. Anno.

MCXXIX.

Imago B. V. Miraculoſa. ETALII.

Etalij in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Eva ſecunda malum ignorat prima:* ita.

1. Caſus equi felix,
2. Templum in ſilva.
3. Statua gravis.

HUjus nobiliſſimæ Statuæ originem raram referunt tabulæ Monaſterij Etalenſis & Andreas Presbiter Ratiſponenſis Autor perantiquus & probatus nec nón Wigulejus Hundius Hiſtoricus verè nobilis & magnæ fidei. Cùm Ludovicum IV. Imperatorem exhauſto ærario, ſumptus ad reditum in Germaniam deficerent, monachum quendam vel certè ſub monacho ſpecie latentem Angelum graviter ſolicito ſpem feciſſe, fore ut ex ea rerum difficultate emergeret, ſi redux in Germaniam monaſterium in Deiparæ Virginis honorem Deo dedicaret in Ampherang loco Boicæ ditionis, pollicitus Deo res Ludovici cordi fore. Exinde Cæſari votum nuncupanti, faciliora omnia & prona fuiſſe, affluentibus ex inſperato opibus & mortalibus etiam poſt placatos ſuperos longè quam antè æquioribus. Addunt in Bavariam regreſſo ab Henrico Vendio venatore fundi Ampherangenſis,

couſ-

eouſque Ludovico ignoti factũ eſſe indiciũ: illo confeſtim repurgato, menſe Aprili jacta magnæ molis fundamenta templo quod etiamnũ extat amplitudine ſuâ & venuſtate viſendi. Traditio porro eſt triũ ſæculorum cum dimidio firmata Scriptorum auctoritate, Monachum illum, de quo ſuprà, dediſſe Ludovico Statuam Deiparæ ex alabaſtro peritè factam in templo cultui publico proponendam. Adeſt hodiedum S. Statua colitúrq; à peregrinis. Inſuper pictura, quam ipſe in muro vidi perantiquam, docet Ludovicum ipſum per omnem viam bajulum fuiſſe S. Statuæ, equum inſuper innoxio caſu procidiſſe in loco quem, Monachus deſignarat pro templo, hodiéq; altare ſummum ſtare ubi quercus ab ipſo Ludovico exciſa fuerat. Ita chronica monaſterij Sancti Benedicti, & Autores.

M C X X X.

Imago B. V. Miraculoſa.
S C H O F A U G I A N A.
Schofaugiæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Virgóne ſemper munda à macula? Ita, Ita.*

1. Licentia difficulter obtenta.
2. Statua in agro.
3. Ruſticus architectus.

Statua Deiparæ lignea octodecim uncias alta, quæ hic à pluribus, ut ajunt, ſæculis colitur, in agro inventa eſt à ruſtico arante, & tantùm non vomere ipſam S. Statuam in partes findente. Ruſticus, Statuæ quamprimùm templum vovet, idque poſt impetratos longe labore conſenſus ære ſuo in hanc formam extruxit, quæ hodiéque videtur, dotémque templo convenientem de bonis ſuis dedit. Quæ etiamnum à poſteris annuatim fideliter penditur: inter alias obligationes hæredum una eſt, quòd prandium dent Parocho vicino, quoties hoc in templo Sacrificium Miſſæ celebrat; quod fit in hunc diem. Ita Deipara laboribus hujus agricolæ benedixit, ut hæredes & poſſint & velint. Sabbatho Rogationum viginti ſupplicationes ex vicinis pagis, aliquæ etiam è longinquis annuatim adveniunt. Adſunt adhuc litteræ Indulgentiarum cum ſigillis Emminentiſſimorum Cardinalium, quæ antiquitatem ſpirant. Aſſerunt quoque, S. Statuam colores novos ſæpius reſpuiſſe, ut vetuſtate ſuâ magis placeat. Quòd hodie non ita ut olim miraculis floreat, in cauſa eſt templum Deiparæ proximum, quod non ante multos annos ædificatum, beneficijs miraculoſis peregrinos ad ſe trahit, de quo ſuo loco. Hæc ex Authentico.

MCXXXI.

Imago B. V. Miraculoſa.
HUEBANA.
Huebæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Vna eſt Deipara Virgo: en Immaculatam!*

1. Silva felix.
2. Ex ruſtico mercator.
3. Fundatori gratia facta.

HUeba in ſilva Monialium ſita eſt. Ex hoc pago oriundus mercator opulentus Auguſtam Urbem celebrem incoluit, factus civis: is Patriæ ſuæ memor hoc Templum Deiparæ exſtruxit, quod anno 1631. ſolenni ritu à Suffraganeo Auguſtano dedicatum eſt. Non deeſt Deipara ſupplicibus: imò ſtatim primò, id eſt, milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo primo hujus ſæculi anno liberaliſſimè aliquas gratias miraculoſas eſt elargita. Certè inter primas fuêre, quæ ipſi Auctori eiúſq; conjugi & filiolo ſæpius obvenêre, filiolo præſertim, qui tantùm non è mortis faucibus huc facto voto ereptus eſt; unde hæc, quæ adhuc durat pietas, originem ſuam habet. Cætera, quæ ad me perſcripta ſunt, beneficia miraculoſa quia communia ſunt, non appono, ne lectori eadem ſemper recenſendo faſtidium creem.

MCXXXII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE PORTA PARADISI,
Meſſinæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Vna eſt Immaculata Virgo, en Deiparam!*

1. Vera Porta Paradiſi.
2. Nec altaria à furibus ſecura.
3. Nobilis & liberalis manus.

VLtra Turrim Pharum ad mare tractus eſt ingens tantæ amœnitatis ac fertilitatis, ut majores eum nomine Paradiſi decorârint, ad ruſticorum ſolatium olim Deiparę Templum eſt ædificatum, quod appellârunt *Portam Paradiſi*: in quo Altare fuit picturâ ſuâ viſendum, quam furum quiſpiam abſtulit, incertum, Fur. quâ mente ac intentione, ſiquidem Templum omne collapſum jam inter ruinas jacebat; quod tamen a Magiſtratu ſumptibus publicis iterum eſt reputatum. At verò cùm Nobilis quiſpiam non longè à Templo regium propè dixerim Palatium cum horto exſtruxit, etiam Templi Mariani, curam in ſe ſuſcepit, id novo altari decoravit, aliáque Templo addidit ornamenta, quibus pietas in Virginem augere-

geretur: quod & factum. Nam etiam quamprimùm Deipara hic ſe grandibus beneficijs liberalem oſtendit, & antiquum miraculoſæ nomen iterum reſumpſit. Tantum poteſt, nobilis & liberalis manus. Reverendus Pater Placidus Sampe- rius Societatis JESU l. 5. cap. 10. Feſtum celebratur vel ultimâ Dominicâ Julij, vel primâ Dominicâ Auguſti.

M C X X X I I I.

Imago B. V. Miraculoſa. DE PORTA. *Meſſinæ in Sicilia.*

Progr. AVE MARIA. gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. ***Munda mali vigeat ſuper omnia creata!***

1. Fœminarum lucrum voluptuoſum.
2. Templi cura ſine pretio.
3 Quæ remota ſunt, deſerta ſunt.

EST Meſſinæ platea, quæ de Gentirmeni, ſeu de gente Armenia ideo nomen habet, quòd ea gens olim magno numero Meſſinam & in hac plateam iſtam incolebat. In hac Templum Deiparæ eſt, quod à vicina Urbis porta nomen accepit, & *à Porta* vocatur. Ejus origo hæc eſt. Stetit hîc Templum Veneris, à fœminis illis maximè frequentatum, quæ voluptuoſum lucrum ex proſtituto corpore quærebant. Templum hoc, iratum mare ejectis arenis tantum non omnino obruit: unicam, quæ remanſit, capellam Chriſtianorum quiſpiam Deiparæ ſacram fecit, appictâ ejus Imagine in muro. Mulier.

Sacellum hoc, ut fit, quia remotum, non potuit non eſſe deſertum. Reperta tamen mulier eſt, quæ omnem hujus Sacelli curam ipſe ſuſcepit, lampadem curavit, ſcopis aream purgavit, altaris linteamina decorè lavit, campanâ quoque cum oportuit, ſignum ad Sacrificia Miſſæ & Salutationem Angelicam dedit. Hæc filiolum habuit unicum & unicè charum, quem graviter ægrotantem Virgini commendavit, ſæpe repetito roſario; ſed fruſtra: nam puerum violentia morbi è vivis expunxit. Mulier indignè tulit, labores ſuos gratuitos ſperni, preces negligi. Et quid, inquit, gratis Deiparæ ſervio, & fruſtra mercedem ſpero? itaque deſerto Templo ejuſq; curâ, ſibi vixit. Errorem nec in ſimplici fœmina tolerandum correxit Deipara ſomnio. Videbatur ſibi videre in ſomnio mulier adoleſcentem è furca pendentem; quin etiam Deiparam vidit, audivitque interrogantem, num eum nôſſet, quem videbat ita è furca pendentem? negante illâ, vide, inquit, quàm ego preces tuas & præſtita mihi ſervitia non ſpreverim: filius tuus hic in furca tibi videtur eâ prorſus formâ, quâ pependiſſet, ſi ad hos, ut vides annos, vitam pro- Somnium.

duxiſſet. His verbis fœminæ ſomnum abrupit, atque iterum ad ſervitia Templi animavit. Ita nempe tum contrarios nobis Superos exiſtimamus, cùm maximè proſunt. Beatiſſimæ Virginis Feſtum de Porta celebratur 8. Decembr. quia Immaculata Conceptio ejus porta fuit, per quam omnes cœleſtes gratiæ in eam intrârunt.

Idem l. 5. c. 15.

M C X X X I V.

Imago B. V. Miraculoſa DE PARTU.
Meſſinæ in Siciliâ.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Alma Dei Virgo ante caſum præmunita.*

1. Infidelis famuli latrocinium.
2. Beatus, qui moritur in ſervitio Beatiſſimæ Virginis.
3. Homicida ſuſpenſus.

NOn abſimile exemplum præcedenti hiſtoriæ affero. Templum, quod Meſſinæ vocatur de *Altobaſſo* non multùm abeſt à Templo de alto, de quo ſuo loco dixi, cùm de miraculoſa Columba ſermo eſſet, quæ ex alto delapſa in conſpectu Senatûs volatu ſuo Templum deſignavit. In hoc Templo de *Altobaſſo* Imago eſt, quæ originem habet prorſus inuſitatam. Juſſerat hanc pingi Confraternitas, quæ in Templo Reverendorum Patrum Eremitarum Sancti Auguſtini, ſua Feſta celebrat. Pictor fuit quidam Polydorus, peritiâ ſuâ celebris, cui opus locatum fuit. Is opere ultra dimidium confecto, ſiquidem tres vultus, JESULI nimirum, Deiparæ, & Joſephi penicillus doctiſſimè abſolverat, præter alia quædam, pecunias petit acceptque, vigintiquinque ſcuta. Habuit Polydorus juvenem in domo diſcipulum è Calabria oriundum, omni theſauro chariorem; ſed Calabro aurum, quod viderat, ipſo magiſtro charius erat: hoc ut ſuum faceret, magiſtrum è vivis tollere decrevit, & temporis illius maximè rationem habendam eſſe duxit, quo à ſenſibus maximè abſtractum & cogitabundum adeóq; inermem aggrederetur. Eam ob cauſam tempus illud, quo in Deiparæ Imagine pingendâ occupabatur, maximè commodum cenſuit. Itaque magiſtrum operi intentum aggreſſus fœdè obtruncat, & accepto auro in fugam ſe dat.

Hîc ad tria reſpondere lectori acurato debeo, quid Sacræ Imagini imperfectæ actum, quid homicidæ, quid Polydoro pictori? Imaginem finivit, eiq; coronidem dedit Theodatus quidam, ſed longè inferioris penicilli artifex. Homicida deprehenſus, pependit è furca. De Polydoro quid actum ſit in altera vita, non habeo quod dicam: habeo tamen, quòd ſentiam; illum

Pictor. Calaber. Mors.

illum à Deipara in eum antea ſtatum animæ collocatum, in quo certa eum ſalus æterna maneret: neque enim unquam adducar, ut credam, eum damnari, qui in Deiparæ ſervitio ex hac ad alteram vitam rapitur.

Idem l.5. cap.27.

MCXXXV.

Imago B. V. Miraculoſa. DE PIETATE. *Meſsinæ in Sicilia.*

Progr. **AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.**

Anagr. ***Nivea Mater JESU culpam ignorat Adam.***

1. Lampas piè accenſa.
2. Laſcivus juvenis impunitus.
3. Lampas ſponte accenſa.

De Pietate nomen ſuum habet hæc Deiparæ Sacra Imago; quia juſtam vindictam in pietatem mutavit. Pictam in muro, tota platea habuit in veneratione, quæ ipſa à miraculoſo quopiam ſed obſcuro beneficio originem ſuam traxit. Ea veneratio eò uſque excrevit, ut communi conſenſu vicini accenderent, & alerent totis noctibus lampadem, in ſolatium tranſeuntium & ægrorum per feneſtras proſpicientium.

Tranſijt aliquando juvenis, quem laſcivi mores devenuſtârunt, quémque publica fama nunquam laudavit. Is, quia omnis malus odit lucem, lampadem petulanter extinxit; ne, quam domum ingredi vellet, hac luce proderetur. Ægrè tulêre, quotquot è vicinis proſpexerunt per feneſtram, & eorum plures accurrêre, lampadem iterum accenſuri: ſed ubi ad locum venêre, lampadem invenêre accenſam, probato & teſtato omnibus miraculo, non parùm Virginis pietatem mirati, quæ juſtam vindictam tam benignè neglexiſſet: neq; enim unquam compertum eſt, juveni ſcelerato ſiniſtri quidpiam aut adverſi contigiſſe. Sacra Imago jam accurſu piorum celebris, in Templum Sanctæ Mariæ Novæ delata, majorem cultum accepit & miraculoſę nomen adepta eſt. Idem.

l.5. cap.15.

MCXXXVI.

Imago B. V. Miraculoſa. DE VISITO. *Meſſinæ in Sicilia.*

Progr. **AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.**

Anagr. ***Virgo eſt, ac præmunita in Adamalum!***

1. Templum inter hortos.
2. Illæſa ſtatua inter ſaxa.
3. Somnia repetita.

STetit eo in monte, qui de ſcirpo nomen habet, perantiquum oratorium, ab ijs maximè viſitatum, qui locum illum deliciarum pro ſuburbana recreatione elegerant. Inter hos ditior unus & Deiparæ addictiſſimus Nobilis, varijs ægritudinibus detentus, non parùm Deiparæ importunus fuit continuis pro ſanitate ſua precibus; cùm illa per ſomnium homini apparens, víſne, inquit, ſanus fieri? Non aliam ob cauſam, reſpondet æger, ô Domina, quàm ut tibi majore affectu ſervire queam. Tum illa, ergo accipe Imaginem illam de loco ſuo, & mihi ſacellum ædifica. Simul & Virgo videri deſijt, & æger evigilavit: qui de ſomnio anxius, cauſas habuit cogitandi ſomnium fuiſſe: nam nec locum Virgo deſignavit, in quo ſacellum ſtrui vellet; nec Imaginem, quam loco movere jubebatur: adhæc nulla morborum remiſſio, eum convincebant, inane ſomnium fuiſſe. Sed quia idem ſubſequentibus duabus noctibus ſomniavit, ad omnia paratum ſe exhibuit; ſiquidem & Imaginem ſciret & locum. Ita Deipara jam paratum habuit architectum ante tempus.

Somnia.

Fuit eo in monte lapicidina ad uſus Vrbis, è qua quia incautiùs montem ſuffoderunt operarij, magna ingentium lapidum congeries delapſa per montem, ipſum, quod ibi ſtabat oratorium, ſecum in ruinam traxit, unico illo muro ſuperſtite, in quo Deiparæ venuſtiſſima Imago colebatur. Iam Stephanus (hoc enim homini nomen) Imaginem ſibi porrectam à Virgine intellexit: locum ipſe elegit percommodum, ſuum è ligno ſacellum, quod jam ea in villa habebat, ibíque Deiparæ Imaginem collocavit, atque imperio Virginis factum ſatis exiſtimavit. Ubi verò altero die Imaginem vidit, neglecto ſuo ligneo ſacello, quod in ſilva pinea habebat, tranſijſſe in agrum *Palumbi* Nobilis & amici, Imaginem non invito *Palumbo* reportavit in ſuum, ut dixi, ligneum ſacellum. At verò Deipara iterum Stephano per ſomnium apparens, volo, inquit, à te templum non in ſilva pinea, ſed eo loco, ubi reperiſti heri Imaginem. Tum Stephanus, fundus, inquit, Palumbi eſt, non meus. Scio, reponit Virgo; ſed pete ab eo fundum, & habebis. Stephanus fundum à Palumbo petijt, & quamprimùm obtinuit, atque id templum, quod hodiéque celebre eſt, ſuo ære ædificavit, in eáque S. Imaginem repoſuit. Mirum, quàm citò quantíſque incrementis pietas creverit. Omnes templi parietes tabellis votivis & brevibus navium formis ritu periſtromatum veſtiti, gloriam Virginis loquebantur.

Ruina.

Fundus.

Sabbatis toto anno viſitatum hoc templum eſt etiam à Meſſinenſibus. Triduo ultimo hebdomadæ ſanctæ concurſus, ſi uſpiam fuit, hic magnus viſitantium Deiparam, ac eam ſuper morte Filij ſui velut conſolantium. Vnde fortè locus *de viſito* nomen acquiſivit. Quando Siculi dicunt, eum ſtare

ſeu

ſeu eſſe in viſito, ſeu viſitatione, qui ob mortem amici à viſitantibus condolentiam, ut vocant, ac conſolationem accipit. Deſijt poſt aliquot annos concurſus inſolitus, tum propter arduum collis aſcenſum, tum propter latrones peregrinis infeſtos, durat tamen etiamnum triduum illud paſſionis, de quo ſupra dixi.

Feſtum templi primâ Dominicâ menſis Maij celebratur: quòd quia propter imbres aliquot annis ſine magno populi concurſu celebratum eſt, Templi Capellanus in hæc verba pridie Feſti erupit: laboravi, & templum ut potui, adornavi; ſi cras pluat feſtum ampliùs non celebrabo, imò Templum è fundamentis demoliar. Inter hæc dum ſcalas conſcendit, decidit & crus fregit, didicítque modeſtiùs pòſt hac de Cælo & Cælitibus loqui. Porrò loci ſacri fundator Stephanus ſanitatem perfectam à Virgine accepit, & apud nepotes propter vitam, quam bona morte clauſit, in honore eſt. Ita Reverendus Pater Samperius Societatis JESU l. 5. c. 18.

MCXXXVII.

Imago B. V. Miraculoſa, DE PROVIDETIA. *Meſſinæ in Sicilia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Iram maculámve Adæ penitus ignorat.*

1. B. V. templum imperat.

2. Fames deſperata.

3. Naufragium utile.

Quàm omnia deficere poſſint, atque ipſo facto nonnunquam deficiant, Sicilia docet, quæ olim ſi non Italiæ totius, certè Vrbis Romanæ granarium ita anno 1603. exaruit, ut ipſa etiam princeps Vrbs Meſſina vix haberet, quo per triduum cives ſuos paſceret. Indictæ ab Epiſcopo preces ante venerabile Sacramentum in omnibus templis expoſitum mitigârunt Deum, jam jam ad ultimam vindictam paratum. Si quidem ingens oneraria frumento gravis pertranſiens Siciliam, adeò male à ventis & mari habita eſt, ut ſine malo ſine velis ſine temone, præmiſſâ cymbâ precaretur ex Navarchi mandato auxilium à Meſſinenſibus.

Dato auxilio per emiſſas naves, introducta in portum oneraria, recreavit totam Vrbem. Magiſtratus Deiparæ de littera in perpetuam memoriam navim argenteam appendit. Credidit magiſtratus Meſſinenſis Virgini Deiparæ ſemper addictiſſimus, ſe feciſſe officium; ſed illa plus voluit. Itaque homini pauperi per ſomnium apparuit, juſſítque templum ſibi erigi ſub titulo *de Providentia*: tum ne facti memoria periret; tum ut ſcirent Meſſinenſes, ſe providam Matrem eſſe & fore. Non parùm torſit hoc ſomnium vigilantem: quare ſi, inquit, ò Domina, templum jubes, da quod jubes: murarius ſum, offero artem & manus. Apparitio.

Amor

Amor ingenioſus dedit conſilium. Imaginem Deiparæ eo loco, ubi hodie templum ſtat affixit muro publico: aſſeres unde unde acceptos in formam tecti ſuſpendit: contra cæli injurias, lampadem inſuper addidit arſuram quoties è paupere cenſu haberet oleum. Placuit Virgini felix templi principium. Interea ad dignitatem promotus à Magiſtratu eſt opificio parem, ut Architectus Vrbis eſſet, fecit hoc hominis peritia & probitas, & ante omnia Deiparæ providentia diſponens omnia ſuaviter. Cùm ille ſomnij ſui memor, donari ſibi a Magiſtratu petijt aream, quę ſpacioſo templo ſufficeret, ſuis ſumptibus ædificando: nec tacuit imperatum ſibi hoc à Deipara. Non difficiles fuere Magiſtratus, per ſe in omnia Deiparæ obſequia promptiſſimi.

Templum.

Somnium.

Cæpit Vincentius Bagliota (hoc ei nomen) anno 1610. Templum hoc, & anno ſequente Dominicâ ſecundâ Octobris ſuis expenſis finitum ab Epiſcopo dedicari fecit. Altare ſummũ Deiparam cum JESULO exhibet, tã Deipara, quàm ipſe JESULUS ſpicas Angelis porrigunt, quas hi in ſubjectam Vrbem Meſſinam ſpargunt. Nec omiſit pictor navem ſine malo, ſine velis, ſine temone, quæ portum intrat.

Feſtum Dominicâ ſecundâ Octobris celebratur. Beneficia miraculoſa maximè die Mercurij petuntur, & plerúmque obtinentur ab ijs qui ſeptenis hebdomadibus eodem die huc ſupplicatum veniunt. Ipſe quoque templi fundator ad eas divitias devenit, ut abunde dotaverit templum, & inſuper beneficium fundaverit pro miſſa quotidie dicenda R. P. Samperius S. JESU. l. 5. c. 24.

Opes.

M C X X X V I I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
S. MARIA MAIOR.
Neapoli, in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Purior Angelis, Deum, unicè amata, amat.*

1. Opus S. Lucæ.

2. Architectus Sanctus.

3. Dedicatio à Summo Pont. facta.

Templum hoc nobile extruxit S. Pomponius Epiſcopus Neapolitanus circa annum 524. 14. Maij (ut habet Martyrologium) in quo ſepulchrum ſibi Sanctus elegit. In templi abſide hæc verba leguntur, *Baſilicam hanc Pomponius Epiſcopus Neapolitanus JESU Chriſti Domini fecit*. Poſtea anno 533. Joannes Secundus hujus nominis Summus Pontifex Patriâ Romanus & S. Pomponij conſanguineus, cùm veniſſet Neapolim, Baſilicã hanc conſervavit, ut in lapide pro templi foribus inciſum legitur. Eſtque ea Baſilica hodie una ex quatuor præcipuis parochijs. Templũ.

In hac Imago Deiparæ eſt, ut bonis fundamentis creditur picta à S. Evangeliſta Luca, quam olim miraculoſam fuiſſe, fas non eſt dubita-

bitare. An hodie miraculis celebretur, non habeo dicere. Cæterùm anno milleſimo quingenteſimo, nonageſimo primo Templum hoc, traditum eſt Reverendis Patribus Ordinis Clericorum Regularium Minorum, & ab ijſdem nitori priſtino reſtitutum. Reverendus Pater Antonius Spinell. Soc. JESU.

M C X X X I X.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE STELLA.
Meſſinæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Jure negamus maculam in tota Deipara.*

1. Naufragus felix.
2. Claſſis infelix.
3. Gratitudo naufragi.

CElebberrima eſt in Hiſpania Imago Deiparæ *de Stella*, ut ſuo loco dixi. Hæc, de qua nunc loquor, ad ejus imitationem facta eſt ab Hiſpano, & cultûs ſui habuit initium hoc modo.

Naufragium. Alfonſus Scaramiglius Nobilis Caſtellanus inter alios illi quoq; naufragio interfuit, quod claſſis Hiſpana Philippi Secundi ſuſtinuit in mari Anglicano, quo magna Hiſpaniæ & Italiæ Nobilitas perijt. Rupta itaque in partes navi, quâ Alfonſus vehebatur, & ipſe mari datus eſt: ibi inter fluctuantes vitæ curas, aliam vitæ ſpem nuſpiam invenit, quàm ut Stellam maris Mariam reſpiceret, cujus Imaginem ſecum in libello precatorio ferebat.

Juvit hominem cogitatio, juvit Maria: natanti enim & cum fluctibus certanti pars antennæ obvenit, cui ille innixus ſalutem invenit, in aliquam ex integris navibus receptus. Inde in Sicilia militiam proſecutus, ad honores militares pervenit. Honores.

Vnde cùm Caſtello Guelfoniano cum poteſtate præeſſet, Petrum quendam vidit in vicinia cujuſpiam ædificij deſignatorem. Vocatum hominem rogat, quid in hac caſtelli vicinia molietur, Deiparæ; reſpondit ille, Templum molior, ſiquidem per te, perque Epiſcopum licebit; porrò moliendi Templi cauſa eſt ipſe locus, tantorum malorum theatrum: quos enim fures, quos latrones & ſicarios non alit hic angulus? Alfonſus datâ quamprimùm licentiâ etiam Imaginem ſuam obtulit, & titulum eſſe juſſit, de Stella. Nec difficilem habuit Petrus Epiſcopum. Itaque brevi Templum ſtetit circa annum 1608. Concurſus pientiſſimi populi quamprimùm facti: propter accepta quoque à Beatiſſima Virgine beneficia, advenêre anathemata, quibus parietes Templi decorè veſtiti, gloriam Virginis advenientibus deprædicârunt. E portis Urbanis una huic Deiparæ dedicata eſt. Porta.

Feſtum deniq; primâ Dominicâ menſis Maij. R.P. Samp. l.5. c.27.

MCXL.

Imago B. V. Miraculoſa.
DOZBURGENSIS.
Dozburgi in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Alme munda & nitida jam tero caput Anguis.*

1. Faſtidium hæreſeos.
2. Diverſa fides in eodem Templo.
3. Teſtes miraculorum hæretici.

PRope Wiſenſteigam Sueviæ oppidum, nunc Bavariæ adjunctum hæc Deiparæ Sacra Imago colitur in amœniſſimo ſitu, horæ quadrans totius itineris viam conficit jucundiſſimâ ambulatione. Sacellum muratum antiquiſſimi operis eſt, iniquitate tamen vicinorum atque à verâ fide alienorum factum eſt, ut de eius origine nihil ſcriptum ſuperſit, id ſolum habetur, quod circa annum milleſimum quadringenteſimum nonageſimum quartum accurſu vicinorum fuerit celeberrimum, quem utique beneficia obtenta ut ſolet acciverunt, quo Collegiatæ Eccleſiæ Wiſenſteigianæ fuit unitum. Id memoratu dignum eſt, quod cùm Comes Helfenſteinius Vdalricus anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſexto ad Lutheranos magnę familię probro deceſiſſet, etiam hoc Sacellum, quia in ipſius fundo ſitum tantiſper ad Hæreticos delapſum fuerit, dum ipſe anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, ad veram Fidem iterum reverſus, iterum hoc quoque Deiparæ Sacellum in poteſtatem Catholicorum devenerit. Hodie undique è vicinia accurritur, celebratúrque pius animi ſenſus, quo hîc perfruuntur, qui hîc loci Deiparæ ſua deſideria ſuáſque ſeu animi, ſeu corporis neceſſitates fidenter exponunt, quoſque Deipara non parùm contentos conſolatóſque à ſe dimittit, ita ut unicum miſerorum aſylum illis in terris dici poſſit. Nec (ut ad me fideli manu ſcriptum pervenit) abnuerent multi è Lutheranis nominari beneficiorum acceptorum teſtes, ſi per dominum Hæreticum liceret, cui ſubſunt. Certè munera annuatim afferunt teſtantia affectum, quem erga Deiparam nunc gerunt, quidque facturi eſſent, ſi antiqua Fidei Catholicæ felicitas eas in terras exactâ hæreſi rediret, quod ſuo tempore futurum omnes boni unà mecum optant, deſiderant, ſperant.

MCXLI.

Imago B. V. Miraculoſa.
DADINGANA.
Dadingæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Munda ac Alma Vitis vita germen paro.*

1. Antiquitas veneranda.
2. Bellorum & Hæreſeos fructus.
3. Vetuſtas renovata.

DAdinganum pagum longè lateque per Bavariam Inferiorem glorioſum fecit Deipara ab immemoriali tempore: quis enim Templum illud parvum Deiparæ ædificârit, ignotum hodie eſt, chartis bello & incendio abſumptis. Pereuntibus documentis, non tamen perijt Majorum antiqua pietas, in ipſis nepotibus ſive renovata ſive renata, certè beneficia Deiparæ tanta fuêre, ut ex congeſtis oblationibus Templum antiquum in ampliorem & venuſtiorem formam ſit exædificatum. Ita quoque hodie cùm Templo aucta pietas creſcit, & adhuc majora promittit. Sexaginta & ampliùs miraculoſas curationes à paucis annis factas legi, ſed quia nullâ exoticâ ſingularitate ſunt conſpicuæ, omitto. Antiquitas.

MCXLII.

Imago B. V. Miraculoſa.
AUXILIATRIX.
Oſterhofij in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Per Agni dona mirè tuta, evaſi maculam.*

1. Votum ſubditorum fidelium.
2. Pagus miraculosè ſecurus.
3. Voto ſoluto reſpondet B.V.

OSterhofienſe perantiquum Cœnobium in Bavaria Ordinis Præmonſtr. Beatiſſimæ Virginis venuſtum Templum habet extra ſepta Monaſterij, in quo Deipara cultum accipit extraordinarium, ſub titulo Auxiliatricis. Huic pietati dedêre occaſionem milites Suecici, qui anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo ſecundo furioſâ tyrannide Bavariam tranſiêre. Periculum ab ijs imminebat Cœnobio & ſubjacenti pago; poſtquam omnis penè vicinia flammis data, cineribus ſuis ſepulta eſt. Votum.

Timuêre idem præter omnes alios duo dicti Cœnobij fideles ſubditi: hi votum fecêre ædificandi Templi è collectis eleemoſynis, ſi tutus ab igne pagus cum Cœnobio, in hac militari tem-

peſtate evaderet. Et evaſit ſanè, ne unâ quidem domo accenſâ, mirante tota viciniâ. Voti rei collegêre eleemoſynas, quibus ſuam quoque partem Abbas adjunxit, & brevi elegans ſtetit Templum, in quo Deipara quàm pientiſſimè à vicinis colitur, & benefica eſſe non deſinit, quia tamen miracula approbata non ſunt, ea omitto. Ex Authentico ad me miſſo.

MCXLIII.

Imago B. V. Miraculoſa. EREMITANA. *Teüſingæ in Germania Sup.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Magna Oliva pacis Mater & jure munda.*

1. Puſillanimitas petentium.

2. B.V. plus dat, quàm petitur.

3. Sanctorum Sacramentorum deſiderium.

EREmitana vocatur hæc Deipara miraculoſa Imago, cujus venuſtum Templum in pago Teüſingano per omnem viciniam in veneratione eſt. Cauſa tituli eſt, quia ad figuram formámque illius Templi eſt ædificatum, quod à Sancto Menrado olim factum & habitatum eſt in Helvetia, ut ſuo loco dixi, quódque hodie ditiſſimo & celeberrimo Monaſterio Sancti Benedicti eſt inſigne. Hujus, de quo loquor, origo eſt hæc. Hæreſis. Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo tertio Nobilis Dominus Nicaſius Otto Henricus Magenſreitter pagi Dominus cum conjuge peregrinationem inſtituit in Helvetiam ad Deiparam Eremitanam.

In Urbe Tigurenſi Hæretica conjux in morbum lapſa eſt, quem mors paulò pôſt ſequi debebat. Maritus voto concepto Deiparæ templum promiſit, Eremitano ſecundum omnes menſuras æquale, ſi conjugem vivam in Catholicas terras deduceret, ut Sanctis Sacramentis Catholico ritu munita obiret. Nam viro in paucis pio, in mentem non venit, petere conjugi vitam longiorem, ratus, ſatis fore miraculo & templo dignum, ſi vita uſq; ad Sanctorum Sacramentorum dignam ſuſceptionem prolongaretur. Ita nempe malis preſſi, animo cadimus, ut non omnia, quæ optamus, petere etiam à Superis audeamus. Vix emiſſo voto moribunda ad ſe redijt, & evaneſcente quamprimùm omni malo, ſana & ſalva in Bavariam redijt.

Templum è veſtigio ex voto ædificatum, Deiparam ad plurima miracula invitavit. Legi quamplurima lectu & fide digna, & ea maximè obſervavi, quæ infantibus vario caſu vel mortuis vel certè morti vicinis vitam reſtituerunt, quia tamen approbata nondum ſunt à Vicario, omitto. Ex Authentico ad me miſſo.

MCXLIV.

MCXLIV.

Imago B. V. Miraculoſa. AVE MARIA.

Deggingæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Eva è macula prægrandi tota immunis.*

1. Ave Maria.
2. Converſio Comitis.
3. Hæreſis.

DEgginga olim Sueviç pagus Dominum habuit Illuſtriſſimum Comitem de Helfenſtein nunc ad Bavariam pertinet & Sereniſſimo Electori ſubeſt. Non longè hinc in amœniſſimo colle eſt Sacellum Deiparę, de quo non niſi omnia bona pius lector cogitare poteſt ob titulum, quem priorib⁹ ſęculis huic Deiparę Imagini dedêre, cujus originem uti q; ſingularem magno noſtro bono haberemus, niſi nobis eam hęreſis Lutherana incidiſſet. Jam ante plura ſæcula honoribus auctum fuiſſe locum & antiquitas fabricę loquitur & pia conſtánſque traditio. Cæterùm & hoc Sacellum uti *Dozburgenſe*, de quo ſuo loco fortunam ſubijt iniquam. Etenim Comes Udalricus Helfenſteinius loci Dñs cum à vera fide tranſiret ad falſam anno 1556. etiam hoc Sacellum mutare religionem debuit & ſuperſtitioni ſervire, ſed quia ingenua mens Comitis novitate nugarum decepta, poſt decennium elapſum an n. 11. id eſt, 1567. iterum ad veram fidei lucem redijt, unà cum hero hoc quoq; Sacellum, iterúmque Deipara cultum ſuum accepit, hodiéq; accipit magno piorum lucro, quos Deipara nunquam ſine ſingulari ſolatio, frequenter miraculoſo beneficio ditatos domum remittit. Titulum de *Ave Maria* habet nec alio unquam nomine, quod ſciam inclaruit: hinc Salutationis Angelicæ tantus uſus tantáq; per omnem viciniam ęſtimatio. Dolebit unà mecum pius lector, quod tituli hujus extraordinarij, & utiq; non ſine cauſa relatu digna loco huic à majoribus impoſiti originem rationémq; afferre nequeam. Ex miraculis ad me nullum perſcriptum eſt, ſive quia ab Ordinario approbata nondum ſunt, ſive quia etiam noſtrorum temporum homines negligentiâ ſuâ non carent, quorum operâ notari debuiſſent.

MCXLV.

Imago B. V. Miraculoſa. NEOPURANA.

Neopuræ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Ex ſumma via lactea merito dignapura.*

1. Exempli vis.
2. Privilegium nobilitatis.
3. Roſarij Congregatio.

INter alia Nobilitatis privilegia id minimum non eſt, quod exemplo bono ſi præeant ſubditos, facilè habent ſequaces, qui n quòd etiam ſuperos habent faventes & in ſua vota pronos, magno ſuo ſuorúmque bono. Templum Deiparæ Neopuranum Parochiali Eccleſiæ incorporatum, opus eſt Nobilium Equitum de Turre, quibus tunc oppidum Neopuranum parebat, quo anno ſit ædificatum dotatúmque ad noſtram memoriam non pervenit, id habetur anno 1474. per Caſparum, anno 1517. per Wolffgangum, de Turca obtentas ex Vrbe indulgentias. Non exiguo argumento magni conatus, quo hæc nobilis familia in divina ferebatur.

Nec defuit Deipara more ſuo quin miraculis honores ſibi exhibitas compenſaret; certè anno 1519. 22. Junij, liber miraculorum quo quamplurimæ centuriæ continebantur, ab Ordinario Salisburgenſi approbatus eſt, mandatum inſuper ut è cathedra populo legerentur. Magnus accurſus peregrinorum hodiéque eſt, maximè poſtquam anno 1630. Congregatio ſanctiſſimi Roſarij introducta eſt, cujus pietatem fructúmque numeroſiſſimæ ſupplicationes demonſtrant. Feſtum Immaculatæ Conceptionis præcipuum eſt, quo quantus ſit in Virginem incolarum affectus, apparet non ſine admiratione eorum, quos itinera ſua huc deferunt; ſed nec miraculorum quoque finis, in dies indicantur & inſcribuntur, Deiparæ miraculoſa beneficia, quorum aliqua ad me perſcripta ſunt, quæ tamen quia raritate non eminent, more meo, ne lectori faſtidium creem, omitto.

M C X L V I.

Imago B. V. Miraculoſa.
REIHEBERGENSIS.
Reihebergæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Laus Deo, Mater agni mei, una pura micat.*

1. S. Maria ad nives.
2. Pij intelligunt cæleſtia.
3. Prompta pietas placet B. V.

ORigo templi Reihebergenſis omnino ſingularis eſt, nam ut ſenes è majore traditione habent, ante ducentos annos ipſo Feſto S. Mariæ Magdalenæ nix cecidit per omnem latè viciniam copioſiſſima. Quo tempore id animadverſum eſt, quòd ſpacium aliquod terræ illæſum, & nullâ nive tactum permanſerit, eâ prorſus magnitudine & ſpacij amplitudine, quam mediocre templum requireret.

Intellexêre vicini Deiparę, cui erant addictiſſimi, voluntatem, & voluntati Virginis extructo templo ſatisfecere. Hæc à majoribus fidâ traditione accepta referũt incolæ. Ita authenticũ ad me miſſum.

MCXLVII.

MCXLVII.

Imago B. V. Miraculoſa.
LAURETANA.
Landiſhuti in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Virginem adora, è ſpina macula tutam.*

1. Tormenta omnino nova,
2. Potio Japonica & Suecica.
3 Mirum Miraculum.

HAbet Bavaria præ cæteris Regionibus multa Deiparæ ſacella ad ſymmetriam Domûs Sanctæ, quæ Laureti colitur ædificata, ſive quia, qui ultimam ichnographiam Sanctæ Domûs fecit, Bavarus fuit R. P. Chriſtophorus Bachamer è Societate JESU, & ibidem pluribus annis Sanctiſſimi Domini noſtri Pœnitentiarius; ſive quia præter magnam erga Virginem pietatem alijs quoque communem, ſingulare quid habent Bavari, quod illos ad omnem Deiparæ cultum facilè trahit. Certè illud quoque ſingulare, dicta Lauretana templa quamprimum pleráque clarere miraculoſis beneficijs, quæ Deipara ſpargit in ſupplices. Lauretă.

Hanc ipſam beneficiorum gratiam, quamquam habeat templum Lauretanum, quod Landiſhuti eſt; initium tamen ejus ſingulare.

Exſtruxit hoc templum nobilis Dominus Fridericus anno 1623. una cum conjuge ſua Salome, olim in ſervitijs Sereniſſimi Archiducis Leopoldi. Is defunctâ uxore Romam abijt, ibíque perſunctus requiſitis Theologiæ ſtudijs ſacerdotio initiatus, peregrinationem ſuſcepit: quâ quàm pientiſſimè peractâ, ſanus ſalvúſque in Patriam redijt, ordinem RR. PP. Capucinorum ingreſſus eſt ex Friderico factus Honorius, hoc enim nomen ſuſceptit. Vixit multis annis, & tandem vitam religioſam religioſâ morte concluſit: hanc felicem rerum ſeriem Deipara ſuo Architecto largita eſt. Peregrinatio.

Ex plurimis miraculis, quæ in authentico ad me miſſo mecum habeo, illud præter alia rarum eſt. Tempore furoris ſuecici nobilis Dominus Franciſcus Khern captus, è clavo ſuſpenſus ſuecicam potionem accepit. Hanc torturæ formam dæmones è Japonia huc tulêre, appoſito & immerſo ori infundibulo, cogitur miſer tantum aquæ bibere, ut tympani inſtar venter inflетur, eandémque aquam calcibus impactis, vel alio modo iterum per os, oculos, nares ita atrociter extrudunt, ut tormentum quâvis morte durius aſſerant, qui experti ſunt. A Duce militiæ ſuecicæ Judæo venditus ità catenatus abductus eſt: ſed Invocatâ Deiparâ, à dormiente Judæo ſe facilè liberavit. Fugitivus & inermis in duos ſuecos incidit, & tantùm non gladio mactatus eſt ab uno; quem tamen alter dehortatus eſt. Interea non niſi Deiparam Lauretanam mente voluens, Tyrannis Tyranni

in

in quinque alios incidit, quos ut fugeret, in flumen ſe dedit præcipitem: quem illi projectis lapidibus perſecuti natantem ſunt: unus certè pilam quampiam acubus, echini inſtar fartam, in eum conjecit, tetigítque in collo, in quo quinque acus hæſêre, dum per inſtrumenta à chirurgo eximerentur. Hanc liberationem huic Deiparæ, hic loci adſcripſit sequè hic ſtitit, & omnia hæc litteris conſignavit.

M C. X L V I I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE CRYPTA.
Tölzij in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Verùm Dei agnum intacta à malo paries.*

1. E cæmiterio Templum.

2. Domus ope B. V. incendio liberata.

3. Proficua miraculi promulgatio.

HÆc Deiparæ Statua in oppido Tölz in templo parochiali jam dudum ſtetit & culta eſt; non tamen ijs honoribus, quos miraculoſis exhibemus; cùm nulla inveniam miracula. Anno 1631. inducta in oppidum Congregatio Roſarij, ſacellum poſtulabat particulare. Commodum omnibus viſum eſt cæmiterium more gentis templo annexum, quod majores in ſacelli capacis formam ædificârunt, exportatis itáque oſſibus & calvarijs in alium non incommodum locum, receptaculum hoc oſſuariū in venuſtiſſimi ſacelli formam eſt accomodatum, & hæc Deiparæ ſtatua non ſine ſolennitate hic collocata, initium roſario & beneficijs datura. Quod factum anno 1634. 28. Febr. quo die exortum incendium toti oppido minabatur certum interitum. Praxator cereviſiarius jamjam proximus flammæ ſua, ut potuit, ſubtraxit; ſcyphum argenteum inter cætera flammis erepturus, an non meliùs, inquit, Deiparæ dare pro domus incolumitate? itaque voto quamprimum facto, voti more ſe reum vidit: ſiquidem flamma ſe à devotâ Virgini domo avertit. Ille felicitate ſuâ alijs alijsque denarratâ, plures ad vota flexit. Ita ſaluata magna oppidi pars nomen fecit huic S. Statuæ: quæ deinceps auguſtius culta, inſignia patravit miracula: quæ tamē, quia adhuc Ordinarij approbatione carent, omitto: quamquam ea penes me habeam; præter unum, quod ritè à Sereniſſimo & Rev^mo^. Principe Alberto Sigiſmundo Epiſcopo Friſingenſi approbatum eſt, quo puella ab infantia omnibus membris miſerè capta, facto huc voto coràm altari repentè valetudini integerrimè eſt reſtituta.

MCXLIX.

Imago B. V. Miraculoſa. CONSOLATRIX AFFLICTORUM. *Meſsinæ in Sicilia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Virgo antea immaculata, en paris Deum.*

1. Infelicitas cadaverum.
2. Labores felicitati.
3. Veſpillones B. V. accepti.

Extra Vrbem Meſſinam in vaſto littore plurimi habitant opifices, de tribu paupertina omnes, qui victum quærunt. Horum aliqui anno 1617. cogitationem ſuſcepere confraternitatis cogendæ, in quam nemo ſuſciperetur, qui nō ea facere vellet, quæ dicta Congregatio imperaret. Origo hujus Congregationis hæc eſt. Jacebant paſſim per omne littus cadavera pauperum, qui mortem ſine tecto & lecto obierant, quæque undis erant propila: ſic enim à mari ejecta in arenam, iterum à redeuntibus undis recepta, deportabantur ad multa ſtadia in mare, iterúmque ad litus per decumanas undas provoluta explicabantur in arena: nullo invento, qui miſeris Chriſtianam impenderet ſepulturam; dum his opificibus pauperibus è cælo injecta eſt cogitatio fundandæ Confraternitatis. Congregatio.

Placuit paucorum conſilium omnibus, & intra paucos menſes annuente Epiſcopo ſtetit oratorium non invenuſtum, Deiparæ dedicandum. Sed quæ pictura, quis titulus Virgini placeret, cùm diſquirerent, in varias itum eſt ſententias. Jámque concluſum erat, ſcribendos in ſchedulis titulos in urnam mittendos eſſe, & ex ijs unum extrahendum, adeóque piæ ſorti relinquendum judicium; cùm ſupervenit quiſpiam ex Vrbe Neapolitana, qui cunctantes ſic affatus eſt: ut video, ò viri! de titulo ſoliciti eſtis. Non bene Virginem ſine ſepulchro pingetis, qui veſpillonum officium facturi eſtis: videte, quam in pectore geſto, Imaginem Deiparæ ad ſepulchrum, quæ hodie Neapoli infinitis miraculis coruſcat, & de conſolatione afflictorum nomen habet: videte, quid agatis, Virgini acceptiorem titulum non invenietis. Dixit ille, & viam ſuam relegit. Sortes.

Placuit fratribus conſilium, in tempore divinitus miſſum. Datus hic titulus eſt S. Imagini ad eam formam depictę. Porrò ſepeliendis mortuis ad honorem Deiparæ datum adeò felix initium eſt, ut cives in ſumptus neceſſarios certatim porrigerent auxilia.

Si miraculum petitur ab hac S. Imagine patratum, inter plurima hoc primum narratur, quòd, cùm antè hi opifices vix panem diurnis nocturníſque conatibus lucrarentur, & tantùm non fame perirent, poſtquam hoc pium opus ſepeliendi mortuos ſuſceperunt, Deipara ita eorum conatus laboréſque felicitavit, ut paulò pòſt ad congruentes ſtatui ſuo divitias perve- Opifices.

 nerint,

nerint, meliúsque domi habuerint, quàm multi, quos Meſſina alit opifices; etiamſi hoc in opere ſepeliendi mortuos plurimum temporis ſubtrahant neceſſarijs laboribus domeſticis: Reverendus Pater Placidus Samperius l. 4. c. 6.

M C L.

Imago B. V. Miraculoſa.
LAURETANA.
Meſſinæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Adam & Evam in macula purè ignorâſti.*

1. Statua Lauretanæ ſimilis.
2. Remora miraculorum.
3. Curatorum negligentia.

DUobus ab Vrbe milliaribus italicis templum eſt in colle ad torrentem Bozzeta, in quo Statua colitur ad formam Lauretanæ ſculpta; ſive ut credo ab ipſo usque Laureto huc à pio quopiam Virginis cultore allata, miraculis clara: & quanquam Auctor nullum in ſpecie memoret, memorat tamen, Feſtum. feſtum ſolenniter annuatim, celebrari Dominicâ infra Nativitatem B. Virginis.

Atque ut hîc diſertè eloquar, quod ſentio, ſalvo tamen ſemper meliore judicio. Tantæ ſunt omnes Lauretanæ effigies efficaciæ, ſi ad illius veræ ſimilitudinem ſculptæ ſunt, ut ſi publico, decorè & ritè exponantur, miraculoſa beneficia opererentur. Quod ſi non fiat, nunquam erit difficile, rimari & in venire cauſam, quæ tantos & ordinarios favores remoretur. Miracula. Inter præcipuas & frequentiores erit curatorum avaritia, qui oblata in alios, & quod pejus eſt in proprios uſus applicant; vel notabilis fidei, ſpei, devotionis, in curatoribus defectus: de quibus impedimentis alibi fuſiùs ſcripſi. R. P. Samperius l. 5. c. 17.

M C L I.

Imago B. V. Miraculoſa.
ALLERSTORFFIAÑA.
Allerſtorffij in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratia plena, Dominus tecum.
Anagr. *Magna Deipara, unicè tuta è morſu mali.*

1. S. Henrici Imp. liberalitas.
2. Multorum filiorum pater.
3. Torneamenta antiqua.

REvixit ſæculo priore jam pridem mortua pietas in hanc ſacram Deiparæ Statuam, ſi tamen unquam in omnium cordibus extincta eſt. Præter nudam traditionem nihil unquam reperi; epotuiſ quanquam ſæpe cum magno animi mei ſenſu locum hunc ſacrum viſitaverim. Templum hoc pulcherrimum collem occupat, è quo omnis latè planities jucundiſ-

ſimo

ſimo proſpectu cernitur ex una parte quadrantis unius itinere habet Urbem Abenſpergam antiquiſſimam, ex altera pari intervallo Monaſterium Biburgenſe olim Ordinis Sancti Benedicti, hodie Societatis JESU, in quo, pauci, qui degunt, Patres ſacri loci curam habent.

Babo. Primam primi Sacelli originem ad uſque tempora magni Babonis Comitis Abenſpergenſis deducunt: nam quis ultra poſſit? vixit is temporibus S. Henrici Imperatoris & Ducis Bavariæ, Heros, quin & Gigas: nam juſtam viri ſtaturam, quæ nunc eſt, duobus ferè pedibus exceſſit, ut menſuræ antiquæ demonſtrant, pendéntq; ni fallor etiamnum è tholo templi ejus calcaria majora, quàm hodie cujuſvis viri pedem ſtringere poſſint.

Filij. Quadraginta omnino liberos, duę conjuges ei pepererunt, quos omnes ſimul vivos valentéſq; in paterna domo vixiſſe tradunt, triginta duos filios, filiáſque octo. Fuit cùm dietam imperij celebraret Ratiſponę Imperator, néve propter inutiles impenſas negotia moram paterentur, ſeverà lege inhibuit, ne Comitum ullus pluribus, quàm duobus ſervulis comitatus Urbem ingrederetur; reliqui minoris Nobilitatis uno contenti eſſent. Lex. Hæc Germaniæ modeſtia fuit, cùm adhuc aurea ſæcula eſſent; quanquam & annonæ caritatem in cauſa fuiſſe Hiſtorici memorent. Hic Comes Babo ingenti pompâ Urbem ingreſſus Imperatori bilem movit, qui tam numeroſo equitatu (nam & ſervos ad unum omnes equis imposuerat) latam à ſe legem non tā ſperneret, quàm conculcaret. Nec mora, vocatum Babonem ſpretę legis rationem reddere jubet. Imperat. Is, & legem ſe ſcire, & obſervare ingenuè dixit: ſe unà cum triginta duobus filijs, qui omnes Comites eſſent, ad comitia veniſſe: neminem eorum plures duobus ſervis attuliſſe.

Delectatus hac excuſatione S. Imperator, omnes videre, & perhumaniter ſalutare voluit: & quia Parentis quantumvis amplæ opes omnibus ſufficere non poterant ad Comitis dignitatem ſuſtinendam, Imperator cuique feudum Imperij attribuit, quod juſtum Comitis titulum etiam ad poſteros deducere poſſet. Sed mutatione temporum factum eſt, ut hodie paucę è familijs ſciri queant, quę ortum ſuum à Babone deducere poſſint; non aliam ob cauſam, quàm quòd dominia illa ab Hiſtoricis nominata non ſunt, à quibus gentilitia nomina hi filij accepere, relictâ origine ſuâ Abenſpergenſi.

Cæterùm ex hac proſapia viri bellicoſi & magnanimi prodière quamplurimi, quin eorum unus inter Sanctos relatus eſt, poſtquam vitam monaſticam ſancto fine clauſit, ut ſuo loco dixi. Proſapia. Nobilis arx Babonis fortiſſimis muris munitiſſima, quam ipſe non ſemel vidi, in noſtra uſque tempora, utcunque integra permanſit multis antiquitatibus inſignis & viſenda picturis, præſertim duabus amplam aulam im-

plentibus, quarum una refert antiquam Imperatoris Sancti majeſtatem, quà his triginta duobus heroibus totidem dominia tribuit feudi loco: altera, quâ ſolenne torneamentum refertur, ad quod è tota Bavaria, Saxonia, Suevia, & Franconia convenerant familiæ, quotquot juſtę Nobilitatis titulo in arenam procedere poterant. Cætera prætereo antiquitatis pulcherrimæ monumenta, quæ omnia furor Suecicus circa annum 1632. deſtruxit.

Tornea-mentum.

Ad Magnum Babonem redeo, qui creditur hoc Deiparæ Sacellum conſtruxiſſe, juſtâ quadrantis ambulatione ab Urbe ſua Abenſpergenſi; ſi tamen & ipſe à parentibus ſuis unà cum pietate hoc Sacellum non accepit. Priore ſæculo præter collapſam pietatem ſolum Sacellum ſuperfuit, & ipſum paulò pôſt vetuſtate ſuâ collapſurum. Vetuit hoc Reverendus Pater Antonius Welſer, magni Vir nominis & ultimâ ætate Provincialis. Is cùm Collegium Societatis Ingolſtadienſe regeret, templum, quod hodie ſtat ſatis amplum, à fundamentis erexit: unde quam primùm populi concurſu revixit antiqua pietas, & locus miraculis clarus evaſit. Feſtis Deiparæ præſertim Annunciationis tantus confitentium & communicantium numerus eſt, ut plures Patres è Collegio Ingolſtadienſi Biburgum evocandi ſint, qui peregrinis aures præbeant. Adjungo, quod olim ipſe ego ab accolis & à noſtris Patribus confirmatum audivi, agrum vicinum, cujus omne frumentum pauperibus cedit in eleemoſynam, nunquam non fertilem eſſe, etiam quando omnem viciniam grando aut pruina vaſtet: quin licèt Feſto Annunciationis Beatiſſimæ Virginis, à maximo concurſu populi ager ita conculcetur, ut viæ publicæ ſimilior ſit, quàm agro ſeminato, tamen nihil unquam perdat de ſua fertilitate, quam rem vicini omnes pro miraculo habent. Hæc habui, quæ de hoc ſacro loco ſcriberem.

Templũ.

Ager.

MCLII.

Imago B. V. Miraculoſa.
LAURETANA.
Elvaci in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *A communi lapſu Adæ jurate integram.*
1. Favor Cœli.
2. Miraculum lingua inſolitum.
3 Populus in pietatem pronus.

Templum Deiparæ Lauretanæ, quod juxta Urbem Elvacenſem viſitatur, originem ſuam habet, à duobus Societatis JESU Sacerdotibus. Habuit Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus Joannes Jacobus Sacri Romani Imperij Princeps & Præpoſitus Elvacenſis Confeſ-

ſarium

ſarium è Societate JESU unà cum ſocio ſecum in aula pluribus annis Reverendum Patrem Thomam Anreitter, & Reverendum Patrem Joannem Heſelin, viros mariano amore flagrantes, & mihi olim notos. His jam dudum mens erat ædificandi alicubi ſacelli Lauretani.

Aula.

Piam cogitationem fortunavit Auguſtus menſis Anni milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi octavi, quo unà cum Secretario Principis ambulatione inſtitutâ devenêre in montem venuſtum, quem ideo majores hoc nomine indigitârunt, quòd tam ſuâ quàm proſpectûs amœnitate omnem reliquam viciniam ſuperat. Placuit locus, decretúmque, ut poſtera die menſis decimâ tertiâ è pinu crux fieret inculta & ſine artificis manu. Ita poſtridie in pinu foramine trajectus eſt incultus arboris ramus; infrà foramen breve exciſum, quod impoſitum B. Virginis digitalem Statuam caperet, & ab injurijs Cœli defenderet, adſcripto titulo Beatæ Virgini Lauretanæ. Locus inſuper exciſis vicinis arbuſculis, impactis terræ, ita cinctus, ut vel modicè peritis latitudinem & longitudinem ædis Lauretanæ portenderet. Ita inter pia vota die illo diſceſſum eſt, eventum expectantibus qui hæc futuræ pietatis fundamenta jecerunt.

Deſiderium.

Quamprimum fuêre, qui novum factum non tantùm mirarentur, ſed quia templi deſiderium ex circumjectis arbuſculis viderunt, etiam injectâ ad pedes S. Statuæ pecuniâ probarent. Fecêre huc febri laborantes vota, & votis reſpondit optata ſanitas. Hinc fama accurſum auxit per hyemem, ut feſto S. Matthiæ anno ſequente integræ paganorum vicinorum ſupplicationes locum honorarent, non ſine muneribus eorum, qui ſe exauditos teſtabantur.

Fama.

Inchoatam pietatem auxit Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus Princeps donatione fundi; & Patres ſtructo ex aſſeribus ſacello; quod vigeſimo primo Martij inchoatum, & tertiò pòſt die abſolutum eſt in quo vigeſimo quinto ejuſdem menſis, primùm litaniæ Lauretanæ cantatæ: juvat enim ſcire magnarum rerum parva principia. Major ſolennitas fuit, quando vigeſimo ſexto Aprilis ejuſdem anni milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi noni obtentâ à Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo Principe Henrico Epiſcopo Auguſtano licencentia, primum ſacrum cantatum eſt in altari portatili.

Litaniæ.

Ex eo die miris modis auctus peregrinorum accurſus, etiam Patres in Confeſſionali fatigare cæperunt, gaudentes de tam felici deſideriorum ſuorum progreſſu. Nàm vigeſimo quarto Junij Feſto S. Joannis Baptiſtæ duraturæ fabricæ primus lapis inter ſolennes concentus in fundamenta eſt abjectus, inter pluvias; quas tamen memorando exemplo nemo è tanto populo vel impoſito capiti pileo vitavit. Non defuerunt,

Miracul.

qui illo die acceptâ ſanitate publicam lætitiam auxêre. Et quia nunquam pecunia defuit, in octavum Septembris indicta eſt dedicatio ſolennis jam finiti ſacelli Lauretani, quã Epiſcopus Adramitenus, tunc Vicarius Epiſcopatûs Auguſtani, publicâ omnium lætitiâ ſolenniſſimè peregit.

Ut poſitio primi lapidis diem habuit pluvium, ita dies dedicationis ſereniſſimum nacta eſt; ſi nubem unicam & lucidam excipias, quæ, dum ſacra pera gerentur, ſacello umbram fecit, & cuivis materiam præbuit augurandi futuros Deiparæ favores, quos eodem die multi ſunt experti. Auctâ poſtea pietate in magnificam formam, quæ hodie videtur, excrevit.

Umbra.

Miracula anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo ſecundo juſto examine approbata ſunt, & ex omnibus rariora ſexaginta quatuor impreſſa. Ex omnibus unum appono.

Miraculũ.

Miles vigilia Sancti Matthiæ de Confeſſione facienda cogitationem ſuſcepit, quam integro biennio prætermiſit: quapropter templum ingreſſus parare ſe cœpit, & peccatorum recordari. Optimum tamen propoſitum diſturbârunt militares nuptiæ poſt triduum futuræ, quæ ejus præſentiam exigebant. Fruſtra eſt, inquit, Confeſſio, quam lætitia nuptialis tam propè ſequitur; una alteram deſtruit: aut enim ſerius Confeſſionis dolor, gaudia nuptiarum impediet; aut hæc jam mente percepta illum. Itaque templo egreſſus, in meliora tempora Confeſſionem diſtulit. Ita nempe nunquam non eſt, quod humanam mentem à bono arceat. Reverſus domum ſalvus & ſanus obdormivit, & in ſomno ſibi viſus eſt ab accedente ſacerdote S. Communionem ſuſcipere, ad quam ſe genibus flexis, ut ſibi videbatur, quàm pientiſſimè præparaverat. Inde evigilans tanto horrore correptus eſt, ut ex animis aliquandiu jaceret, niſi quòd inconditis ronchis ſe vivum probaret. Toto etiam corpore intumuit, beſtiæ ſimilior quàm homini.

Interea advocata uxor hæretica, viri malo indoluit, & voto ſe obſtrinxit, credituram ſe cum Catholicis, ſi viro ſanitas rediret. Rediit ille quamprimum ad mentem; erepto tamen omni linguæ uſu prorſus obmutuit: cùm ei Divina Elvacenſis jam miraculis clara in mentem venit itáque triduo poſt 7. Martij 1662. Elvaci in templo Lauretano ſe ſtitit, peccata duorum annorum, ut multi ſolent, confeſſus, & Communione refectus eſt, hunc prę̨ter conſcient am expunctã peregrinationis fructum reportans, quòd Mariæ nomen quàm diſtinctiſſimè pronunciare poſſet. Factum ſatis Georgio, non tamen uxori Magdalenæ, quæ perfectam Marito loquelã optabat, nec aliter ſe voti ream agnoſcebat. Et ſanè rediit pleno miraculo poſt paucos dies perfectiſſimus linguæ uſus non ſucceſſivis linguæ experimentis,

Converſio.

Ave Maria. tis, ſed momento; & ut miraculum pluribus ad pietatem prodeſſet, eo tempore, quo ad campanæ pulſum in genua provolutus Virginem conſuetâ formâ ter ſalutavit; ut poſteri ſcirent ea præcipuè tempora recipiendis miraculoſis gratijs oportuna, quibus Virginem Angeli verbis ſalutamus. Recepto linguæ uſu quamprimum cum uxore iterum Elvacenſem ædem viſitavit, omnia præſentibus teſtibus ritè edixit, & Magdalena uxor voti ſui rea, ad fidē catholicam totâ mente acceſſit, ibidem rite factâ confeſſione, & S. Communione receptâ. Ex relatione impreſſa.

MCLIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE PIRO. *Vilſhofij in Germania Sup.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Pura ignoravit ſentem maculæ Adami.*

1. Imago arbori appenſa.

2. Populi prona pietas.

3. Fur ſacrilegus.

HOneſtus hujus oppidi civis Deiparæ Paſſavienſi addictiſſimus, ejuſdē formæ atque etiā magnitudinis tabulam pictori locavit, arborémque invenit prope regiam viam, cui futuro vere eam affigeret: nam per hyemem domi ſuæ privatæ pietati commodam, detinuit, maximé etiam ne coloribus nondum bene ſiccatis ſæva hyems noceret. Dominum inſuper arboris precibus permovit, ut eam, quam jam jam exſcindere decreverat, loco ſuo ſtare permitteret: at quia interea vendita cum agro arbor, à novo domino rerum tranſactarum inſcio exciſa ſic eſt, ut vix tertia pars remanſerit: ad pirum reſpexit non procùl inde diſſitam, eámque facilè dono obtinuit: huic S. Tabulam cum conſenſu Eccleſiaſticorum affixit, & ferro firmavit.

Subitò accurſus tranſeuntium facti, primos honores S. Imagini dederunt, inſuper & munera; nam & cerea anathemata filo arbori ſunt alligata, & tabellæ appenſæ; pecuniæ quoque, cùm locus non eſſet, fiſſuris in cortice repertis infixæ, atque etiam inter candelas appenſas repertæ non exiguo pretio, documentum dedêre pietatis, & quia nemine aufferrente diu ita & loco ſuo permansêre, argumento fuêre, quàm reverens in Virginem ſit populus, quámque à furtis alienus; dum unus publicam famam, pietatis manibus violavit, & omnes pecunias abſtulit bis furcâ dignus. Pecunia.

Tum ciſta ferrea Arbori appoſita arcendo furi, in quam adhuc liberaliùs affluxêre pecuniæ: ſiquidem intra breve tempus plures trecentis florenis inventi docuêre, quàm Virgini gratus eſſet locus, quámque miſeris ſalutaris. Fuêre námque qui teſtarentur, gravi ægritudine aut alio quopiam gravi malo ſe liberatos. Vidua defuncti

Vidua. functi mariti, quamprimùm hactenus fideliſſimè ſervatam pecuniam Parocho dedit, qui de conſilio majorum ſacellum ligneum S. Imagini ſtruxit, in quo hodie ab anno 1648. Deipara honoratur votivis ſacris muneribus, & ſupplicationibus. Tabellæ appenſæ teſtantur beneficia; quæ quia approbata nondum ſunt, vulgari adhuc non merentur. Pietas & munificentia tranſeuntium promittit ſuo tempore templum lapideum. Hæc ex authentico ad me miſſo.

MCLIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE CORONA.
Samerij in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Ignoravit Ada culpam, nam Mater JESV.*

1. *Incendium domûs in pœnam.*
2. *Arbor arida floreſcit.*
3. *Sacellum ligneum intra templum.*

DE corona nomen habet hæc miraculoſa Deiparæ Imago, quia Deiparam refert à S. S. S. Trinitate coronatam. Sacellum ligneum eſt, jam ante centum annos Deiparæ dedicatum in aperto campo, neglectum tamen à vicino ruſtico, ita ut per apertas portas etiam pecoribus pateret aditus. Anno 1619. Combuſtâ ruſtici domo proximum fuit, ut & ſacellum hoc vicinum, flammam conciperet: intactum tamen cum omnium ſtupore permanſit.

Arbor. Sine miraculo non ſtetiſſe Sacellum teſtatur arbor pomifera, templo vicina, quæ ignis calore omnino exaruit; altero tamen anno iterum floruit, & poma tulit prioribus non deteriora, imo odore & ſapore Cydonijs pomis paria, eámque ob cauſam ipſi Sereniſſimæ Electrici Eliſabetæ allata Monachium. Paucos poſt annos è congeſtis oblationibus templum ædificatum eſt, & conſuetâ ſolennitate dedicatum. Sacellum porrò ligneum ſuo loco motum non eſt, ſed intra muratum hoc templum ſtat, & à peregrinis viſitatur.

Fuit qui, cùm alij in tanto incendio ſacellum conſervatum mirarentur, diceret, ſi quid boni fuiſſet hoc in ſacello, utique etiam arſurum fuiſſe. Blaſphemia his terris inaudita quàmprimùm à Virgine punita eſt: ſiquidem os impium ad ſiniſtram uſque aurem detortum eſt, nec ullo miraculo ampliùs in ſitum naturalem reſtitutum. Blaſphemus. Ex authentico ad me miſſo, in quo plurima approbata miracula legi: ſed quia ordinarijs non diſſimilia, omitto.

M C L V.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE ITRIA,
Meſſinæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Turris Eva communita in Ada plagam.*

1. Imago muro tecta.
2. Mira Cæcitas curata.
3. Vrbs peſte liberata.

Miraculoſiſſimæ Imaginis hujus, quæ in templo S. Leonardi conſervatur jam á quadringentis annis, Inventionem affero dignam, quæ huic libro inſeratur. Anno 1625. templi parochus vir pius ſimul & doctus, meliorem pulpito locum quæſivit, & concionibus, quas imminens quadrageſima poſcebat, aptiorem. Delecta operi dies eſt prima menſis Februarij, quâ murarius inter primos ictus vidit Imaginem comparere ejus formæ, quâ Odigitria pingi ſolet. Non auſus murum ulterioribus ictibus laceſſere, ipſum murum in examen unà cum advocato paracho vocavit, viditque imaginem non ſimplici cruſta tectam, ſed muro qui medium palmum ſuâ craſſitie æquabat. Murus.

Omnium (nam & alij jam concurrerant) ſententia fuit, amovere ab intacta Imagine non craſſum murum; cùm ſubito comparuit appicta muro Imago venuſta ſimul & perantiqua, quam in actu venerationis tenebant duo Monachi græci canitie ſuâ venerabiles.

Prima & ex omni populo feliciſſima fuit fæmina, quadraginta quatuor annis cæca; quæ, ſimul ac S. Imago comparuit, viſum recepit. Hoc primùm miraculum ſecuta quamplurima ſunt, quæ non tantùm è Sicilia ſed ex ipſa Italia miſeros accivêre, quorum quamplurimi incolumes & malis ſuis liberi rediêre. Ipſa Vrbs Meſſinenſis huic S. Iconi adſcribit, quòd peſtifera lues, quæ omnem tunc Siciliam vaſtabat, jámque ipſam Vrbem timebatur ingreſſura, ſine damno penes Vrbis muros præterierit. Teſtati hoc beneficium ſunt meſſinenſes duobus arcubus, triumphalibus, quos huic S. Imagini erexerunt, in quibus ſic Deiparam loquentem introduxerunt. *Apparui, ut defenderem.* Cæcitas. Arcus.

Centum quadraginta miracula potiora ab Archiepiſcopo Panormitano examinata & approbata ſunt. Hodiéque durat hæc Deiparæ beneficentia, teſtantibus eam donarijs undique appenſis, & pretio ſuo gratiarum præſtitarum & copiam & magnitudinem loquentibus. Ij præſertim inveniunt auxilium, quibus vermium cura eſt, è quibus ſericum habemus. Quos vel unicum tonitru quandóque ita terret, ut omnes moriantur, magno opificum damno. Quapropter Imaginis hujus chartaceum ectypon apponunt, & gratiam Deiparæ experiuntur. Excitati ab inſolenti miraculo: etenim cùm unus hos vermium labo- Bombyces.

ſes Deiparæ commendâſſet appenſâ hac Imagine, non ovum vermes fecerunt, ut ſolent, ſed telam ſex palmos longam tanto artificio, quod vel ipſis textoribus difficile fuiſſet, adjunctis hinc inde ſuis finibus, ut ſolent textores. Tela hæc rite examinata Deiparæ dono data eſt: & quia figurã formamq; vexilli habuit, eam ob causã civitas Meſſinenſis illa verba ſponſæ meritò ſibi applicuit. *Poſuit ſuper me vexillum amor.*

Stephana Mendoza Duciſſa vexillum hoc Reginæ miſit in Hiſpaniam nevè templum exinde damnum pateretur, id pretio ita compenſavit, ut templi cuſtodes hujus commutationis non pænituerit. Pendent è templi parietibus ad hanc formam facta vexilla cum Imagine Deiparæ. Horum unum petijt & obtinuit Dux triremium florentinarum, quæ bonâ ſuâ fortunâ tunc in portu Meſſinenſi hyemabant. Inde mari ſe commiſit, in quo Turcicam navim conſpexit fugientem, quam cum ſequi curſu pari non poſſet, vexillum hoc explicuit, ventóſque in favorem Virginis excivit, quibus triremes ſuæ quamprimum navim Turcicam ſuam fecère ditiſſimâ prædâ gravem. Inde in hodiernum diem Natio Florentina huic S. Imagini devotiſſima eſt. Feſtum ſolenniter celebratur expoſitione Venerabilis Sacramenti & exquiſitâ muſicâ hebdomadibus per annum ſingulis feriâ tertiâ. Porrò feſta annua duo ſunt: primum primo Februarij, ſecundum feriâ tertiâ Pentecoſtes. Reverendus Pater Placidus Samperius. l. 5. c. 30. Miraculum.

M C L V I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE COLUMNA.
Monachij in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Mane viva certè ignorat lapſum Adami.*

1. Cultus B. V. in foro.
2. Sodalitatum B. V. pietas.
3. Spiritus Principalis.

PRiuſquam de ipſa Deiparæ Statua dicam, ſileri non poteſt (ut cætera omnia taceam) monumentum quod in ſacello Oetingano totius Bavariæ antiquiſſimo ſimul ac celeberimo reliquit Sereniſſimus Maximilianus Elector. In eo ſacello curavit ædiculam argenteam affabrè factam magni ponderis, reponendæ prodigioſæ S. Virginis Statuæ. Ædiculæ argenteæ ſubeſt capſella exigua, quam conſulto voluit fieri & ſervari vacuam, donec ipſe aliud ſtatueret. Aliquot annis ante obitum juſſit iſtam ædiculã ad ſe Monachiũ deferri, antequã deferretur ſuo ſanguine exaraverat ſchedam his verbis.

In Manicipium tuum
Me tibi dedico conſecróque
VIRGO MARIA
Hoc teſte cruore atque
Chirographo
MAXIMILIANUS
Peccatorum Coryphæus.

Lon-

Longus eſſem & extra ſcriptionis meæ terminos progrediendum mihi eſſet, ſi Principis hujus pietatem Marianam proſequi vellem, hanc ſatis ſuperque publicè teſtatus eſt duabus inſignibus ſtatuis in quas quamplurima aureorū millia impendit utraque ærea eſt; majorem hemicicio marmareo impoſuit in tutelam & inſigne ornamentum aliàs magnificentiſſimi Palatij, magnitudine ſuâ & arte viſendam.

Alteram inauratam in medio foro præaltæ marmoreæ Colūnæ impoſuit, ut videre tot millia hominum, viderique à tot millibus poſſit. Quatuor Stereobatæ angulos baſis occupant, ſingulæ geniorum cæleſtium præclarę prorſus artis ex ære fuſili effigies quorum primus obtruncat aſpidem, ſecundus configit baſiliſcum, tertius fulminat enſe leonem, quartus confodit draconem. Singulis adſcriptæ ſunt ſuæ partes ex vaticinio regio. *Super Aſpidem & Baſilicum ambulabis & conculcabis Leonem & Draconem.* Invento ingenioſo ad explicandam Virginis potentiam. In clatris marmoreis viſuntur quatuor grandes è metallo fuſiles laternæ facibus nocturno tempore accendendis: legitur in fronte ad orientē Epigraphe.

DEO OPTIMO MAXIMO
VIRGINI DEIPARÆ BOICÆ DOMINÆ
BENIGNISSIMÆ.
PROTECTRICI POTENTISSIMÆ OB
PATRIAM
URBES. EXERCITUS. SEIPSUM. DOMUM.
ET SPES SUAS SERVATA
AB OCCASU
HOC PERENNE AD POSTEROS
MONVMENTVM.
MAXIMILIANVS
COM. PAL. RHEN.
VTRIVSQVE BOIAR. DVX
S. R. I. ARCHIDAPIF. ET ELECTOR
CLIENTVM INFIMVS GRATVS SVPPLEX
POS. M. DC. XXXIIX.

CUltus porrò hujus S. Statuæ magnus eſt, vix videas prætereuntem, qui in obſequium Virginis caput non detegat; quod ſi non fiat, memoriæ lapſus eſt non vitiū. Nulla hoc in foro ho-

MCLVII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE M. SERRATO. *Meſſinæ in Sicilia*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. ***Dulcis amor manè avertit à pia anguem.***

1. Honor merces pietatis.
2. Campana prophetica.
3. Præparatio ad mortem.

EST hoc parvum oratorium Deiparæ dedicatum in platea Florentinorum, ideo ſic dicta, quòd olim eam hæc natio inhabitaret: hodie argentariorum dicitur. Titulum habet, de monte Serrato, cui Petrus de Monfarte Nobilis Meſſinenſis erat apprimè addictus, & à qua fortè obtinuit, ut à Rege Alfonſo Prorex Siciliæ præficeretur. Circa annum 1424. erectum eſt, & licèt olim miraculis Campana. valde claruerit; hodie tamen fervor intepuit.

Vnum tamen miraculum hodieque in ore hominum eſt, quod vicinis præ cæteris utile eſt, qui campanæ ſpontaneo ſono monentur, ſive uni ſive pluribus imminere malũ aliquod, ad quod ſe præparare debeant. Unde audito hoc campanæ ſono nullâ fraude corrupto, parant ſe, qui fidem miraculo habent, confeſſione ad mortem; & non vanam fuiſſe monitionem experiuntur. R. P. Pla. Samperius Soc. JESU l. 5. c. 32.

MCLVIII.

Imago B. V. Miraculoſa. TEGERNSEANA. *Egernæ in Germania Sup.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. ***Eva munda evaſit capturam originalem.***

1. Apoplexia mirè ſanata.
2. Filij in parentem pietas.
3. Miraculum in ſuſcept. SS. Sacram.

TEgernſeanum Antiquiſsimũ S. Benedicti atque opulentum cænobium inter alias parochias ſibi ſubditas etiam *Egernenſem* habet, cujus templum Divo Laurentio ſacrum eſt, in quo Statua Deiparæ eſt miraculis clara. Originem ejus ſive Bellum. antiquitas ſive tumultus bellici nobis iuviderunt, uti etiam miracula: quæ tamen ab ultimo furore ſuecico notata ſunt, penes me habeo. Inter quę illud prę omnibus apponendum judicavi, quòd cum fœmina contigit, quæ bis a poplexiæ gravi ictu decubuit, ut nullum vitæ ſignum diu appareret, inſuper quatuordecim omnino diebus ſine õni prorſus potuciboque miſere vitam tra-

Miraculum. hæret: cùm voto facto eam maritus meliùs habere quamprimum ſenſit; & ipſa non poſt multos dies ſalvam ſe ac ſanam hoc in templo Beatiſſimæ Virgini cum munere ſtitit anno 1657.

Plus utilitatis alterum habet. Ruſticus ſilvam petijt cum filio cæſuræ arborum intentus: cecidit ſanè arbor, ſed incautum hominem tantùm non oppreſſit; ita enim in terram afflixit, ut graviter hinc inde læſus pro exanimi diu jaceret; filius de vita parentis deſperans, id unum in votis habuit, ut pater domi, SS. Votum. Sacramentis munitus dies ſuos Chriſtiano ritu finiret: ſed nemo comparuit, qui ferret auxilium; ſed nec conſultum videbatur redire ad pagum auxilia petitum, relicto parente, & fortè interea expiraturo. Cùm filius invocatâ Deiparâ miſſę ſacrificiũ promiſit. Facto vix voto exanimis pater in pedes ſe erexit, & non ſine omnium admiratione nullo alio auxiliante domum pervenit, ſéque in lecto compoſuit ad SS. Sacramenta accipienda, quæ cum omnium domeſticorum ſingulari admiratione ritu Chriſtiano piè accepit, repentè uſu rationis eſt privatus, & paulò pòſt obijt, cum certa ſalutis ſpe omnium, qui rei præſentes interfuêre. Ita authenticum ad me miſſum.

MCLIX.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE POPULO.
Meſſinæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Eva iſta maculam prima nudè ignorat.*

1. Ruina turris terræmotui æqualis.
2. Imago B. V facit ſtare murum.
3. Renovata tepiditas.

EſSt hæc Deiparæ miraculoſa Imago ſanctæ Dominicæ Virginis & Martyris. Templum perantiquum eſt, neque ejus primordia examinandi locus hîc aut tempus. Imaginis originem refero, ex qua miraculoſa eſſe cæpit. Non multum ab hoc templo fuit murus antiquus, qui olim Meſſinam, dum adhuc minor eſſet, contra hoſtes defendebat: hujus pars magna jam diu fatiſcens in terram corruit, & altam ſecum turrim traxit tanto impetu, ut gravem terræ motum etiam peritis & cordatis referret.

Nemini è concurrente populo dubium fuit, domos quoque Turris vicinas ad unum omnes, obtritas, univerſæ urbi luctum indixiſſe. Sed quæ Dei & Deiparæ Virginis bonitas eſt, nulla omnino ex omnibus fuit, quæ vel leve detrimentum paſſa ſit. Beneficium hoc cives ideo Deiparæ adſcripſerunt, quòd dirutæ turris pars erecta remanſerit, ruinę proximâ ac utique etiam ruitura;

tura, niſi appenſa Deiparæ tabula & ipſa illæſa ſatis teſtata eſſet, cur muri hæc unica pars inter omnes ſola perſtitiſſet. Nemo fuit, qui hanc tabulam ſuam eſſe non vellet, quam tamen nemo jure quopiam ſuam facere poſſet. Itaque ut omnium eſſet, quæ nullius eſſe poterat, conſenſu populi in hoc templum delata eſt, & Confraternitati dono data.

Gravida. Hic poſt primos honores & beneficia, deferbuit primus fervor: at vero ubi fœmina jam octo menſibus gravida ex alto cecidit, jamque ab omnibus pro mortua conclamata, ad invocationem S. Mariæ de populo incolumis & illæſa ſurrexit, redijt omnibus in S. Imaginem prima pietas, & Feſtum annuū inſtitutum ipſo die Viſitationis Deiparæ, & novem diebus ante feſtivitatem Nativitatis Chriſti. Sacellum hoc tabellis votivis refertum docet gratias miraculoſas à Virgine acceptas, Reverendus Pater Plac. Samp. Soc. JESU l. 5. c. 35.

M C L X.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE S. ERASMO.
Meſſinæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plenâ; Dominus tecum.
Anagr. *Paritne JESUM? ita. Ergo munda à macula.*

1. Candelarum abundantia.
2. Renovatio non impedit pietatem.
3. Quartana remedium.

IMago Deiparæ, quæ olim de quatuordecim Auxiliaribus Sanctis nomen habuit, hodie nomen accepit de S. Eraſmo, non aliam ob cauſam, quàm quòd, cùm Nobilis Meſſinenſis verſaretur in periculo maris, votū fecerit hoc oratoriū ornandi, atque voti reus quàm fideliſſime promiſſa ſit executus, hinc velut ſacelli Patronus altaris tabulam, in qua rudi manu Deipara cum quatuordecim illis Sanctis proſtabat, exemerit melioremque repoſuerit, quæ Deiparam cum ſuis quatuor patronis refert, inter quos S. Eraſmus primus eſt. Porrò factum hoc opinione meâ felicius ſucceſſit: nam & pietas hominum non deferbuit, & Deiparæ beneficia è fonte ſuo, ut antè, fluxerunt. Cæterùm & in illa & in hac B. V. de Itria picta eſt. Relatæ ſunt à populo miræ & multæ gratiæ. ſingulariter notatum eſt, ijs opem præ cæteris ferri, qui quartanâ laborant, poſtquam votum cerei, doni, & jejunij in feſto faciunt. Quartana. Mirè pietatem auxit Cappellanus, qui retulit ſibi de media nocte allatas ab incognito ſene candelas, quas altero die ad miſſam accenderet; cum dicto, Candelæ. confideret modò, nunquam candelas defuturas. Illud mirarabilius, quòd cùm tres piſcatores trium navium domini, jam ad piſcationem parati, audiſſent campanæ

ſignum

ſignum ad ſacroſanctum miſſæ ſacrificium, templum intrârunt ac ſacrificio miſſæ interfuerunt, inſuper voto facto Deiparæ ſpoponderunt, certam piſcationis partem. Succeſſit ſanè piſcatio, & duo ex illis promiſſam partem Deiparæ attulêre, ſemper felices, ſemper in exequendis promiſſis fideles, divitias acquiſivere, quas piſcatorum conditio optare poteſt; tertius promiſſi ſeu immemor ſeu negligens, nunquam niſi avarum mare invenit, & ad incitas demum redactus ita eſt, ut mendicato ei vivendum fuerit. R. P. Samperius Placidus Soc. JESU lib. 5. cap. 41.

M C L X I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE CALISPERA.
Meſſinæ in Sicilia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *IESVLUM parit, erga munda animata à luce.*

1. Templum Comitiſſarum.
2. Navis propter Imaginem immota.
3. Titulus mirabilis.

TEmplum hoc circa annum 1254. à tribus comitiſſis ædificatum: ab ijs nomen obtinuit pene ad noſtra tempora, ut templum Comitiſſarum nominaretur. Jucundum lectori erit intelligere, cur templum hodie, & totus vicus *Caliſpera* nominetur voce græcâ, quâ bonam noctem amicis precamur.

Caliſpera. Fuit navis græca, quæ non longè à Siciliæ littore in medio curſu, curſum ſuum ſtitit: & quantumvis plenis velis ventóque proſpero, immobilis hæſit. Solicitus navis Dominus, cùm de remedio cogitaret, Imaginem Deiparæ, quam in navi vel nullo vel exiguo cultu vehebat, in cauſâ eſſe, non vanè auguratus eſt. Illam, inquit, quamprimum in ſcapha ad proximum

Imago. Deiparę templum mittam ad majores honores: fallor, aut navis proſperum, quem antè tenuit, curſum reſumet. Fuêre, qui quamprimum in ſcapha ad hoc Deiparæ templum deſtinatum donum apportarent, tabulámque in altari ſummo reponerent eâ pietate, quâ nautæ, cum pij ſunt, ſolent, obſervante ruſtico æditno atque interrogante ſiculâ linguâ, quod Imagini ſacræ nomen eſſet? illi ignari linguæ, aliud non reſponderunt quàm *Caliſpera*, *Caliſpera*, *Caliſpera*, bonam noctem æditno his verbis precati, & ad ſcapham ſuam properarunt: ut ante ſolis occaſum in navim recepti navigationem proſequerentur, jam à Deipara obtentam.

Æditnus. Æditnus totum vicum his novis implevit, Deiparæ tabulam, cujus titulus eſſet Deipara de *Caliſpera* exhibens, accurſus hominum ad conſpectum tampiæ Imaginis gratiarum obtinendarum ſpem concepit, & ſpe ſua fruſtrati non ſunt, hinc & templum & vicus totus de *Caliſpera* nomen accepit, hodiéque retinet. Templum donarijs

narijs ornatum,&corneratū,nautis præcipuè eſt in veneratione. Feſtum ſolenniſſimè celebratur 8. Septemb. R. P. Plac. Samp. l. 5. c. 42.

M C X I I.

Imago B. V. Miraculoſa. DE GUIDARE. *Meſſinæ in Sicilia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Macula ſive ira Adam tè piàm non urget.*

1. Modus miraculi.
2. Clavus parvus ſed fortis.
3. Miraculum inauditum.

AD Torrentem extra Meſſinam templum Deiparæ eſt antiquiſſimum, & in eo Deiparæ Imago, cui majores linguâ Italicâ titulum dedêre *de Guidare* ſeu de *ducere*: non aliam credo ob cauſam, quàm quòd ad diſtinctionem aliarum eam nollent appellare græcâ voce *Odigitriam*, quæ nomen ſuum inde habet, quòd duos Cæcus. cæcos Deipara duxerit Conſtantinopolim ad ſuum hoc templum, ibíque ijs viſum reſtituerit. Imago hæc in ſumma veneratione nunc eſt: nam & titulo ſuo paria facit miracula, & pares miraculis honores accipit.

Anno 1621. cæcus huc ad luctus ungi ſibi oculos petijt oleo lampadis. Sacellanus bombyce priùs tetigit S. Tabulam, tum oleo intinxit, denique oculos in formam crucis unxit; & momento oculorum uſus perfectiſſimus cæco redditus.

Feſtum. Feſtum celebratur vigeſimo ſecundo Auguſti, pro quo cum pridie Sacellanus conſueto more templum ornâſſet anno 1628. nihilque ſupereſſet, quàm ut ſex quoque lampades continuò ardentes novis lychnis inſtrueret, infelici lapſu è ſcalis cecidit, non ſine gravi nervorum læſione in manu ſiniſtra: dolor in clamores erupit auxilium petentes, quos cum Frater laicus è Societate JESU in proxima vinea audiſſet, accurrit, manum oleo lampadis unxit, & quamprimum ſanavit.

Mirabilius auxilium Deiparæ alteri Sacerdoti obtigit anno 1636. qui cùm etiam pridie feſti, ut ille, de quo dixi, templum ornaret, & ſcalas portatiles viginti duos gradus altas altare aſcendiſſet, ſericum Clavus. tapetem muro affixurus, jámque clavum muro intruſiſſet, tenendo leviſſimo tapeti ſufficientem, cùm ecce ſcalæ polito marmori malè inſiſtentes inclinatæ primùm, deinde etiam in terram lapſæ ſunt, nemine uno præſente, qui in tanto periculo ſuccurreret, ille caſum veritus, clavo nondum bene fixo digitum admovet, ſéque voto ad Virginem facto in aëre tenet, & clamoribus auxilia poſcit: accurrit ſanè vir ruſticus, hominem ita à digito pendentem miratus; tum alios quoque advocat, qui demum ſcalis iterum erectis Sacerdotem ſalvum ac ſanum in terram deduxerunt. Hominem è clavo non magno, quem ſolus digi-

digitus prætendere potuit, tamdiu pependiſſe, nec pondere corporis quidquam paſſum eſſe, inauditum, & novum omnibus miraculum eſt viſum, quapropter dici vix poteſt, quantum pietas incrementum acceperit. R. P. Samperius Soc. JESU ibid.

MCLXXIII.

Imago B. V. Miraculoſa. ANDECENSIS. *In Monte Andex in Germania Sup.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Integra Deum parit nævo immaculata.*

1. Nobilitas Illuſtris & pia.
2. Reliquiæ mirè repertæ.
3. Muſculus ſervit pietati.

Comitum Andecenſium Antiquiſſima ſimul & Nobiliſſima proſapia tanta fuit, ut ex ea prodierint Beati & Sancti tredecim, Patriarcha unus, Archiepiſcopus unus, Epiſcopi tredecim, Religioſi ſeptendecim. Ab hac Illuſtriſſima familia prodiêre fundationes plurimorum monaſteriorum. Unus eorum, Otto, quindecim monaſteria fundavit, præter plurima, quæ reſtauravit, præter illa, inquam, quæ ab alijs hujus proſapiæ fundata ſunt. Ab hac Illuſtriſſima proſapia Cœnobium hoc prima vice fundatum eſt anno 1132. & Ordini S. Benedicti traditum. Mons iſte ſanctus à majoribus appellatus eſt, propter reliquias præſtantiſſimas, quæ in hodiernum diem apud omnes in maximo pretio ſunt, quæque undique plurima peregrinorum millia annuatim attrahunt, ut per vicinas regiones nullus tantæ pietatis locus, ſi Oetingam excipias, reperiri poſſit.

Monaſterium.

Reliquiæ.

Has Divorum reliquias diligentia majorum in templo terræ mandavit eo decore & curâ, ut ab humiditate ſoli nihil detrimenti paterentur. Cauſam præbuêre Hunni barbaro modo omnem latè Bavariam vaſtantes: qui ubi cæſi fugatique ſunt, jam nemo non erat, qui reliquias ſacras iterum optarent, nemo tamen in vivis fuit, qui ſciret, quò eas majores aſportâſſent: dum anno 1388. muſculi miniſterium Deo in re tanta adhibere placuit.

S. Sacrificium miſſæ Sacerdos celebrabat, ſub quo muſculum prodire ex altaris pede vidit, qui ſchedam ore portavit, quiſque neſcio quo ſtrepitu territus, relictâ ſchedâ iterum rediit, unde venerat. Sacerdos inſpectâ poſt ſacrũ ſchedâ, vidit ex ijs unam eſſe, quas SS. reliquijs ex charta pergamena ſolemus adjungere: rem ad ſe delatam Sereniſſimi Principes minimè negligendam rati accurrêre, egeſtáque humo ſacras reliquias olim abſconditas reperêre. Bonifacius IX. Summus Pontifex per literas edoctus, gratulatus eorũ felicitati eſt, eámque communem facturus & publicam, indulgentijs ſacrum montem decoravit.

Principes.

Hoc in loco adeſt Deiparæ miracu-

Imago.

raculoſa Imago, quæ jam à duobus ſæculis, magnis miraculis claret, viginti tria millia notata, & in ſedecim diverſas claſſes ordinatè diſtributa eſſe, ad me authenticè perſcriptum eſt, ab ipſo Reverendiſsimo Ordinis S. Benedicti Montis Andecenſis Abbate Mauro. Feſtum præcipuum die Aſcenſionis celebratur.

MCLXIV.

Imago B. V. Miraculoſa.

TALCHIRCHENSIS.

Monachij in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Aurea ſcala! te non premit jugum Adami.*

1. *Natatus equitis miraculoſus.*
2. *Subditorum in principem amor.*
3. *Bellum Turcicum.*

TAlchirchium pagus eſt unâ non amplius horâ à Metropoli Bavariæ Monachio diſtans, non antiquior ipſo Deiparæ templo, quod originem ſuam accepit ſub annum 1372. Regnabat Stephanus Bavariæ Dux, qui apud Mediolanenſem Vice Comitem, ſuum ſocerum gloriari auſus eſt, eò in ſe animo Bavaros ſuos eſſe, ut in nullius eorum ſinu noctem exigere ſit dubitaturus. (Subditi.) Is cum Auguſtanâ Republicâ colliſus, interium uſque annum bellum geſſit, quo Christianus Fraunbergius acerrimus bellator, ſuperante hoſtium multitudine cum Wilhelmo fratre compulſus ad fugam, ſalutem in pedibus equi ſitam quæſivit, ab eodem delatus ad Iſaram, neceſſariò in litrore deſponſurus animum fuerat, niſi vitandi, (Flumen.) qui à tergo imminebat, hoſtis, vadique aperiendi deſperatio, ultimæ eum ſpei admonuiſſet. Illicò Deiparam inclamans, ſi ejus ope adverſam cum fratre ripam tenuiſſet, beneficij accepti memoriam templo ejus nomini poſito commendaturum ſe poſteritati ſpopondit, votíque damnatus Littoralem Divæ ædem Talchirchianam dictam, familiarem viatoribus, quibus pietas cordi eſt, ſeceſſum ſtatuit, aſcetas etiam qui eam incolerent excolerentque addituros, ſi Patria ad debellandos Turcas Anno 1394. profectum, fortiſsimum virum recepiſſet. Ex Authentico.

MCLXV.

Imago B. V. Miraculoſa. RAMERSTORFFENSIS. *Monachij in Germania Sup.*

Progr. AVE MARIA, gratia plena; Dominus tecum.

Anagr. ***Auri lampas! grandem avi noctem evita.***

1. Judæi factum fidele.

2. Principium peregrinatio.

3. Votum illico exauditum.

DIſtat Ramerſtorffenſe Deiparæ templum Monachio juſta ambulatione horam unam, & ſiquid ſupra eſt, breviorem facit via jucundiſſima inter proceras nimirum Salices utrinque arbores, peregrinum Monacenſem deducens, templum porrò magnum eſt, & antiquâ fabricâ decorum recentis formæ altaribus ornatum. Quo ſæculo ſit ædificatum, & quâ occaſione invenire hactenus non potui. Cæterùm ante annum 1379. jam in ſummis honoribus habitam Deiparæ ſtatuam inde conſtat, quod Otto Bavariæ Dux in ſummo vitæ periculo conſtitutus, huc ſe devoverit potiùs, quàm ad alia Deiparæ miraculoſa quævis templa. Placet ipſum periculum enarrare. *Princeps.*

Otto & Stephanus Bavariæ Duces poſtquam ſummo Pontifici opem, & operam ſuam adverſus quemcunque hoſtem addixiſſent, peregrinationem inſtituerunt majorum more in terram Sanctam. Inter alios acceperunt ſecum unum è Ligſalziana familia patritium Monacenſem. Principes, ſive quòd indolem, non bene tegeret privatus peregrini habitus, ſive quòd ſociorum revera ſervorum, erga Ottonem, & Stephanum reverentia major eſſet, quàm hic loci decebat, ſaracenis ſuſpicionem movit pecuniarum præſentium, & futurarum. Hinc inſidiæ, quas Judæus quiſpiam ubi advertit, factum edidit, quale hodie de Judæis memorare non poſſumus. *Inſidiæ.*

Fuerat hic aliquamdiu Monachij, & Ligſalzio, quem dixi notus, hunc itaque ſecretò accedens, docuit quis ipſe eſſet, quámque ſibi de facie noti eſſent ipſi principes cum plurimis ſervulorum: deinde detectis Saracenorum inſidijs vix ampliùs evitandis, ſuaſit ſine mora navim conſcenderent, fugeréntque paratos in ſe vel ſicas vel catenas. Actæ homini gratiæ ſunt, & promiſſa ampliſsima præmia in omnem vitam ſuffectura, ſi Monachium veniret, aiunt quoque hominem non multò pòſt Monachium veniſſe fidem Chriſtianam unà cum promiſsis accepiſſe, & vitam Chriſtianè vixiſſe & finiviſſe. Principes in tam periculoſo rerum articulo ad vota Virgini Deiparæ facienda converſi ſunt. Iter illis Deipara aperuit, ac navem paravit jamjam abituram, ſimul ac Otto ædi ejus Ramerſtorffenſi S. Crucis ſegmen- *Judæus.*

mentum, quod auro incluſum de collo ſuſpenderant, devovit, mox enim ſecundi venti, ut miſſos à cælo Regina crederes, navem dominóſque ab infido littore abſtulêre. Hæc S. Crucis particula etiamnum in loco conſervatur, & in ſummo honore habetur.

Obſides. Anno 1632. cùm Guſtavus Suecus Monachium ſex hebdomadibus teneret, obſides ſecum abduxit auguſtam, & duo durè tractavit: hi ſimul ac votum fecere Deiparæ Ramerſtorffenſi, inopinato prorſus caſu in libertatem aſſerti ſunt, ingens tabula, in quâ pictor omnium obſidum vultus peritè expreſſit, etiamnum in choro pendet teſtabitúrque poſteris Deiparæ gratiam, quam ipſe frequenter vidi.

***

MCLXVI.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE PROPAGANDA FIDE.
Alicubi in India.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *En, paritura es agnum Dei, ô Immaculata.*

1. E milite concionator.
3. Cilicium bene vitam tuetur.
3. Parentis documenta.

VBi locorum in India hæc Deiparæ Imago ſit, non inveni, in veneratione habitam, & miracula patrâſſe nullus dubito, ex quo primum, & nunquam auditum nec interpellata quidem patravit. Gundiſalvus Barcinonius ſub Pizarro militavit in India peditum ductor in pugna deſeruit Pizarrum. Ita Pizarrus cæſus eſt, & victoria hoſtibus ceſſit.

Gundiſalvus metu Proregis vagus, templum quoddam Deiparæ ingreſſus eſt, in quo edictum reperit & legit, datam eſſe omnibus rebellibus veniam, duobus exceptis, quorum alter ipſe erat, quorum capita Prorex omnium libidini expoſuit, etiam propoſito præmio illi, qui unum ex his obtruncâſſet. Horrore plenus ante altare Virginis procubuit, quæſtus malorum molem, cui ſuſtinendæ par non eſſet. Virgo mentem homini injecit cilicio tegi poſſe perſonam, & peccata expiari. Ille itaque cilicio ſolo veſtitus, Cilicium in deſertum abijt radicibus & aquâ cænoſâ vitam trahens, cùm paulò pòſt ad idololatras profectus, multos eorum fidem docuit, & fidem moribus probavit. Quod ubi intellexit Epiſcopus, ei poteſtatem dedit, ut fidem, quam antea, firmiùs & feliciùs propagaret, homini cæterà indocto.

Supervenêre noſtræ Societatis Patres R. P. Joſephus à Coſta Provincialis cum ſuis, Gundiſalvus, cùm interrogaretur, quid unquam boni feciſſet, reſpondit, Patris moribundi præcepta tria ſe ſervâſſe. 1. Abſtinuiſſe omni juramento, & blaſphemiâ. 2. Interfuiſſe quotidie, ſi per bella licuiſſet, S. Miſſæ Sacrificio. 3. Singulariter Virgini Deiparæ addictum ſemper fuiſſe. Jam Sanctitate ſuâ cognitus Gun-

Gundiſalvus Proregis patrocinio veniam obtinuit ab Imperatore Carolo quinto, & quia ſacerdotes aderant fidei prædicandæ aptiores, ipſe ad ſilvas regreſſus, vitam eremiticam ſanctâ morte concluſit. R. P. Joan. Alloza in cælo ſtellato l. 4. c. 3.

M C L X I I.

Imago. B. V. Miraculoſa.
DE PERSEVERANTIA.
Alicubi in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Integra & munda à macula JESUM pario.*

1. Mirabilis Turcæ converſio.

2. Ex ſtabulo templum.

3. Apparitio B. V.

MAſonus natione Turca, ſectâ machumetanus, conditione ſervus, ætate ſenex, ſectæ ſuæ ſemper ſectator acerrimus, ad vitæ finem pervenit, & jam jam animam egit, in equili ruris domini ſui, ab omnibus relictus & derelictus, cùm Deipara hominis miſerta, cæleſti ſuo ſplendore ſtabulum priùs illuſtravit, tum eodem ſplendore tenebras mentis pepulit, & hominem eò deduxit, ut hominesinclamaret, qui & fidem docerent & baptiſmum darent, jam ſe voto Chriſtianum eſſe. Utrúmque obtinuit; & piè obijt.

Stabulum. Stabulum RR. PP. Oratorij S. Philippi Nerij ceſſit, qui illud ſumptuosè in ſacellum Deiparæ ad leges architecturæ verterunt, & Deiparæ dedicârunt, dato titulo *de perſeverantia*, ubi Deipara hodie miraculis claret, quia & alios quoque cæleſtibus radijs illuſtrat. Paulus Antonius de Iarſia in Hiſt. B. Virginis Inſulanæ fol. 13.

M C L X I I I.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE ROSARIO.
Alicubi in Italia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Munda mater pariat ſine jugo macula.*

1. Virtus Roſarij.

2. Viſiones tremendæ.

3. Difficilis emendatio eſt.

MEmorat Alanus, fuiſſe in Italia virum potentiâ & opibus parem Comitibus, & uſurarium. Is auditâ concione de roſario, quã S. Dominicus ad populum habuit, roſarium (quod Alanus Patriloquium vocat) emit, & aliquamdiu oravit, non ſine fructu: nam templum ingreſſus, audivit è ſtatua Deiparæ hæc verba. *Jacobe, Jacobe, redde rationem mihi & Filio meo, ſicut exigis diſtinctè à tuis ſubditis, etiam*

tiam de minimis. Videns Deipara hominem nō moveri pluries illi eadē ingeſſit;uſq; dū ita territus fuit,ut domū redux admirationē liberis & uxori moveret. Demū & ipſe terror in auras abijt.

Biennium fluxit,cùm magno ſervorum numero comitatus in lupos incidit & urſos, à quibus ex equo dejectus vulnera accepit, quæ mortem minabantur, atque eo periculoſiora, quòd ſervuli viderent jacentem, audiréntque luporum urſorúmque voces, quos tamen non videbant. Itaque hominem hortati ſunt ad Deiparæ auxilium inclamandum; quo id effectum eſt, ut & è beſtiarum & mortis faucibus ereptus ſit, nullo tamen emendationis fructu.

Biennio pòſt iterum inſpectantibus ſervulis à dæmonibus abreptus eſt in aëra ad ſex milliaria. Inclamavit Mariam & ecce imperatum dæmonibus eſt, reductusque in equo ſanus & ſalvus ad ſuos ab ipſa Deipara: Dæmones.

quâ diſparente, confeſſionem quidem peregit, non tamen cum propoſito reſtituendi per uſuram ablata: eleemoſynas tamen feciſſe grandes memorat Auctor.

Iterum Deipara apparuit, rogavitque, an vellet reſtituere injuſtè ablata? at is ingenuè faſſus eſt, tantùm ſibi animi non eſſe: quid ſi, inquit, tanta tibi donem quanta debes, tum enim verò, inquit, lubens faciam. Domus itaque divitijs repleta divinitus eſt, quas ille ubi conſpexit, jam etiam has unà cum ſuis ſervavit. Tum Deipara aut hæc, inquit, redde ſuis dominis, aut tua quoque, quæ habes, unà cum vita eripiam. Reſtitutio.

Territus fecit imperata. Monitus deinde à Virgine eſt de morte imminente, ad quam ſe per SS. Sacramenta ritè paravit & obijt. Addit auctor, quomodo poſt mortem imperante Deiparâ à S. Michaële Archangelo, è manibus dæmonum ſit ereptus.

MCLXIX.

Imago B. V. Miraculoſa.
CYZENA.
Cyzeni in Oriente.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum:
Anagr. *Roſa nivea, immaculata, anguem perdit.*

1. Ignavia Phoca.
2. Heraclij pietas.
3. Imaginum ſacrarum vis.

Cum propter Ignaviam Phocæ Tyrannis crudelitatémque in ſuos, Perſæ cunctas Aſiæ Regiones uſque ad Calcedonem cepiſſent, neque ille reipublicæ ruenti opem ferret, Heraclius in Coſroëm movit, & accepta Virginis Imagine à Stephano Metropolita Cyzeno Coſroëm vicit: deinde rurſus Imaginem Christi non manufactam ſecum deferens, Perſas, qui non Aſiam modò ſed & Syriam Ægyptum Heraclius.

Li-

Libyamque & Carthaginem ceperant, debellavit, & in ſuam poteſtatem redegit, præſidio duarum Imaginum Deiparæ & Chriſti: hæc omnia feliciſſimè rebus jam deſperatis ad exitum perducens, ut Paulus Diaconus, qui vixit iis temporibus, fusè litteris tradidit.

M C L X X.

Imago B. V. Miraculoſa. DE VICTORIA. *Pollingæ in Germania Sup.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Primatum tenes o diva ignara macula.*

1. Ruſticus fundator templi.

2. Ova miraculoſa.

3. Imago B. V. extraordinaria.

PErantiquum hoc monaſterium Can. Regul. in ditione ſua habet ſacellum, & in eo ſtatuam Deiparæ, valde à circumvicinis cultam: ſacellum hoc ære ſuo de licentia eorum, quorum intereſt, ædificavit Matthias Liebhardus, proximi pagi ruſticus unà cum Anna conjuge ſua. Hominem non magnarum opum & multâ prole gravatum hanc ædificationem inſtituiſſe, non caruit omine futurarū gratiarū, quæ multę ſunt & conſideratione dignæ: quia tamen juſto examini ſubjectæ nondū ſunt, omitto.

Unum memoro, quod teſtatiſſimum eſt. Eo die quo primus lapis eſt in fundamenta abjectus anno 1631. paucis diebus poſt Feſtum S. Martini, gallinæ Gebhardi ova poſuere grandia figurâ Deiparæ inſignia, quæ ſine miraculo imprimi ovis non potuit. Picturam accepi: ſtat illa glorioſa cum JESULO in brachio ſiniſtro inter radios cæleſtes coronata & lunam pedibus calcans. De ſimilibus ovis videri poteſt Imago B. V. Dexelenſis, ubi de his plura dixi. [Hæc ex monaſterio Pallingenſi ad me miſſa ſunt.

M C L X X I.

Imago B. V. Miraculoſa. DE NIVE. *Meſſinæ in Sicilia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Nævum & maculam ignorâſti, ô Deipara!*

1. Grando mutatur in cryſtallum.

2. Alapam à B. V. Judæa accipit.

3. Furtum miro modo deprehenſum.

ESt in Urbe Meſſinenſi antiquiſſimum Deiparæ oratorium, quod de nive & S. Mercurio nomen habet. Imago pervetuſta jam olim fuit in honoribus. Tempore, quo Judæi adhuc liberè & ſecurè Siciliam incolebant, fæmina Judæa templo vicina ſub crepuſculum optabat in domo ſua lumen, itaque templum ingreſſa demiſit lampadem, & candelam, quam

quam ſecum attulerat, accendit, non tamen impunè: ſiquidem tantam alapam ab inviſibili manu accepit, ut inter lachrimas, & ejulatus è templo in apertam fugerit plateam, & à contribulibus ſuis interrogata quo è fonte hæ lachrimæ fluerent, libere edixerit, à Maria Chriſtianorum, factum inde, ut Judæi de rebus Chriſtianorum modeſtius loquerentur: an verò fœmina hæc baptiſmū ſuſceperit, an in perfidia ſua permanſerit, ad poſteros non pervenit, illud certum, S. Imagini datos honores majores. Alapa.

Cryſtallum. Rari ſunt illi lapides cryſtallini è cęlo delapſi, qui hodieq; inter reliquias monſtrantur. Grandinem dejecit iratum cælum anno 1564. tam grandem, ut lapides magnitudinis inuſitatæ pecoribus hominibus atque etiam tectis & domibus ipſis damna inferrent, qualia majores non meminiſſent, in eo cataclyſmo, qui putabatur Inſulam totam dejecturus in mare, proximi ad hoc templum confugêre: & ecce! per ruptas feneſtras duo lapides in ipſum Virginis altare excutiuntur, in quo non in aquas reſoluti ſunt, ut cæteri, ſed in pellucidam cryſtallum induruerunt. Monſtrantur hodiéque non ſine reverentia & cærimoniis, adhibentur cum fructu infirmis, & afflictis, figura utriuſque eſt ovi inſtar, eorum alter anſerino ovo par eſt, & per medium velut cultro ſciſſus, alter nucis majoris magnitudinem non excedit.

Omittere non debeo, quod Auctor de juvene ſcribit hujus ſacelli æditŭo, anno 1575. oblatæ Virgini ſunt duæ coronæ argenteæ, quas poſtquam certis temporibus Filij Virginiſque ſacris verticibus decorè impoſuit, tua, inquit, ô Virgo ipſa cuſtodi, ego abeo. Fuit cùm fures duo per effractas feneſtras ingreſſi, coronas auſſerent, ille miratus, Virginem quæ Domina eſt, non meliùs ſua quantumvis regata cuſtodijſſe, non parùm indoluit, ſed in ſomno monitus fuit, *Rhegium* per mare iret in Italiam, & coronas reportaret, tantus porrò hic inſtinctus fuit, ut etiam vigilantem urgeret. Itaque cum ſocio conſcenſa nave breve fretum trajicit, & Rhegium urbem ingreditur, inquiſiturus coronas ſuas, & ecce apud proximum argentarium invenit licitantes fures, & coronas offerentes argentario. Juvenis, jam ſe major, latrones inclamat, atque eis coronas è manibus eripit, nec dignatus fugientes inſequi, coronas Meſſinam Deiparæ defert, unde S. Imagini adhuc major cultus. R. P. Placidus Samperius libro 4. cap. 9. Æditŭus. Argentarius.

M C L X X I I.

Imago B. V. Miraculoſa.

AD SANCTUM AUGUSTINUM, Monachij in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *O IESV! en digna Mater pura immaculata.*

1. *Hoſpitium pium.*
2. *Donatio felix.*
3. *Concurſus frequens.*

HÆc Deiparæ miraculoſæ ſtatua perantiqua eſt, ſi tamen ſpectes miracula ab anno 1620. originem ſuam habet, mihi certè imò fortè paucis, aut omninò nulli unquam auditam. Quis enim hæc Deiparæ beneficia quærat, & inveniat in taberna hoſpitis vinarij? Memoro quod in libro nuper impreſſo legi. Fuit ſtatua hæc jam dudum in templo S. Ioannis Baptiſtæ, quod Prælato Tegernſeenſi Ordinis S. Benedicti ſubeſt non longè à Monaſterio diſtante. Ad hoc Monaſterium hoſpes cum conjuge ex urbe Monacenſi peregrinationem inſtituit. Conjux hoſpitis viſam Deiparæ ſtatuam deſideravit habere domi ſuæ, ut quid enim hic nulli altari inſerta ceſſat in angulo propter vetuſtatem alijs pulcherrimis Deiparæ ſtatuis poſtpoſita, à nemine ſingulariter honorata, quæ ſi domi meæ eſſet, elegantius, inquit, à me veſtita fortaſſis penſaret cultum meum beneficijs, & ſanitatem quâ tantopere indigeo quamque tam impenſe flagito reſtitueret. Hoc inflammata deſiderio eam à Reverendiſſimo Prælato cordatè petijt, & ſic dirigente Deiparâ facilè obtinuit. Redijt cum marito Monachium ægra fæmina, & paulò pòſt etiam ſupervenit ſtatua. Hanc illa in cubiculo repoſuit ſine cultu, extincto jam pietatis primo ſenſu. Ita nempe, ut nihil citiùs lachrimis areſcit, ita quoque deſideriorum noſtrorum igniculis nihil citius extinguitur. Semel tamen impatientiæ cujuſdam petitura à Virgine veniam, procubuit in genua, & voce quâ afflicti ſolent liberari tandem à gravi morbo, quo affligebatur poſtulavit, & quamprimum obtinuit.

Hinc S. ſtatua majorem ab ipſa cultum domeſticum accepit, publicũ acceptura ſi per conſcientiæ arbitrum licuiſſet, qui prudenter eam docuit quantum his in rebus importuna deproperatio noceat, expectaret parumper, nam ſi Virgo cultum ambiat publicum, tempore oportuno; ſibi non defuturam, ita intra privatos parietes aliquamdiu latuit S. Statua, ſi tamen latuit, quæ per hoſpitam ita innotuit propter acceptum beneficium, ut vicinorum aliquis concurſus fieret cerea dona ferentium, in cubiculum in formam domeſtici ſacelli accomodatum. Judicavit pia mulier tempus adeſſe quo S. Statuæ exhiberetur publicus cultus Itaq; apud RR. PP. Auguſtinianos Eremitas locum quæſivit, & invenit quorum templum perantiquum in eum ſplendorem, qui nunc videtur tunc commodè redactum eſt. Ita paulò pòſt non ſine magna populi lætitia in ſuum hemicyclum repoſita eſt S. Statua, in quo etiamnum colitur beneficijs, & miraculis clara, quæ anno 1671. in octo claſſes ordinatè diſtincta, & ab Ordinario approbata typis evulgata ſunt. Cultus porro S. Statuæ tacendus non eſt: nam præterquam quod ſemel atque iterum in anno in proceſsione circumfertur, id ſingulare eſt quod per octavam viſitantis Eliſabetham Deiparæ quotidie circa veſperum Litanijs

nijs cantatis, nec non per adventum quotidie ſummo mane ſolenni Miſſæ cantatæ ſacrificio, demum ab Aſſumptionis Feſto uſq; ad Octavam Virginis Natç, circa veſperum ſolennibus Litanijs honoratur, ſemper magno populi concurſu Hæc ex impreſſa relatione 1671.

***

MCLXXIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE AQUILIS.

In Turri Aquilarum in Luſitania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plenâ; Dominus tecum.
Anagr. *Aurea integritas, munda macula pomi.*

1. Turris aquilarum.
2. Rudera Romana Chriſtianis apta.
3. Vanitas mundi.

TVrrim habet ab antiquo Luſitaniæ Regnum, quæ quantum intelligere potui, Aquilis fuit pro nido, ut ſolent ædificia à primis Romanorum temporibus diruta, & deſerta in beſtiarum, & avium habitacula converti: ita turris hæc, ſi tamen turris nominari poſſunt rudera in unum cumulum congeſta nobiliſſimæ olim turris. Hic Vanitas. ſeu propter aëris boni amœnitatem, & ſitum loci altiorem, ſeu, ut exiſtimo, propter lapides ad futurum ædificium promptos, Reverendis Patribus Ciſtercienſibus Cænobium à majoribus exſtructum eſt anno 1165. quod à Turri Aquilarum nomen accepit, atque etiamnum retinet. In hujus Abbatiæ templo, quod Deiparæ dedicatum eſt, ſtatuam poſuere, quæ quia juſtos honores initio ſtatim accepit, quamprimum miraculis clarere cæpit, & titulum eundem habet, vocatúrque S. Maria de Aquilis: neque enim aliam hujus tituli originem invenire potui. Miracula porrò ad me non pervenere. Manrique in Analibus Ordinis Ciſtercienſium.

***

MCLXXIV.

Imago B. V. Miraculoſa. DE GRANDEFES.

Grandeſis in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Non admiſit maculam Eva regia, & pura.*

1. Proſapia regia.
2. Monialis regia.
3. Miracula à virtute cientur.

FÆminæ rarum Exemplum, & memoriâ dignum affero. Taraſia Garſia, ex clara proveniens Aragonenſium Regum proſapia, ita Deiparæ amore incenſa fuit, ut ſe & ſua dono dederit: eum in finem Cænobium exſtruxit, & dotavit, ídque ipſa ingreſſa incoluit, & ſub Regula Ordinis Ciſtercienſis Dei- Regina.

paræ, quam ipſa honoravit, & honorandam populis propoſuit, in gratitudinis ſignum grandia patravit, & quamplurima miracula, ita ut inter miraculoſas Deiparæ Imagines hodiéque numeretur, & peregrinorum concurſibus celebris ſit. Ita Manrique in Annalibus Ordinis Ciſtercienſium.

M C L X X V.

Imago B. V. Miraculoſa. ITZECHANA.

Itzechi in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Diva repulit à ſe anguem iram ac notam.*

1. Imago in hoſtes portata.
2. Urbs ab obſidione liberatur.
3. Creſcens fluvius prodeſt.

GErhardus Comes Holſatiæ ſolebat, cùm in hoſtes iret Imaginem Sacratiſſimæ Virginis collo appenſam circumferre in omnia pericula, quam anno 1320. geſtans contra Danos ter fertur ceciniſſe; *Nos hac die tibi gregatos ſerva Virgo;* Pugnavit & vicit. Notandum, quod eo in prælio, ita ſe Gerhardus hoſtibus miſcuerit, ut ſecum etiam S. Imaginem in periculum adduxerit. Alteram tunc manum in prælio S. Statuæ decîſam ferro fuiſſe aſſerunt, tanto miraculo, ut eam nullus artificum iterum trunco brachij poſſet apponere. Et tunc, cùm hæc ſcriberentur, (ſtatua.) moniales in Itzecho monſtrabant memoratam Virginis brevem ſtatuam. Porrò *Itzecho* oppidum eſt in Holſatia, in quo circa annum 1202. die proxima Deiparæ Natæ viſa eſt ſublimis ſupra oppidum Divæ Virginis hæc Imago, quam ſanctè, qui viderunt, venerati ex illo die religioſiſſimè coluerunt. Perſeverat, inquit Auctor in hodiernum diem memoria, appellatúrque hodie *Civium dies:* quippe illâ die, qua ſic Virgo apparuit, bis *Stora* fluvius in eam (Obſidio.) altitudinem excrevit, ut ponte dejecto tueretur cives contra furias obſidentium, & expugnationi inſtantium Danorum. Crantzius libro 9. cap. 10. & libro 7. cap. 22.

M C L X X V I.

Imago B. V. Miraculoſa. DE SEDE.

Aquis ſextijs in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Operâ IESV, integra, munda, Immaculata.*

1. Bellum Calviniſticum.
2. Sacra ſubmovenda hoſtibus.
3. Reductio S. Statuæ glorioſa.

SAcra hæc Deiparæ Imago titulum de ſede ideo habet, quòd eam artifex ſedentem repræſentârit.

rit. Dudum eſt, cùm apud RR. Patres Franciſcanos propter inſignia miracula in honore fuerit *Aquis ſextijs.* Originem tantorum beneficiorum apud nullum Auctorem reperi. Cæterùm ingens augmentum pietas accurrentium accepit, quando è fuga domum redijt. Etenim ob tumultus bellicos eorum, apud quos divina minùs quàm humana ſunt ſecura, in oppidum S. Salvatoris tantiſper (Bellum.) tranſlata eſt, quibus finitis magna cum pompa Aquasſextias in ſuam ſedem eſt reducta Anno 1521. Ex quo apud memores antiquorum miraculorum, novis honoribus eſt affecta, quorum exemplo, & reliqui accenſi accurſum auxerunt. Linguâ gallicâ *S. Maria della ſe* appellatur, ob eandem cauſam quam ſuprà memoravi. Nec plura invenio apud R. P. Poiræum in trip. cor. tr. 1. c. 12 §. 5. n. 39.

MCLXXVII.

Imago B. V. Miraculoſa.

A S. IOANNINO.

Romæ in Jtalia

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. ***En Dei Roſa pura mali anguem mactavit.***

1. *Kalendæ felices.*
2. *Theſauri ingenioſa inventio.*
3. *Theſauri ingenioſa abſconſio.*

MEmorant veteres, fuiſſe feſtivi ingenij hominem opulentum. Is ſtatuam marmoream in medio campo erexit, ſive ſuam, ſive cujuſpiam è Deaſtris illis antiquis. Prima die Maij ipſo meridie locum termino ſignavit, in quem caput ſtatuæ umbram ſuam projecerat, tum per amica ſilentia noctis eo in loco theſaurum ſuum, qui puro auro conſtabat, defodit, (Theſaurus.) ceſpite iterum quàm diligentiſſimè ſuper injecto. Tum longè poſt ſtatuæ titulum ſubſcripſit in hæc verba: *Kalendis Maij caput habebo aureum, in meridie.* Populus magno numero accurrit ſpectatum, quâ metamorphoſi in aurum lapis mutaretur, unus tamen fuit, qui mentem Auctoris penetravit: is notato loco, quem capitis umbra in meridie tetigerat, feliciter nocte inſequente foſſionem tentavit, invento theſauro, non niſi Kalendis Maij inveniendo.

Placuit Deiparæ theſauro miraculorum dare hunc diem: ſiquidem in æde S. Ioannis Baptiſtæ vetuſtiſſima, ejus S. Imago nullo ſingulari honore culta anno 1586. Kalendis Maij florere miraculis (Kalendæ) cæpit, unde tot fructus pullularunt, quot poſteri paſſim viderunt. Ita Flaminius de rebus mirabilibus Romæ. R.P. Antonius Spinellus de templis n. 36.

MCLXXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa. ANGELIPOLITANA.

Angelipoli in Mexico.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. Mater agna, janua Dei, te puram colimus.

1. Oſculum dæmoni inviſum.

2. Novi orbis pietas.

3. Juſta ad mortem præparatio.

NOn ſine obſervatione prætereunda eſt felicitas Regni Mexicani. Vix in hoc Regnum vera fides ingreſſa eſt, & eliminata Idololatria; cùm Deipara in ſuis Imaginibus non uno in loco miraculis clarere cæpit. Certè anno 1587. cùm nondum omne regnum verâ fide eſſet imbutum, in urbe Angelipolitana Imago Deiparæ miraculoſa fuit, atque ut occaſionem primi miraculi auctores non memorent; quatuor tamen ex primis ſi non prima ad nos pervenere. Primum eſt, quòd parentes puerulum ægrum ad S. Iconem adduxerint, & ſanum ſalvúmque quamprimùm reduxerint, uſitato nobis & ideo penè vili miraculo magno tamen apud eos, qui de tanta Dei parentis potentia nullo adhuc exprimento edocti erant.

Idololatria.

Mors.

Alterum fuit quòd viro bono ibidem precanti vox clara allapſa ſit, quâ jubebatur, in certum diem & horam ad mortem ſubeundam ſe parare: quam S. Imaginis prædictionem probavit eventus.

Tertium mulier fuit, quæ boni cujuſpiam operis faciundi propoſitum fecit; cùm repente mutatâ mente mutavit quoque ſimul propoſitum, quodcunque illud fuerit, ſed cum ad hanc S. Deiparæ Imaginem ſuas orationes perſolveret, pergere juſſa eſt in primo, puod fecerat, propoſito, & conſtans eſſe: quod & fecit.

Adjungo quartum. Indus homo à dæmone obſeſſus, poſtquam multa tentâſſet, quæ importunum hoſpitem poſſent deterréntque abigere, demum ei deſiderium venit oſculandæ Imaginis, quod cûm ei non difficulter concederetur, illico à malo dæmone liberatus eſt. Hæc ideò memoravi, quia ex novo orbe cùm ſint, nova quoque nobis ſunt. R. P. Franciſcus Benzius Societatis JESU in ann. Prov. Mexic. in domo Topozotlanenſi.

Energumenus.

MCLXXIX.

Imago B. V. Miraculoſa. DE SOSSIAU.

Nimpergæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Genuit Adam, ea non, pura maculâ riſit.*

1. *Magna levi traditione non probantur.*
2. *Antiquitas pietatem conciliat.*
3. *Antiqua reverenter habe.*

EX antiquioribus Bavariæ Monaſterijs eſt Nimpergenſe Canonicorum Præmonſtratenſium, quod Albertus I. Comes de Pogen anno 1105. fundavit, eique Soſſaugiam Villam cum adjacentibus campis piâ liberalitate in perpetuum tranſcripſit. Hic ab antiquo ſtat loco emminentiore templum Deiparæ miraculis & peregrinorum cōcurſu celebre. Statua Deiparę miraculoſa è duro ſcabroque ſaxo exciſa licet ſit, peritæ tamen aut certè felicis manûs opus eſſe judicant periti. Sunt qui credant eo tempore factam quo S. Rupertus fidem Chriſtianam Boicæ intulit. Hæc ab antiquo miraculis celebris concurſu pegrinorum fit adhuc celebrior in hodiernum uſque diem. Id omittere non debeo, famam eſſe perantiquam templum hoc cum ſuâ miraculoſa Icone olim ultrà Danubium ſtetiſſe, & miraculoſe in hunc locum eſſe tranſlatum, argumento apud multos prævalido, quòd locus ubi olim ſtetiſſe creditur, depreſſior ſolido circumjacente campo ſit & uliginoſus, longus pedes centum nonaginta duos, quæ ipſius templi menſura eſt. Adhæc lapides quandoque tranſlatorum murorum velut reliquiæ, videntur. Rarum quoque & conſideratione dignum, quod locus hic ut ajunt nullâ unquam aut bruma hyemali aut æſtivo ſolis ardore herbarum virorem deperdat. Tranſlationem hanc contigiſſe anno millefimo centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo famâ eſt, quam pictura in muro confirmat, uti, & à gradine omni agrorum viciniâ vaſtatâ, vaſtatum non eſſe hoc templi veſtigium. Quia tamen hactenus omnino nullum legitimum monumentum hujus traditionis inveniri potuit, quamquam in hanc horam quàm diligentiſſimè quæratur, rem tantam affirmare non audeo, ſed & nolo negare.

MCLXXX.

MCLXXX.

Imago B. V. Miraculoſa. IMMACULATÆ CONCEPTIONIS.
Xuxviæ in America.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Adami maculam perjuſta Eva non gerit.*

1. Sudor ſtatuæ miraculoſus.
2. Sudor curat morbus.
3. Americana pietas.

Apud Xuxvios Americæ meridionalis incolas cum fide Chriſtiana propagatus eſt Divæ Virginis cultus, & Imago ſub titulo Immaculatæ Conceptionis ſpargere in vulgus gratias & curationes miraculoſas cæpit, ut habent litteræ annuæ harum regionum per R. P. Jacobum de Beroa ſcriptæ c. 7. quæ c. 8. prodigium afferunt Illuſtriſſimum, quod vidit Collegium S. Crucis, & Rector hujus Collegij, & Epiſcopi Vicarius ac Propræfectus, demum tota civitas: ſcilicet Imaginem Deiparæ ſine labe *Sudor.* conceptæ adeò ſudaviſſe, ut in linteum ſcamnumque ſubjectum copioſus ſudor defluxerit: qui deinde ſudor à multis exceptus, & vulneribus admotus peſtem fugavit, & quod majus eſt, ſpirituales quoque animorum ægritudines, veras peſtes, abegit.

MCLXXXI.

Imago B. V. Miraculoſa. DE LUMINE.
Olyſſippone in Luſitania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Omnis lingua eam puram à reatu edicat.*

1. Captivus miraculosè liberatur.
2. B. V. Templum imperat.
3. Pietas Reginæ magna.

Beatiſſimæ Virginis de lumine ſtatua non adeò multùm extra urbem Olyſipponenſem in honore eſt, propter ingentia miracula. Tempore Alfonſi V. Regis inventa eſt in ſilva, cùm paſſim ignes cæleſtes viderentur, qui magnum quid portende- *Captivus.* rent. Petrus Martinez apud Barbaros captivus, à Deipara monitus eſt, iret in patriam, eumque in locum, in quo audiret, apparere lumina cæleſtia; ibique erigeret templum ſub titulo S. *Mariæ de lumine.* Simul Deipara diſparuit: & Petrus vinculis ſolutus, momento ſe eo in loco prope Olyſſipponem reperit, ubi lumen ipſe vidit, & cum duobus quos ibi commodum reperit, ſilvam ingreſſus ſtatuam Deiparæ invenit venuſtiſſimam, uno non ampliùs pedem altā, adeò integram, acſi vel tunc ex officina artificis prodijſſet. Materiam ſta-

ſtatuæ nemo agnovit, prima miracula in eos impegerunt, qui curioſè & ſine reverentia Sanctam Statuam examinârunt: eorum enim alij gravi & ſubitaneo morbo comprehenſi, domum delati ſunt; alij in loco cæcitate perculſi, domum deducti: hinc novi theſauri apud cæteros cum æſtimatione reverentia.

Petrus Martinus vendito patrimonio templum erexit. S. ſtatua tamen interea in ſacello è tabulis confecto honores ſuos accepit. Maria Regis Emanuelis uxor per omnem vitam laboravit, ut templum hoc novis identidem muneribus adornaret: denique etiam ibi ſepulchrum ſibi elegit. Hæc Vaſconellus.

MCLXXXII.

Imago B. V. Miraculoſa. RHEMENSIS. *Rhemis in Gallia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Eo Margarita, penitùs munda maculâ.*

1. *Lingua poſt mortem loquens.*
2. *Immaculatæ Conceptionis probatio.*
3. *S. Annæ cultus.*

Templum Deiparæ Cathedrale inter pulcherrima totius Galliæ numeratur, eo loco à S. Nicaſio Epiſcopo creditur ædificatum; in quo Clodovæus Rex à S. Remigio aquis Baptiſmi ablutus eſt. Hoc in templo S. Nicaſius cum ſorore Eutropia orationibus ſuis Deiparam honorârunt, & denique martyrio coronari meruerunt à Wandalis, qui eos hic orantes invenêre.

Illud mirum, quòd, cùm abſciſſum caput in terram caderet, hæc centeſimi decimi octavi Pſalmi verba diſtinctiſſimè audita ſint: *Adhæſit pavimento anima mea*, cùm verò S. Caput in terra ante altare Virginis concidiſſet, verſum totũ ſanctiſſima lingua finiverit, hæc verſiba altâ voce proſequendo: *Vivifica me ſecundùm verbum tuum.* Non erat difficile aſtanti ſorori *Eutropiæ*, vitam ſibi ſervare, quam virginea ſpecies amabilem fecerat: ſed illa cùm oblata probra reſpuiſſet, eodem gladio ante altare Virginis conciſa, fratrem ſecuta eſt in cælum, ampliores ibi laudes proſecuta in Deiparæ honorem. Exinde tanta loco acceſſit veneratio, ut templum aliàs ſatis magnificum, Hincmarus Epiſcopus in majorem amplitudinem extenderit.

Non omittere debeo perantiquam tabulam, quam ferrea catena columnæ affixam tenet ab antiquo. Refert hæc, fœminam orationi deditam, quam frequentiſſimè Deiparam verbis Angeli ſalutantis allocutam: cui Deipara apparens; etiam S. Annam honorare præcepit, reſpondente fœmina, non ſe fore hâc in re difficilem, ſi modò ſciret, quâ oratione ipſa ſe honorari vellet. Cùm Deipara, quando, inquit, perveneris S. Annæ

ad hæc verba: *Et benedictus fructus ventris tui:* hæc adjunges. *Et benedicta ſit S. Anna Mater tua, ex qua ſine macula caro tua proceſſit Virginea.* Et poſtea reliqua ſalutationis verba: *Sancta Maria, &c.* ſubjunges. Ita refert R. P. Franciſcus Poiærus Societatis JESU Coron. tripl. tr. 1. capit. 12. §. num. 54.

MCLXXXIII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE VIRTUTIBUS. *Olyſippone in Luſitania.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Agna mater munda, tu operis cæli viam.*

1. Cultus B.V. à bove.
2. Cultus B.V. à paſtore.
3. Cultus B.V. à populo.

NOn exiſtimo, librum à quopiam ſcriptum, in quo laudes ſuas luculentiùs invenire queant paſtores, atque ut eas quoque circa finem hujus operis inveniant, hanc Deiparæ ſtatuam adjungo, quam opilio in arbore è ramo venuſtiore pendentem tum primùm obſervavit, cùm bovem ab armento diſcedentem vidit flexis
Dos: poplitibus orantis in ſpeciem ante arborem procumbere, tum enimvero factus oculatior, attentiùs arborem luſtravit, & pendendem ex ea ſtatuam non magnam vidit. Hanc ille quamprimum tugurio potiùs quàm templo honoravit, è ramis & ramentis architecturâ ruſticâ confecto, dum re in vulgus datâ, inventi ſunt, qui accurrerent, & beneficia à Virgine peterent, obtinerentque: quæ Miracula
quia raritate ſuâ, ſuperabant reliqua, quæ Virgo alibi patrabat, *de Virtutibus* ſtatua nomen accepit, & templum in hanc, quæ hodie videtur, amplitudinem excrevit. Porrò quantum ab Olyſippone diſtet non inveni, Olyſippone poſui, quia in Olyſipponenſi Diœceſi ſitam eſſe ſcribit Reverendus Pater Franciſcus Poiræus tr. 1. c. 12.

MCLXXXIV.

Imago B. V. Miraculoſa. PICTAVIENSIS. *Pictavis in Gallia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Remota es à macula, tu pia mundi Regina.*

1. Converſio mirabilis.
2. Efficacia nominis Mariæ.
3. E domo templum.

INgens & viſu dignum B. Virginis templum, quod Pictavis viſitur, originem habet rariſſimo miraculo inſignem. Juvenis fuit, vitijs juvenilibus tantùm non immerſus: hic puellam invenit, ad votum ſuum promptam, quam ad flagi-

flagitium perpetrandum in domum ſuam deduxit, ubi peramanter ſalutatam ante omnia interrogavit, quo nomine vocaretur: tum illa nomen, inquit, mihi Maria eſt, ad hæc juvenis, places, inquit, ô puella, & jamjam tecum facturus eram, proter quod vocata ad hanc domum veniſti, ſed quia Mariæ tibi nomen eſt, tanti non emo hanc brevem voluptatem, ut propterea Deiparam mihi ſingulariter inimicam velim: abi itaque, & noli ampliùs peccare; ne Mariam tibi, & alijs inimicam facias: abi, dico, priuſquam te abire fuſtibus cogam.

Deipara hanc juvenis victoriam tanti fecit, ut eam ampliſſimâ mercede remunerata ſit. Quamprimum enim cor juvenis immutatum eſt, & pænitentiæ aquis emollitum; ut ne quidem amplius cogitaret de virgine, ita nempe fœdus pepigerat cum oculis ſuis. Ad hæc per Deiparæ ſingularem gratiam ab omni laſciviæ pugna liber, aliarum quoque virtutum tanto guſtu ferebatur, ut in alium, & ſanctum virum mutatus vitam quam ſanctè vixit, ſanctiſſimè finierit, poſt ejus mortem è domo ejus ſacellum factum, quod ob miracula ad impoſitam Deiparæ Imaginem (quam ipſe juvenis jam dudum coluerat) magno numero patrata, in hoc quod hodiè videtur templum excrevit. R. P. Franciſcus Poiræus in Coron. trip. tr. 1. c. 12.

Converſio.

M C L X X X V.

Imago B. V. Miraculoſa.

DE LA DAURADE

Toloſæ in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Sacro munita igne, pura metu mali Adæ.*

1. Templum inauratum.

2. Ex Fano templum.

3. Non omnes cæci.

INter Laudes urbis Toloſanæ præcipuas numero ſingularem, & nuſpiam auditam pietatem, quâ cives iſti ab antiquo Deiparam ſunt proſecuti: negari non poteſt, Toloſam quoque olim feciſſe ſacrificia Dijs, & templa ædificâſſe. Inter hæc unum ſtruxerunt ſingulari, & in ævum ſtaturâ firmitate, quod Jovi dedicârunt, eò minore piaculo, quòd omnes ex antiquis ſibi perſuaſerint, Jovem unum unicumque omnibus cæteris leges, & jura præſcribere, nec pauci ſub hoc nomine unum unicumque omnium conditorem Deum intellexerint, reliquis omnibus Dijs ad fabulas rejectis. Templum hoc Toloſanis ſummum fuit, & ex omnibus præcipuum, ſive fabricæ pretium & firmitatem ſpectes, ſive eum, cujus nomini erat dedicatum. Cives ubi primum de fide Chriſtiana inaudierant, non diſtulêre, qui eam quam primum Fanum.

ampleƈterentur: atque ut Virgini Deiparæ; quam jam ultra fabuloſam Palladem primi veritatis præcones extulerant, ſe præ cæteris gentibus devotos probarent, illi Jovi priùs ſacrā, & principem urbis ædem dedicârunt: quod quia & alibi quoque factum eſt, nil adhuc ſingularitatis habet. Hoc ſingulare eſt, & majorem in Virginem affectum poſteris imitandum proponit, quòd templum ab imo lapide ad ſummum, undique inauraverint, ut ſcribit Reverendus Pater Franciſcus Poiræus Societatis JESU natione Gallus, & antiquitatum patriæ ſuæ non ignatus, in Corona triplici tractatu 1. cap. 12. Id ego obſervo, rem fuiſſe ſummi pretij, etiamſi auro bracteato, & in ſuperficiem penè mathematicam extenſo mutos illeviſſent: cùm tamen conſtet hujus tam avaræ artis nec cogitationem tunc fuiſſe. Itaque ex pretio primorum Chriſtianorum pietatem æſtimare licet, & Beatiſſimæ Virginis in Toloſates liberalitatem.

Templum. Aurum.

***

MCLXXXVI.

Imago. B. V. Miraculoſa. DE GRATIIS. *Cotignaci in Gallia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Tu ſana, tu pura cæli meridiana gemma.*

1. S. Michaël Deiparæ charus.

2. Revelatio fructuosè credita.

3. Miraculorum fons unde.

ANno 1519. menſis Auguſti die decimo Feſto S. Martyris Laurentij Deipara in aperto campo ſpectabilem ſe præbuit Ioanni cuidam viro in paucis probo: néve ſola eſſet, comites habuit S. Michaelem Archangelum, & Angelis ſupparem Bernardum ſuum. Juſſit illa Ioannem ſenatui populóque Cotignacenſi nomine ſuo indicare, velle ſe, ut urbs univerſa ordinatâ ſupplicatione in montem vicinum aſcendat, ibíque ſibi templum curet, eíque *de Gratijs*, nomen imponat: velle ſe civibus abunde compenſare impenſas in fabricam factas. Glorioſum eſt Cotignacenſibus in hodiernam diem, non reſtitiſſe Mariano imperio, nec miracula petijſſe à Virginis nuncio Ioanne. Denique ita imperio Deiparæ ſatisfactum, ut non priùs ſupplicationem imperatam præſtarent, quàm omnia ordinarent, quæ ad primum lapidem ponendum requirebantur. Ita ſequenti menſe Feſto S. Crucis exaltatæ tantâ pietate omnia peracta ſunt, ut Deipara quamprimum fluminis gratiarum fontem aperiret, & ſequentibus ſignis probaret, vera eſſe promiſſa ſua. R. P. Poiræus in Coron. tripl. tr. 1. cap. 12. curam habent RR. PP. S. Philippi Nerij.

Apparitio. Miracula.

MCLXXXVII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE LA VEAVNE. *Marſiliæ in Gallia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Gaudeamus amici: en pura Mater in alto.*

1. Fœminea ſed cordata virtus.
2. Virginitatis magnus amor.
3. Hoſtes piè ſuperantur.

TEmplum hoc extra urbem eſt, & vel hodie, ſi pietas adſit, beneficijs Virginis clarum. Olim miraculoſam fuiſſe ſtatuam Virginis inde certum eſt, quòd ad miraculum pios effecerit, rem intellige, lector, quam ſi ſemel atque iterum alibi factam legiſti, fruſtra in libris poſthac & irrito labore ſimile exemplum quæres. Cænobium hic ſacratarum Deo Virginum fuit, loco, quem nulla vicinorum potentia contra malos defendere poterat. Irruentibus Barbaris, Virginibus cura fuit, quæ in periculis ſolet. Fugæ nec tempus nec locus amplius erat, ſed & nemo, qui inermes & fæminas defenderet: itaque ipſæ ad gladios plùs quàm virili fortitudine reſpexerunt: & quia gladium nec unum habebat Cænobium, breves cultros ſingulæ arripuerunt, ſuadente antiſtitâ in præclarum factum ſuffecturos. Illa poſtquam ita armatis ſilentium indixit: vultus, inquit, noſtri ſunt, quorum virgineo decore periclitamur: hos ſi decoro vulnere devenuſtamus, periculo defunctæ ſumus, aliud enim non petunt, qui nobis jam imminent, hoſtes: audeamus! fluet pulchro de vulnere ſanguis virgineo rubore, Virgini placiturus, cui nos jam dudū devovimus: ſi placet, incipiã & meo exemplo reſtitantes animabo: ſimul cum dicto, & illæ omnes idē ſe facturas clamârunt: & illa, ne quam promiſſi pæniteret, naſum ſibi præcidit; quam cæteræ omnes tantâ promptitudine ſecutæ ſunt, ut dubium inter multas eſſe potuerit, quæ inter omnes primos tanti facti honores meruerit, ita felici hoſtium contemptu ſecuræ periculo ſe expedierunt. I nunc, & hæc ſine Deiparæ miraculo fieri poſſe puta. Cætera, quæ ad hanc S. Iconem (quæ fortè hodie non ſupereſt) contigerunt, ad me non pervenere: atque etiamſi ad me perveniſſent, hîc non apponerem, qualiacunque demum eſſent, quia hoc raritate ſua ſufficit, ut credatur Deiparæ ſtatua miraculoſa. R. P. Franciſcus Poiræus Societatis JESU, in Coron. tripl. tractat. 1. cap. 12.

Hoſtis. Virginitas.

MCLXXXVIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
DE NAZARETH
Barruſi in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.
Anagr. *Viva manè, certè ignorat lapſum Adami.*

1. Calvini bellum ſacrum.
2. Capitis mira medicina.
3. Miraculum heteroclitum.

ESt hæc miraculoſa & vetuſta Deiparæ ſtatua in Epiſcopatu Vaiſonenſi, vocaturque à colore ſubfuſco *la Brune.* Ut cætera miracula perierint, quando Calvini feroces aſſeclæ omnia ſcripta unà cum ſacra Deiparæ ſtatuâ igni tradiderunt; illud adhuc in memoria hominum eſt, quòd hæc S. Statua illæſa à flammis in ardente rogo perſtiterit, & finito hoc Calviniſtarum ſacro (quia ſacris illato) bello, iterum ſuo loco cum pompa reſtituta fuerit. Eſt hodiéque Medicina. miraculoſa, ijsque maximè prodeſt, quos morbi chronici in capite affligunt: hi feſtis Deiparæ præcipuè huc veniunt & liberati abeunt. Neque negligendus eſt hìc modus curationis, quem Virgo adhibet: ſubitò enimac ille, quem Deipara liberare morbo ſuo decrevit, templûm ingreditur, capitis dolor in tantum excreſcit, ut huc veniſſe peregrinum pænitere poſſit; ſi non ſciret hoc indubitatæ gratiæ ſignum eſſe, & paulò pòſt & hunc & omnem reliquum capitis dolorem in omnem vitam ceſſaturum. Hæc Reverendus Pater Franciſcus Poiræus Societatis JESU in Coron. trip. t. 1. c. 12.

MCLXXXIX.

Imago B. V. Miraculoſa.
IN BURGO DEI.
Burgis in Gallia.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Eva clarè munda manè puritatis Imago.*

1. Statua ſitum mutat.
2. Vulnerata dat ſanguinem.
3. Mors pœna peccati.

QUàm antiquum hoc templum ſit cum ſuâ S. Statua, Auctor non memorat: antiquiſſimum eſſe oportet. Id anno milleſimo nonageſimo quinto renovatum, & ab Urbano ſecundo Pontifice maximo ſecunda vice Deiparæ dedicatum eſſe, ajt Auctor, miraculoſum fuiſſe olim,

olim, teſtatur feſtum, quod eam ob cauſam annuatim ultimo Maij celebratur. Nec tacendum ingens illud S. Statuæ miraculum, quod anno milleſimo ducenteſimo ſecundo contigit. Ingreſſi templum ſunt malæ fidei viri, & fæminam primùm coram S. Statua orantem ſibilis & ſannis eluſerunt: tum eorum unus lapide, quem ſecum è platea intulerat, certo ſed infelici ictu brachium JESULI lapideum fregit. Statua licèt lapidea ſit, ictum tamen ſenſit, & ſanguinem dedit, ille pœnas: nam repentè mortuus concidit, alter à dæmone obſeſſus, ſocium altero die ſecutus eſt, pauci, qui præſentes miraculo erant, acciverunt urbem. Tot ſpectatoribus cincta ſtatua adhuc maius edidit miraculum: ſiquidem manus lapideas pectori admovit, catenas & appenſa donaria in partes laceravit, & veſtē à pectore amovit, dolorem teſtata, quam injuria filij creaverat. Aucta in immenſum pietas penſavit injuriam honoribus inſolitis. Hæc Reverendus Pater Franciſcus Poiræus Societatis JESU in cor. tripl. tr. 1. c. 12. fol. 364.

MCXC.

Imago B. V. Miraculoſa. DE VALLE FLORIDA: *Lugduni in Gallia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. ***Anima munda eſt: Virgo aperiat cælum.***

1. Curatio muti mira.
2. Miraculum exoticum.
3. Gratitudo memoranda.

Lugdunenſibus adſcribo hanc Deiparæ miraculoſam Imaginem, quæ quantumvis aliquot horis ab urbe diſtet, quia tamen continuò à civibus viſitatur & aliud nomen vicinum non invenio, ſit maneatque Lugdunēſibus hęc S. Statua, quę ab ipſis tanto honore colitur, propter inſignia miracula, quæ hodieque patrantur. Unum memorat Auctor rarum & curioſum. Fuit qui omni linguæ uſu deſtitutus, ex mente Auctoris ab utero matris mutus, quia abſolutè mutum vocat. Is novem omnino dies hoc in templo moratus, Virgini vovit, ſi perfectum linguæ uſum largiretur annis ſingulis hoc die hic ſe præſto futurum, miraculoſum beneficium præſentibus teſtaturum. Perfectum linguæ uſum invenit quem nunquam amiſerat, quia nunquam habuit. Adjunxit inſuper voto, quòd ſi tardius adveniret, tot diebus iterum obmuteſceret, quot à die recepti beneficij annua elapſi eſſent. Satisfacit vir voto ſuo, inquit Auctor, in hodiernum diem mihi & pluribus notus: & cùm vel propter latrones vel impeditas vias abeſſe cogitur, obmuteſcit novo Mutus.

mi-

miraculo, dum rite ad locum perveniat, quod frequenter contigiſſe, aſſerit Auctor. Idem eodem loco.

MCXCI.

Imago B.V. Miraculoſa. DE VALLE VIRIDI, *Ad S. Germanum in Gallia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Roſa pia, ac munda, à lue germinat vitem.*

1. Palatium regium.
2. Spectra palatium infeſtant.
3. Carthuſianorum pietas.

VEtuſtiſſimorum Regum Franciæ, ut ajunt, primarium Palatium fuit ad S. Germanum, adhuc temporibus S. Ludovici eo loco, ubi hodie eſt RR.PP. Carthuſianorum nobile cænobium. Spectra hunc locum infeſtabant jam dudum, tranſeuntibus oppidò infeſta, ita ut porta, quæ Academiam ſpectat, porta inferni unà cum tota platea vocari cæpta ſit. Et quæſita licèt ſint omnis generis remedia, inventum tamen nullum eſt, quod his lemuribus pellendis par eſſet. Virgo fuit vitæ ſanctæ & jam dudum inter prophetiſſas numerata: hæc cum in conſilium vocata eſſet, juſſit Carthuſianis in loco Cænobium ædificari: hi, ſunt Deiparæ cultores ſingulares, hi malo remedium dabunt. S Ludovicus Ordinis novi ſummus patronus, quamprimum vocatos locum eligere pro cænobio jubet: illi ipſum palatium regium ubi nominârunt, jam plures, inquit, Rex, religioſi hic fixêre habitationem; ſed à lemuribus & ſpectris expulſi ſunt: fortè & vobis paria facient lemures ijdem, nulli hactenus domabiles.

Tum Prior nos, inquit, confidimus in Patronæ noſtræ Virginis Deiparæ auxilio: illa conteret fugitabitque quotquot adſunt ex inferno Spiritus maligni. Factum: locus brevi ab omni ſtrepitu liberatus dedit quietam Carthuſianis poſſeſſionem: actæ ſunt ipſo feſto Aſſumptionis gratiæ ab aula tota ſanctiſſimæ Virgini, & cultus ejus hoc in loco cæptus auctusque in dies fecit, ut inter miraculoſa Deiparæ templa numeraretur. Reverendus Pater Franc. Poiræus in Carthip. tr. I. c. 12.

MCXCII.

Imago B. V. Miraculoſa. DE CINALOA, *Cinaloæ in India.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Meta cæli amata Virgo penitus munda.*

Aver-

1. Averſio à fide mira.
2. Senis converſio.
3. Aſpectus Imaginis B. V. fructuoſus.

FUit Cinaloæ Indus jam ſenio confectus, ita à lege Chriſtiana averſus, ut nec audire quidquam dignaretur. Hunc ultimo morbo laborantem, & tantùm non cum morte luctantem acceſſit è Societate Pater Fidem docturus & perſuaſurus: is cùm ſe videret nihil agere, Imaginem Deiparæ protulit, hominique conſpiciendam dedit. Intravit ſenſim per oculos tanta è cælo gratia, ut ipſe fidem efflictim doceri peteret & baptizari: quod ubi factum, inter ſolatia divina & certam ſalutis ſpem è vivis exceſſit. Imago in honore habita inter miraculoſas numerari meritò potuit. Reverendus Pater Joannes Alloza. lib. 4. Cæli ſtellati. capite 2. numero 7.

Imago.

MCXCIII.

Imago B. V. Miraculoſa.
TOLLENSIS.
Tollæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Immaculatè pia Virgo avertens damna.*

1. Rex aulam fugit.
2. Ex Rege paſtor.
3. Ex paſtore Abbas.

S. Wendelinus Filius Regis Scotiæ ſpretis regni delicijs aulam fugit; ad eam ne iterum retraheretur, etiam ipſam patriam per mare per terras fugit; ſicque veſte plebeiâ perſonam regiam texit, ut periti paſtoris perſonam gereret apud nobilẽ Trevirenſem. Is poſtquam pecora Deiparæ commendavit, ſecurè orationi ſe dedit in multas horas. Vidit Herus & orantem paſtorem, & nulla paſſum detrimentã armentũ bonũ: itaq; ſanctitatem hominis veneratus, in honorem Deiparæ cellam ſeu habitationem commodam ære ſuo ſtruxit: *Toll* loco nomen fuit. In hac precatus Virginem Wendelinus, denique etiam monaſterium exoravit, in quo ipſe primum Abbatem egit, & Virginis cultum miraculis teſtatum propagavit. R. P. Petrus Caniſius Soc. IESU & alij. Atque utinam aliqua ex ijs ad nos perveniſſent, quæ liceret lectori proponere!

Rex.

MCXCIV.

Imago B. V. Miraculoſa.
CELLA MARIÆ,
Neuſtifftij in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *I, tota pura cur mali, gaude. Amen Amen.*

1. *Verus patris in filium amor.*
2. *Liberi obſtant deſideriis bonis.*
3. *Monaſterij mira origo.*

CElla Mariæ, ſeu Neuſtiffſtiana, unius loci ſunt duo nomina. Primum dedit Hartmannus Epiſcopus Brixinenſis, qui hoc Deiparæ primum ſacellum privatæ ſuæ pietati ædificavit, templum ædificaturus, ſi pecunia non defuiſſet. E magnatibus unum rogat, cui *Reinberto* nomen fuit, ut Virginem honorare dignetur templo & cænobio: ſed fruſtrà: obſtabat pio viro hæres parvulus, quem ubi brachio circumferens Deiparæ obtuliſſet, optâſſetque videre potiùs mortuum in hac innocentia, quàm aliquando in peccato mortifero: pio patris voto Virgo annuit, & paulò pòſt ex hac ad meliorem vitam ſuſtulit non invito parente, qui felicitatem filiolo gratulatus eſt. Inde ad Virginis cultum ſe vertit, ſe & omnia ſua in templum Deiparæ & monaſterium effudit, vitamque religioſè actam ſanctâ morte concluſit. Reverendus Pater Raderus Societatis JESU in Bav. ſancta tom. 2.

M C X C V.

Imago B. V. Miraculoſa.
GLORIOSA DOMINA.
Alicubi in Hiſpania.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Magna nivea! tu mera Paracleti domus.*

1. *Novitij ſimplicitas.*
2. *Superioris prudentia.*
3. *Statua B. V. loquens.*

VIde Lector, quid pia Novitij ſimplicitas, quid prudens ſuperioris imperium, apud Deiparam poſſit. Fuit alicubi in Hiſpania Ordinis Minorum Guardianus, quem ingens urebat deſiderium ſciendi, quæ ex orationibus Eccleſiæ gratiſſima Deiparæ eſſet. Hic novitium nactus eo ex ligno, è quo ſancti formantur: in eum, cùm ſe aliquando de culpa fortaſſis inculpabili ſeverè accusâſſet, ſeverum quoq; & durum ſe oſtendit, & in pœnam tuam, vade, inquit, ad altare Virginis Deiparæ in templum, & ab ea pete, quæ illi ex omnibus Eccleſiæ orationibus gratiſſima ſit; nec deſine, dum id ab ea intelligas: iterum dico, ne loco te moveas. Simul Virgini ſupplex, ò Virgo, inquit, reſpice virtutem novitiam: non ego id ex te contra voluntatem tuam extorqueo, nec imperiæ do viribus ſuperiora: avocabo jejunum, ſi tibi non placuerit, quod imperavi. Novitius Virgini coram altari expoſuit Guardiani juſſa, rogavitque, quæ jubebatur. Abijt dies & non exigua noctis pars: cùm Deipara ex altari: *chare fili*, inquit, *dic Guardiano tuo, Hymnum, ò glorioſa Domina eſſe illum, quem ego præ cæteris*

libenter audio. Ita ſtatua illa Deiparæ initium fecit reliquis, quæ ſecuta ſunt, miraculis. Chronicon S. Franciſci p. 3. c. 36.

M C X C V I.

Imago B. V. Miraculoſa. MOCHINGANA.

Mochingæ in Germania Sup.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.

Anagr. *Te agnam ſine reatu Adami puram colui.*

1. Fons miraculoſus.

2. Curata Hernia.

3. Pietas Agricolarum.

Mochinga Bavariæ pagus eſt tribus circiter leucis Monacenſi ab urbe diſtans: prope hunc ſacellum eſt Deiparæ ante paucos annos exſtructū: originem & occaſionem pietatis magnæ dedit ipſa Deipara, nullâ apparitione, nullo imperio, ut quæ populum ſcit ita ſibi affectum, ut, ſi quiſpiam miraculoſum beneficium inopinatò cælitùs experitur, nemini aliud in mentem veniat, quàm quòd id per Deiparam à Deo acceperit. Fons.

Anno 1662. menſe Julio, Stephanus Mochingenſis pagi incola in ſilvam exijt cæſurus ligna. Æſtus poſt aliquot laboris horas ſuadebat quietem, & ſitis potum: circumſpexit, ubinam ſilva hæc daret aquas, vix paucis paſſibus progreſſus, in aquam incidit, quæ calceos madefecit, turbida, & potui ineptam, ille arrepto conto meliorem quæſiturus, repentè aperuit fontem, illimem, & limpidum perfrigidæ & dulciſſimæ aquæ, è quâ Stephanus hauſtu liberali ſitim ſuam extinxit.

Mihi hæc ſcribenti præterire duo non licet, quæ Stephanus rerum incurius neglexit. Primum eſt, quòd fons iſte tunc primum è terra eruperit: jurant enim, quotquot ab omni ævo, hujus amæniſſimæ ſilvulæ accolæ, ut non dicam incolæ, fuerunt, nunquam hîc vel guttam aquæ viſam, quam terra dediſſet. Alterum, quòd hauſtu ſumpto quàm primùm ſit in partes ruptum illud ſubligaculū, quo octodecim annis herniæ malum conſtrinxerat, redux domū, refecit ſubligaculum tantâ curâ, ut crederet in ſex facilè annos ſuffecturum, cùm verò poſtridie in eandem ſilvam ad idem opus conceſſiſſet, iterúmque circa horam ante merdiem nonam ex eodem fonte ſe refeciſſet, ſubligaculum illud in tres omnino partes diſruptum de corpore iterum decidit non ſine grandi hominis ſtupore, quòd ſimul & herniæ malū repentè ſubſiderit in pugni magnitudinē, quod ab octodecim annis pilei virilis amplitudine hominem torquebat, quódque ſimul omnis dolor momento abierit. Hernia. Gratitudo.

Duplici felicitate momento uno beatus, ante omnia miraculum Deiparæ adſcripſit, non aliã, ut dixi, ob cauſam, quàm quòd omnia habere nos crederet per Mariam. Itaque quamprimum in genua prolapſus Deiparæ, cui be-

neficium hoc debebat, gratias acturus, quinquies orationem Dominicam totiéſque ſalutationem Angelicam recitávit cum Symbolo Apoſtolorum; ſequentibus verò diebus tria pſalteria, hoc eſt, novem quinquagenas ſalutationum Angelicarum in loco perſolvit. Et quanquam mens ei fuit, rem omnem ſilentio tegere; tamen diu noctúque tam vigilans quàm dormiens impelli ſibi videbatur, alijs quoque ut hujus beneficij fontem oſtenderet, forte pluribus profuturum.

Primus fuit fidelis vicinus, cui rem omnem aperuit, per quem longè latéq; res propagata quamprimum magnam ægrorum multitudinem accivit, nullo malorum corporis diſcrimine: nam & cæci & ſurdi accurrerunt, & qui non? Omnium tamen mens fuit, divinum quid eſſe in fonte, & à Deiparâ præſtitum, quidquid accepturi eſſent, hinc & munera ceræ allata, & tabellæ beneficium explicantes, & pecuniæ. Ante omnes primus, qui beneficium accepit, Stephanus trabibus fontem circumdedit in advenarum commodum. Hinc Nobilis Dominus Georgius Teiſingerus Conſiliarius Sereniſſimi Electoris ſecretus & bellicis officijs olim utiliter præſtitis clarus, qui morte ſuâ pienſiſſimâ probavit, etiam inter aulica mundi officia virtuti locum eſſe, ære ſuo ſacellum Deiparæ Annunciatæ hoſpitalis in modum erexit, domum ægris commodã, additâ unius Miſſæ hebdomadariæ largâ fundatione. Fontem denique ipſum ad uſus perpetuos ingenioſâ architecturâ accomodavit. Mirum, quantus huc ægrorum ſit accurſus, quanta Deiparæ beneficia, quámque diverſa, ut quæ nulli non morbo remedium non præſtent: unde fons miraculoſus meritò vocatur. Sunt ad me miſſa centum triginta tria miraculoſa beneficia, juſto proceſſu deſcripta, magna ſanè & mira: ſed quia ad cenſuram Eccleſiaſticam nondũ pervenêre, hîc nõ memoro.

Accurſus.

MCXCVII.

Imago B. V. Miraculoſa. S. TRUDONIS.

Leodij in Germania Inf.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Adami amarum ingens væ, it procùl à te.*

1. Boni Magiſtri bonus diſcipulus.
2. Sacella B. V. plura.
3. Peccati pœna cæcitas.

NOtiſſimum eſt apud Leodienſis S. Trudonis ſanctum nomen, eam ob cauſam cùm loci aliud nomen non ſcirem, Leodium poſui. Is à S. Remaclo in fide & litteris ſacris inſtructus, Deiparam ex præcepto Magiſtri ſui præcipuè coluit: plura ipſi hinc inde ſacella ædificavit pietati ſpargendæ, quæ tamen omnia ad noſtram memoriam non pervenere.

Eshisunum ſuâ manu ſolus exſtruxit, in quo ſive ſolus ſive cum ſocijs

Sacellum.

ſocijs Deiparæ laudes celebravit. Fæmina fuit, inferno, non cælo nata, cui cùm tantus Deiparæ cultus non placeret, auſa eſt diruere manibus proprijs tam ſanctam & Virgini tam gratam fabricam; ſed ne ſine mercede laborem hunc crederetur ſubijſſe, Deipara cavit: rependit enim dignam operis mercedem, utriúſque oculi cæcitatem, atque hoc primum miraculum Deipara fecit in fæmina. Secundum in S. Trudone, ad cujus preces fæmina oculorum uſum recepit. Theodorus Abbas. Anno 693.

MCXCVIII.

Imago B. V. Miraculoſa. SANCTÆ MAXELLENDIS. *Cameraci in Germania Inf.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Aperi mea lumina, Virgo caſta, & munda.*

1. Fortitudo Caſtitatis.

2. Cæcitas pœna peccati.

3. Cæcitas curata.

Templi hujus Mariani apud Cameracenſes jam olim celebris originem dedit ſanguis, & quidem virgineus. Maxellendis Virgo Cameracenſis, & opulenti patris filia, Deo & Deiparæ virginitatem ſuam devovit vitâ ſuâ chariorem. Hanc Hartvvinus nobilis, optavit ſponſam, nec diſſenſere parentes, renuente tamen Virgine, quæ quia à ſponſo die nuptiali quæſita, & in ciſtâ, in quā ſe incluſerat inventa eſt, jam ſibi ſponſus victoriam ſpondebat. Ita inter verba, quæ Virgini perſuadere nuptias poſſent, ad portam domûs, quæ commodùm erat aperta ventum eſt: cùm Maxellendis, audi, inquit, Hartvvine: mori poſſum, virginitatem perdere non poſſum: ſimul ſe per apertam portam in publicam plateam proripit. Ille extracto gladio fugientem curſu aſſequitur, & funus facit. At verò ubi ſanctæ Martyris ſacrum cruorem conſpexit, oculis, quibus illa placere noluit, quamprimum orbatus, nuptialem apparatum non vidit. Hunlinus feliciſſimæ Virginis infelix Pater Deiparæ templum magnificum extruxit, in quo ad ſepulchrum Virginis Hartvvinus viſū recepit. Surius in vitâ, an. 690.

MCXCIX.

Imago B. V. Miraculoſa. DE VINDICTA. *Neapoli in Italia.*

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.

Anagr. *Adeamus inviolatam ac purè integram.*

1. Impijs ducis impia mors.
2. Monita bona irrita.
3. Vindicta Deiparæ.

OBſideb Neapolitanam Urbem Petrus Arragonius, jámque exploſurus tormenta, & globos ferreos trajecturus in urbem, ab Alfonſo fratre monitus eſt, videret ſanè, ne quod templum tangeretur. Irrita fuere fratris verba: bella gerimus, inquit, inter tubas & tympana non bene audimus leges, quas nobis Sacerdotes toties accinunt: tantâ curâ vitari hæc nō poſſunt: multa licent militibus, quæ cæteris non licent: ſimul ignē tormento ſubijcit, & tetigit ſanè globus templū Deiparæ, ſed ictu hactenus innocuo: nā è muro pilæ ictu repulſus, in ipſum Petrum relapſus eſt, eúmque in terram dejecit, & funus fecit: ut habet Mariana. Aiunt, templū hoc fuiſſe Reverendorum Patrum Carmelit. Contemptus.

M C C.

Imago B. V. Miraculoſa.
AUREA.
Zacatecæ in Mexico.

Progr. AVE MARIA, gratiâ plena; Dominus tecum.
Anagr. *Virgo pia, intacta, merè munda, ſalva me?*

Ex militibus ſæpe fieri latrones novum non eſt. 939
Angeli revelant latroni ſtatuam B. *V.* 511
Mira templi reverentia in latrone. 47
Latro omnes timet præter Deum. 222
Latrones leonibus peiores. 730
Milites ſæpe latronibus peiores. 749
Latrones timendi ſunt à ſingulis ab univerſis facile extirpantur, & cito. 223
Latrones feris ferociores. 833
In ſilvis non eſt hoſpes ab hoſpite tutus. 1
Iudex occiditur à reis. 626
Latrones ipſa nocte formidabiliores. 47
Spes pecuniæ facit homicidas. 24
Qui hominem occidit doloris ejus hæres eſt. 25

Lauretum.

Ex ipſa Lauretana æde in multa milliaria radij vibrantur in Imaginem B. V. 180
Architectus Lauretanus. 568
Domus Lauretana Nazarethi. 437
Lapides in laudem Mariæ loquuntur ubi homines tacent,

Ædes Lauretana Hergiſwaldi in Helvetia. 337
Ædes Lauretana in Valle viridi. 1023
Ædes Lauretana Niklſpurgi in Moravia, cum adjuncto templo nobiliſſimo. 185
Angeli Cuſtodes terrarum pugnant pro æde Lauretana. 1

Laus.

Lapides laudes Mariæ loquuntur, quando homines tacent. 7
Laudes S. *Bernardi.* 23
Virtus pugnarum ſuarum ſpectatores non petit alios, quàm Superos. 222
Qui commendatur à pietate in *B. V.* contentus his laudibus eſſe poteſt. 520
Ex ore infantium & lactentium perficitur laus Mariæ. 7

Lectio.

Ex lectione libri inventi, Iudæus convertitur. 107
Inventionis hiſtoria ſtatuæ *B.* V. legi ſolita ex libro peregrinis advenientibus. 379

Lectus.

Lectus, in quo curata à *B.* V. perſona ægra in templo exponitur per trecentos annos. 236

Legatus.

Dolet vehementer B. V. quando ſuis legatis non creditur. 239
B. V. infantes velut legatos mittit ad Sacerdotem. 236
Metus eſt in virum conſtantem cadens, offendere & vim inferre legato Deiparæ. 239
Non tantùm hominibus, ſed & Superis non licet legatum mittere, qui gratus & acceptus non ſit, ſiquidem factum velint, quod optant. 239
Merces factæ legationis mors ſubita, bona, promiſſa. 301
Paſtor à B. Virgine mittitur ad Epiſcopum. 144

Leo.

Leo propter viciniam imaginis B. V. cicuratus. 730
Latrones leonibus pejores. 730

Lepra.

Leproſorum pietas. 25
Templum leproſorum propter ſtatuam B. V. habet remedium febris, non lepræ. 678

Lex.

Imperijs cæleſtibus, ut legibus obedire bonum eſt. 760
Lex iniqua eſt, quæ prohibet peregrinationes. 537

Lepus.

Leporis occaſione magnum miraculum. 973

Liber.

Ex paucis libris antiqui plus profecerunt, quàm nos ex multis. 24
Liber ægris applicatus, miracula patrat. 1073
Bibliotheca S. Menradi conſtabat quatuor libris. 24
Libri mirabiles. 107
Sine libris perit antiquarum rerum memoria. 363
Cuſtodes hominum Angeli libros ſcribunt, qui olim aperientur in judicio particulari. 372
Bella ſunt peſtis librorum. 555
Hæreſis vorax ſacrorum librorũ. 115
Mors Martyrum Eccleſiæ profuit, excidium librorum Eccleſiæ nocuit. 125

Liberalitas.

Certant pij cum B. V. de liberalitate, ſed B. V. vincit. 672
Imperatoris liberalitas. 634
B. V. ſemper majora dat, quàm à nobis accipit. 672
Qui omnia dat B. Virgini, benè habet. 667
B. V. dat quod jubet ſummo ſolatio obedientium. 19
Poſt munera ſunt Superi liberaliores, ne ingrati videantur. 244
Liberalitas hominum nunquam præcedit liberalitatem B. V. plerunque tamen ſequitur, ſed non ſemper. 129
Mendicorum mira liberalitas in B. Virginem. 1087
Regia liberalitas Caroli V. in Nobiles familias. 1064
Ingenijs liberalibus, liberalitas eſt innata. 1021
Bis liberalis eſt, qui citò eſt. 170
Maria Virgo liberaliſſima. 101
Liberalitas S. Henrici. 1151
Nobilis & liberalis manus invitat *B.* V. ad miracula. 1032
Mira civium liberalitas. 893
Liberalitas fœminæ in Religioſos. 855
Fœminæ pauperi ob inventam imaginem *B.* V. miraculoſam, data ab urbe alimenta perpetua. 830
Inſignis liberalitatis exemplum 383
B. V. beneficijs ſuis ſpem noſtram & vota ſuperat. 243
Grata Virgini eſt ea gratitudo, quæ promiſſa ſuperat 121
B. V. nunquam parca in dandis beneficijs, dat menſuram ſupereffluentem. 144
Mirabilis liberalitas. 426
Si liberalitate in Deum pugnes, vinceris. 260

Liberi.

Felices liberi, quorum parentibus *B.* V. loquitur. 564
Conjuges, quorum majores & poſteri ſancti ſunt, non niſi ſancti, & ipſi eſſe poſſunt. 234
Beati conjuges, qui prolem futurum Deo & B. Virgini quotidiè offerunt. 234
Conjuges prolem petunt, ut tres ſint qui *B.* V. laudent. 240
Securi ſunt illi liberi, quos pià mater commendat *B.* V. 367
Liberi obſtant bonorum parentum bonis deſiderijs. 1194
Liberis beneficia, quæ acceperunt à *B.* Virgine, ſæpe debent parentes inculcare, ne eis memoriâ excidant. 265
Patris ſolicitudo pro filiâ. 651
Meritò parentes liberos meliores plus amant. 417
Parentes propter undecim filiorum immaturam mortem columnam B. V. ponunt in trivio, & hâc miſeriâ liberantur. 296

Libertas.

Catenæ ſunt ſignum libertatis. 128
Catenæ captivi mirabiliter ſolvuntur. 712
Quam libertas adimit rationem, eam captivitas reddit abundè. 65

Licentia.

Milites ſibi licere putant, quod prædonibus prohibitum eſt. 749

Lictor.

Ad Virginis honorem turpe non eſt, ſi vir honeſtus lictoris loco, reum detineat. 744

Lilium.

Ambit B. Virgo titulum lilij, quia inter ſpinas abjici ſuſtinet, & inter ſpinas reperiri exambit. 118

Linum.

Linum in agro jubente *B.* V. intrà noctem maturescit. 717

Lignum.

Lignum ferro durius. 660

Lingua.

Temeraria lingua in S ſtatuam punita. 904
Infans eloquens. 728
Infans vigeſimo ætatis die dicit *Ave Maria.* 234
Somnia loquitur, qui cum impio loquitur de rebus cæleſtibus. 120
Beſtia docet paſtorem orationes neceſſarias. 497
Libenter loquuntur de *Beata* Virgine,

F

ne, quos illa prævenit aliquâ gratiâ. 290
Statuæ B. V. loquentes, magnam ſemper pietatem in mentibus hominum ingenerârunt. 224
Lingua poſt mortem loquens. 1182
Statua B. V. lapidea ſalutat Monialem, inclinato capite, & longos miſcet diſcurſus. 761
Vix miraculo caret, ſi fœmina ſe aliquamdiu fingere mutã poſſit. 773
Exotica linguâ loquitur, qui cum mundano loquitur de rebus divinis. 720
Sine hominum contumelijs & ſarcaſmis pauci ſervire poſſunt Mariæ. 206
Marito, qui ad divina ſurdus eſt, bene abſcondit quandoque uxor, quæ divina ſunt, ſiquidem non niſi audituro dicendum eſt. 206
Fœmina muta. 103
Patibulum facit obmuteſcere puerum. 1064
Colloquium ſpirituale placet B. Virgini. 1063
Simplicis obedientiæ non otioſa verba fortius perſuadent, quàm ſperari queat à perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis. 181
Probat B. V. inclinato in imagine capite, colloquium ſpirituale. 280
Puer mutus jubetur à B. V. quærere eleemoſynam pro lampade. 389
Colloquium ſpirituale. 833
Lingua ante octo annos eruta, iterum reſtituta. 410
Ad primum B. V. apparentis verbum, omnis timor fugatur. 238
Magna humanus animus non capit, effundere in alios geſtit. 246
Linguæ infantium diſertæ. 167
Fœmina perorans. 358
Lapides loquuntur ſuo modo. 654
Ex utero mutus, qui nunquam didicit loqui, ad ſtatuam B. V. loqui doctus eſt. 696
Vox cæleſtis audita. 533
Olitor non importunà locutus fidem invenit. 214
Energumenus liberatus per longum ſpacium terram linguâ ſuâ lambit. 992
Colloquia Religioſorum ſunt temperamentum doloroſorum. 205
Infantia eloquens. 32
Principium boni, pium colloquium. 579
Lingua balbutiens curata. 5

Lis.

Jus trium obulorum ſi perpetuum eſt, non eſt omittendum. 929
Lites ſuadent, qui è litibus vivunt. 929
in lite vincit cauſa bona, ſi commendetur B. V. Valliſoletanæ. 227
Fœmina lites ſerit, & metit pœnam. 1091

Litaniæ.

Litaniæ ſabbatis cantantur. 697, 381
Litaniæ quotidianæ cantatæ. 244
Poſt Litanias ſabbatinas finem feſto ſemper faciunt tubicines. 236

Litus.

B. Virgo in littore maris cum luce in throno apparet. 208

Locus.

Tempus & locus ſemper ſuadent & perſuadent orationem miſeris. 458
Ex infami loco juſtitiæ, fit templum B. V. 741
Felix ille locus, ad quem B. Virginis imago quæpiam ſponte properat. 166
Virgo ubique potentiſſima licet ſit, plus tamen uno, quàm alio loco eſt benefica. 106
Ubicunque Deiparæ ſtatua locum eligit, terra ſancta eſt. 107
Grata ibi Deiparæ ſtatio eſt, ubi SS. Martyres dormitionem cum pietate ſuſceperunt. 107
Ille locus B. V. melius placet, in quo decentiùs colitur. 929
Imago B. Virginis cùm eligit locum, è quo bis abijt miraculosè. 1181
Mutatâ ſuperficie ambiente mutatur locus. 760
Locus ille ſanctus appellatur, in quo beneficia cæleſtia accipiuntur. 125

S. Lucas.

Imagines græcæ pictæ paſſim putantur pictæ à S. Luca. 293
Officina S. Lucæ. 356
Imago B. V. à S. Luca picta, à S. Jacobo Apoſtolo offertur. 209
Imagines tres notabiles à ſancto Luca pictæ. 410
Opus S. Lucæ. 942

Lucrum.

Nautæ majoris faciunt lucra, quàm pericula, quia hæc ſuſtinent propter illa. 730
Miraculum bis magnum eſt, quando lucroſum eſt, nam ſic etiam apud impios in pretio eſt. 242

S. Ludovicus.

Sancti Ludovici ingreſſus in Terram Sanctam. 1002
S. Ludovicus ſtatuam B. V. ex Ægypto in Galliam defert. 9
Bellum factum S. Ludovici in Terra Sancta. 854

Luſor.

Major luſoribus eſt audacia, quàm alijs. quia blaſphema lingua utuntur pro gladio, ſilice, pro globo catapultæ. 124
Ludus foliorum & cubulorum pro honore B V. ſopitus. 194
Salubrius impenditur pecunia in domum orationis, quàm in domum compotationis, melius in lucrum animæ, quàm in ludum aleæ. 112
Luſorum blaſphemiæ cælum implent. 408

Lupus.

Puella lupo rapaci erepta. 959

Lux.

Qui malè agit, odit lucem, ideò diem vertit in noctem, & noctem in diem. 29
Cerei ſponte accenſi. 24
Beatæ Virginis imago indicata fulgore cæleſti arâ domeſticâ honoratur. 156
Radius è cælo dat conſolationẽ. 238
Luce invitamur ad cæleſtia, tenebris ad terrena. 144
Imago odore cæleſti & luce ornata. 111
Fulgor cæleſtis in domo pauperis rarus, rarior in divite. 115
Cæleſtes fulgores exhilarant, non terrent. 115
Flammæ à templo B. V. aſcendunt ad cælum. 274
Radius cæleſtis in faciem precantis emiſſus, index eſt orationis aſcendentis. 238
Lux nocturna in arbore, ex qua olim erat ſuſpenſa ſtatua B. Virginis. 514
Lucem cæleſtem comitatur lætitia, uti tenebras infernales triſtitia. 240
Ingreſſurus lupanar, lampadem B. V. extinguit, ne videatur. 1035
Fidem, quam non invenerunt lumina cæleſtia, probarunt ſequentia miracula. 180
Amor cæcus cùm ſit, non videt ſuam ſalutem. 616
Fulgor cæleſtis imaginem B. Virginis illuſtrat in precantis favorem. 234
Lux cæleſtis imaginem renovat. 837
Radius è cælo B. V. imaginem in terram defert. 238
Septem lumina nocturna imaginem B. V. honorant. 483
Splendor cæleſtis in agro indicat latentem B. V. ſtatuam. 645, 144
Duo lumina velut duo ſoles imaginem B. Virginis defoſſam, indicant. 181

Fulgor cæleſtis illuminat pictam *B.V.* imaginem. 334
Imago Deiparæ in navi fulget ignaris vectoribus, videntibus tantùm, qui in littore fuêre. 258
Lumina felicia. 310
Duo lumina ſupra tectum templi indicant finem tempeſtatum. 310
Lumina mirabilia. 403
Lumina ambulantia. 318
Splendores nocturni & proceſſiones. 325
Splendores cæleſtes infra terram. 334
Luminibus cæleſtibus Sabbathis honorata imago. 274
Multum differt lux cæleſtis à terreſtri, propter fulgoris claritatem. 813
B. V. templo, quod petit, nomen dat de luce. 215
*V*el ruſtici cæleſtia & divina lumina ſciunt non eſſe Phænomena. 180
Talpa ſit ex inferni ſcrobe, qui ad lucem cæleſtem cæcutit. 280
Cæleſtis lux quantumvis amœna, tamen inſolentiâ ſuâ cauſat deliquium. 238
Splendor cæleſtis perforat arborem. 666

Luxuria.

Ut fœditas turpitudinis venuſtiùs ſordeat, ſtatuæ nudæ figurantur. 33
Faciei forma nociva animæ. 102
Horæ amorum ſunt, quæ deberent eſſe precum. 388
Filij Dei à filiabus hominum decipiuntur. 4
Libido inemendabilis. 194
Foras canes & impudici licet abacti, tamen redeunt. 961
*V*enus ſi nolit, à Marte cogitur. 961
Fatens *V*eneris Numen thus non meretur, licet thure indigeat. 303
Fæminarum lucrum plerunque voluptuoſum eſt. 1033
Pro Venere olim pugnabat tota Roma. 183
*V*enus ſive pro Dea habeatur, ſive pro Diaboli ſcorto, tamen æquè amatur. 183
Fæminas illi tantùm viri depereunt, qui pereunt, non alij. 616
In convertendis meretricibus B. V. opus eſt, facere miracula. 616
Felix, qui transfert amorem à meretrice in B. Virginem. 616
Veneris umbra Crucifixo fugatur. 348
Craſſiores ſæpe ſunt in urbibus, quàm in pagis amores. 16
Poſt expirata libidinis momenta, virginitatem ſuam deplorant è *V*irginibus factæ mulieres. 47
Lenones quandoque in urbe inconcinniùs ruſticantur, quàm ruſtici in pago. 16
Quid facies, facies Veneris ſi *V*eneris ante, non ſedeas, ſed eas, ne pereas per eas. 102

M.

Madritum.

Madritum urbs prima fuit, quæ ſe voto obſtrinxit defendendi Immaculatam *B.V*irginis Conceptionem. 1001

Magia.

Qui per magicas artes ſe exaltat, humiliabitur in hac & altera vita, 154
Theodorus magus mira patrat. 628
Veneficiorum remedium. 985
Qui miracula patrat de magia accuſatur. 832
Mali Principes delectantur artificiis magicis. 154
Ab imperitis magiæ adſcribuntur, quæ divina ſunt, & quæ magica ſunt, divinitati. 249

Magiſter.

B.V. inſtruit nos non tantùm in pugna ſpirituali, ſed etiam temporali. 241
S. Ignatius quæ didicit in monte Serrato Hiſpaniæ, docuit in monte Serrato Italiæ. 135
Imperiti & impij, quando in devotione peritos & pios volunt inſtruere, impietatē & imperitiam ſuam manifeſtant. 308

Magiſtratus.

Magiſtratus ſæcularis rogat Eccleſiaſticos, ut exponant populo ſtatuam B. V. 420
Pietas Magiſtratûs urbici. 91
Urbi proſunt, quæ publico Magiſtratus ære & auctoritate B. Virgini extruuntur ædificia. 235
*B*enè urbi conſulitur, quando Conſules B. V. dant claves. 587
Magiſtratûs præclarum exemplum. 568

Malitia.

Nox malis plura conſilia & occaſiones dat, quàm bonis. 388
Negligentia adhuc multum diſtat à malitia. 800
Homines, qui plus ſimplicitatis habent, quàm malitiæ, non deſpiciuntur à *B.* V. 387
Latrones leonibus pejores. 730
Qui dicunt ſe viſiones vidiſſe, ſæpe decipiuntur ipſi per ſimplicitatē, quàm decipiūnt ipſi alios per malitiam. 775
Non tenemur bona tacere, etiamſi mali mala exſugant, ut araneæ ſolent è roſis exſugere venenū. 387

Malta.

Auxilia cæleſtia Melitenſibus, per miraculum ſubmiſſa. 94

Mancipium.

Urbi prodeſt, ſi ſe cives omnes in mancipatum B. Virginis seriò dedant. 189
*V*irtus inaudita in mancipio. 983
Mancipiorum inſignis in B. Virginem pietas. 983

Manus.

Apoſtoli oſculati ſunt *B.V*irginis manus. 231
Scelesta manus cadaveris ſepulti ſemper eminet. 750
Manus *B.* V. picta tenet manum pictoris, ne cadat. 790
Dextra, quæ *B. V.* ſtatuam projecit in fluvium, illâ ſtatim die ita læſa eſt, ut per totam vitam eſſet inutilis. 304
JESULUS manu ſuâ Matrem defendit contra eum, qui voluit ſtatuam *B.* V, pugione vulnerare. 324
Manus ſtatuæ B. V. miraculoſa. 523
Manus ſtatuæ B. *V.* ſanativa. 1005
Latrones hoſti ſuo truncant manus. 686
Siniſtra manus miraculosè curata, plus probat, quàm dextera curans. 367
Manus JESULI avellitur à brachio, & manet in manu S. Gertrudis. 247
Pictori manus, ei qui locavit opus pictori, pedes reſtituit B. *V.* 133
Vnimanus porcularius. 367
Manus genam fricans ex imperio *B. V.* genæ adhæret. 806
Manus manui adhæret. 247
*B*laſphemus poſt tactam fulmine dexteram, manus dedit, & seriò pænituit. 125
Propter defenſas imagines S. Joan. Damaſceno abſciſſa manus. 30
Judæo manus truncatæ & ſanatæ. 435

Mare.

Nautæ multò ineptiores ſunt ad divina, quàm qui terras inhabitant. 188
Potentiſſima temora. 150
Statua Deiparæ ſine remo & remige in ſcapha porticum intrat, nec unquam compertum, unde venerit. 140
Mare eſt cauſa & occaſio multorum bonorum operum. 460

Mare multa vota à vectoribus extorquet. 632
Beatus, qui cum *B.V.* in eadem navi navigat. 792
B.V. naufragis propitia. 1060
Quando in mari nautis erepta cum arte mens eſt, adhuc refugiũ eſt ad Stellam Maris Mariam *Virg.* 258
Naufragus exauditus. 1039
Mare infidum. 128
Cineres S. Joannis *Baptiſtæ* perpetuo miraculo ſemper mare quietant. 258
Claſſis navium formidanda. 944
Maria Caribdis Domina. 270
Natans *B.V.* ſtatua marmorea. 157
Mauri propter ſtatuam *B.V.* demerſam puniti, eam ornant. 409
Navis remora, ſtatua B. *Virginis.* 376, 148, 455.
Imago B. *V.* turbulento mari monſtrata, id pacat. 270, 801
Imago picta triduo in aqua marina jacet ſine damno. 486
Felix Regio, in quam per mare per terras confluunt imagines *B.V.* miraculoſæ per miraculum. 119
Imago *B. Virginis* ventis dominatur & mari. 44
Excenſio navalis. 1002, 1004
Hodie Scylla & Charibdis propter duas *B. Virginis* imagines miraculoſas non amplius naves infeſtant, niſi permittente *B.V.* 267
Natatio miraculoſa. 100
Repentina cæli ſerenitas, & maris quies nunquam uno miraculo contingunt. 119
B. *V.* in tempeſtate videtur ſuper aquas mari imperare. 787
Spoliantes ſacellum *B.*V. pereunt in mari. 749
Mare innoxium. 70, 537
Mare facit duros. 288
B. V. Scyllæ Domina. 270

MARIA.

JESUS, MARIA, JOSEPH SSS. Trinitas creata. 101
*B.*V. vult cauſas ſuas armis decidi & prælijs. 154
Apoſtolos imitabitur quiſquis iter facturus à *B.*Virgine petet benedictionem. 231
B.V. viva Ieroſolymis in Hiſpaniam ab Angelis translata Cæſaraugustam ad S. Jacobum. 231
B. Virginis ira quievit poſt ſuſpendiũ duorum blaſphemorum aleatorum. 173
Hodie non niſi permittente Deiparâ Scylla & Charibdis naves abſorbent. 269
Apoſtoli diſcedentes in mundum univerſum, acceperunt à *B.V.* benedictionem. 231
Lapis, in quo *B.V.* ad ſolem in Ægypto ſiccavit pannos. 439
B.V. laboribus omnia vendit. 974
B.V. laborantibus pro ſuo honore collaborat. 125
B.V. cum lachrimis petit ſibi ædificari habitationem. 177
Nunquam ſine mercede eſt, qui pro honore *B.V.* laborat. 125
B.V. eum locum elegit, è quo bis miraculosè diſceſſit. 118
Locus Conimbricæ in monte celebris, in quo *B.V.* locuta eſt S. Iacobo Apoſtolo 107
B.V. ſemper noſtra eſt nunquam adverſariorum. 352
B.V. factum pium, ſed imprudens, felicitat miraculo. 123
Voto Virgini facto, nemo unus peſte moritur. 122
B. Virgo miraculo oſtendit, quòd velit à nobis vindicari injurias ſuas. 108
B.V. deſiderium collium æternorum montibus & collibus amica. 160
B.V. eſt Regina Cæli, & tempeſtatibus dominatur. 145
Felix, quem *B. Virgo* alloquio ſuo dignatur. 144
Suſtinet Deipara ſuos vulnerari, ſed eos ſtatim & ſine dolore curat, ſi quidem in cauſa Mariana patiantur. 144
MARIA plus nobis dat, quàm nos petimus. 101
Pictura, quam ipſa *B.V.* fecit, ſuperat artem pictorum. 236
B.V. perficit ſibi laudem ex ore infantium. 154
B.V. abſente ſtatuâ ſuâ, ipſa in ſede ſtatuæ apparet. 144
B.V. viva ex urbe Ieroſolyma in Hiſpaniam translata & reducta. 231
Apud pios unum beneficium *B.V.* facit ſpem plurium, & apud impios plura beneficia non faciunt ſpem unius. 38
Pietatis veræ individuus comes eſt favor *B.V.* 430
Capillos ſuos ipſa B.*V.* in muro adeò ad verum pinxit, ut credantur eſſe veri. 236
Quos ſemel deſerit *B.V.* ſemper deſerit. 806
Inter *B.V.* & paſtores eſt vera amicitia, quia diuturna. 160
Pietas quædam eſt quandoque reverenter obſiſtere Deiparæ petitis. 301
B.V. dat, quam mundus non poteſt dare pacem. 124
B.V. curat S. Martino Epiſcopo ſua vulnera. 481
Quis ſenſum Dominæ novit, aut quis Conſiliarius ejus fuit. 438
De *B.V.* tranſitu ex hac vita. 435
B.V. reſalutat S. Bernardum. 23
B.*V.* cultores ſuos à longè vocat. 27
B.V. eſt centrum lucis. 215
S. Bernardus vit ſecundùm cor MARIÆ. 23
Ejus eſt *B.* V. cujus ipſa eſt. 35
B.V. veſtigia in arena. 399
B.V. conſilia ſemper mitiſſima. 16
Manus MARIÆ potens, quia tenet manum punientis filij. 977
S. Bernardus paſtus à vulnere IESU, lactatus ab ubere MARIÆ, neſcit quò ſe vertat. 23
Veſtigium B.V. in terra. 512
B.V. diligentes ſe diligit. 88
Cultus *B.V.* non impediendus. 521
B.V. nunquam gratis honoratur. 984
B.V. partum facilitat. 982
B.V. nomen prima infantis vox. 982
B. *V.* montis viridis titulum ipſa dat loco. 317
B V. dubitantium aſilum. 1078
B.V. jubet ſtatuam ſuam in medio templi collocari, memor Filij, qui voluit & ipſe in medio templi inveniri. 264
B.V. cogitat cogitationes pacis, & non afflictionis. 1078
B.V. Latinæ Eccleſiæ plus favet, quàm Græcæ. 1030
Felix, cui ſomnia obtingunt de *B. Virgine.* 177
B.V. nunquam ſibi gratis honorem exhibere ſinit. 940
B.V. ſodalitate ſeptem dolorum honoratur. 940
Si *B.* V. imperat homini, faciet ipſa, ut faciat homo. 69
B. V. ultra triduum filio ſuo carere non poteſt. 348
Ad primum B. V. verbum omnis timor fugatur. 238
Veſtigia B.V. in lapide. 416
Opus Phrygiũ, quod *B.V.* facere monialem docuit, durat ultra ſæculum. 190
Major eſt inimicitia inter aleatorem & *B. Virginem*, quàm inter ſerpentem & mulierem. 124
B.V. monet adeſſe hoſtes. 548
De *B.* V. Capillis. 195, 196, 197, 198
Imag. *B.V.* fidei Chriſtianæ coæva. 303
B. V. apparens, bonis ſtatim adimit timorem. 721
B.V. nobis ignorantibus, pro nobis pugnat. 739
B.V. benefica Regibus eſt, non Tyrannis. 937
B.V. apparens ſupra fanum Ethnicũ, dat victoriam. 223

Quando rerum Marianarum ſcriptores non reperiuntur, & picturas B. V. ſinit perire. 125
Qui non relinquit Patrem & Matrem propter B. V. non eſt eâ dignus. 103
B. V. in templis parvis majora conferre beneficia, quàm in magnis, praxis habet. 291
Templum Lauretanum Romæ, ſed S. Domui diſſimile ſtetit quinquaginta tribus millibus ſcutatorum. 168
B. V. amicis ſuis amicos facit. 610
B. V. averſatur domus eorum qui ſe non colunt. 755
B. V. jubet reponi ſtatuam antiquam. 395
B. V. Peccatorem equitem ipſa ad ſuos reducit. 1168
B. V. invocata facit invulnerabilem fœminam. 855
B. V. accuſat hoſtes ſuos apud Filium. 1091
B. V. ſedes Bruxellis. 731
Cujuſcunque obſequij noſtri apud B. V. merces certa. 851
B. V. fit omnia omnibus ut Chriſtum lucri faciat. 846
B. V. levem cultum magno munere penſat. 914
B. V. glorioſum eſt ſtare ubi hoſtis jacet. 910
B. V. ſponſam eligit Hermannum. 909
B. V. viſa agere currum. 907
B. V. reperitur etiam à non quærentibus. 844
B. V. Filo templum deſignat. 721
B. V. apparet cum duabus legionibus Angelorum, & Virginum. 897
B. V. apparens extinguit incendium. 1076
Suaviter in terra conſidet qui per aërem B. V. SS. manibus portatur. 173
B. V. viſa preces matutinas pſallere. 231
B. V. quando linceos non habet homines mittit cæcos ad inveſtigandas ſuas ſtatuas. 286
Quem manus Deiparæ protegit manus humana offendere non poteſt. 598
B. V. ſpecie columbæ apparet ſupra crucem. 597
B. V. Sacellum ad tres fontes Romæ putatur fuiſſe ſecundum templum Urbis Romanæ. 328
B. V. docet honorare Sacerdotes. 918
Neptunus Mariæ Virgini ſubjectus. 1022
Si apud B. V. non eſt acceptio perſonarum, quare toties ſimplices ruſticos eligit pro honore ſuo promovendo? 170
B. V. Sacerdos honorat. 918
Res mira, quòd humana prudentia, nunquam eloquentior ſit, quàm cùm eos perſequitur, qui amore perſequuntur B. V. 207
Septem Sacella velut Turres circa templum ſeptem dolorum B. V. 207
B. V. apparens fontem monſtrat pro exercitu. 646
Rarus eſt, qui ſine bonorum perſecutione (quæ ex mente S. Thereſiæ omnium maxima eſt) B. V. honorem ad plures propagavit. 207
Sunt qui omnia vitia in ſe, & in alijs prudenter diſſimulant, & charitativè excuſant, tunc ſolùm ſcrupuloſè aſperi, & aſperè ſcrupuloſi cùm B. Virgini honor quiſpiam exhibendus eſt. 207
B. V. nunquàm parcâ in dandis beneficijs, ſemper dat menſuram coagulatam, & ſupereffluentem. 144
Quibuſdam omnis Deiparæ honor, ſudes eſt in oculo, hoc plerique non credunt, & tantum illi ſciunt qui experiuntur. 207
Boni omnes in ſubitis periculis Mariam invocant. 207
Quando B. V. apparens, & imperans ſpernitur, ſuo loco mittit Angelum non tamen antequam injuriæ ſit oblita. 206
Cæleſtibus B. V. imperijs cito obedire conſultum eſt. 760
Dolet B. V. quando ſuis legatis non creditur. 239
Peccatores ex Matre miſericordiæ faciunt matrem miſeriæ. 939
Cingulum argenteum B. V. dat pauperi, ut offerat id in altari. 622
B. V. doloribus ſuis ſolatur dolores noſtros. 915
Beatus homo qui officium campanæ facit, & vocat homines ad cultum B. V. 160
Juvat B. V. concionatores, quando de ea colenda loquuntur. 108
De lacte Beatæ Virginis. 459
Unâ columnâ nititur tota Hiſpania. 231
Deſiderium collium æternorum B. V. è collibus perpluit homines beneficijs ſuis. 125
Inimici hominis domeſtici, ejus qui quidpiam ſuſcipit ad Deiparæ honorem. 133
B. V. apparens honorat Statuam ſuam. 367
B. V. pro templo ſuo ipſa crucem figit in loco altaris. 399
B. V. ligatum ad arborem ſolvit. 257
Quem B. V. diſcipulum in virtute inſtruit, ille magiſtro alio non indiget. 222
Plus B. V. docet dormientem diſcipulum quam magiſter quivis vigilantem. 222
B. V. ſupplet viribus ſuis deſideria noſtra. 752
B. V. à dæmone ad ſex milliaria abreptum liberat. 1168
B. V. foſſam ducit ſurculo qualem ſarculo vix robuſtus poſſet. 35
Fons B. V. in Ægypto. 439
B. V. ſuos nec in fluviorum nec in peccatorum aquis ad fundum ire permittit. 146
Infans quem B. V. in utero matris adoptavit in filium felicitat domum paternam. 234
B. V. apparenti non creditur ſine miraculo. 297
B. V. gratias agit pro rebus ibi à ſomniante donatis. 177
B. V. agit gratias Sacerdoti. 605
B. V. ad conſuetudinem Filij requieſcit ſuper pauperem, & humilem. 157
B. V. Angelis imperat, quod homines facere recuſant. 301
Vir nobilis B. V. hæredẽ inſtituit. 236
Jesuitus Mariam defendit. 324
Exercitus mille Angelorum datus B. V. à tempore Conceptionis Chriſti. 231
B. V. S. Iacobum Apoſtolum inſtruit Granatæ in monte. 107
Quæritur contra injuriantes B. Virgo. 232
B. V. infantibus favet. 1008
Sine hominum ſarcaſmis, & contumelijs pauci ſervire poſſunt B. Virgini. 206
B. Virginis exilium. 279
B. V. monſtrat ubi ſtatuæ inveniendæ, & collocandæ. 52
B. V. apparet in throno. 208
B. V. invocata liberat à patibulo. 704
B. V. imperat puellæ, ut ſe diſponat ad monaſterium. 232
B. V. puero imperat, ut ſe diſponat ad Sacerdotium. 232
S. Martha B. Virgini adhuc vivæ ædificat templum. 477
Cur prohibitum ſit in Italia ædificare Sacella Lauretana, Lauretano ſimilia. 168
Qui eſt in ſervitio B. V. non, læditur à lupo. 1055
Non novum eſt, quòd B. V. apparsua

ſolo intuitu integras acies terreat. 219
B. V. vicem ſubit fœminæ dormientis in templo. 564
B. V ſubit vicem Monialis Apoſtatæ. 615
B. V. Sermocinatio eſt cum ſimplicibus, etiam ringentibus cæteris, ita Filium imitatur. 134
Altare ſuum B. V. ornari vult arte phrygiâ, quam ipſa docuit. 190
B. V. quod jubet, juvat, ut fiat. 1040
B. V. bellum in annos duraturum, conſilio ſuo finitum dat uno die. 222
Terribilis Mariæ ſtatua ut caſtrorum acies ordinata. 153

Maritus.

Ex marito accuſator, teſtis, judex, carnifex factus Iudæorum ſententiâ. 175
Pia uxor maritum cordatè reprehendit propter venditam B. V. Imaginem. 156
Maritus prudenter paret uxori, pia ſuadenti. 743
Nova ſponſa novas marito cogitationes inducit. 177
Imperium mariti ſtultum. 743
Maritus malus uxoris bonæ. 144, 40
Maritus qui fit, non eſt amplius qui fuit. 177
Marito, qui ad divina ſurdus eſt quandoque uxor bene abſcondit, quæ divina ſunt, ſiquidem non niſi audituro dicendum eſt ex mente legum. 206
Sæpe uxor bene, & prudenter obedit quando maritus imprudenter, & ſtultè imperat. 206
Uxores bonæ à maritis malis afflictæ auxilium habent apud B. Virginem. 916
Uxor maritum mortuum luget in veſte lugubri, quam à B. V. accepit. 156
Mulier ſub inſano marito ſana eſſe nunquam poteſt, etiamſi nunquam ægra ſit. 40

S. Martialis.

S. Martialis Chriſti diſcipulus. 522

Martyrium.

Apoſtolatus ferè ſemper coronatur Martyrio. 67
Caſtitas Martyrio conſecrata, & ſacrificata coram altari. 136
Virgo Crucifixa. 957
Cæcitas curatur ad ſepulchrum Virginis pro caſtitate occiſæ. 1198
Perſecutio Martyrum Eccleſiæ profuit, perſecutio librorum Eccleſiæ non profuit. 125
Grata ibi Deiparæ ſtatio eſt, ubi SS. Martyres dormitionem cum pietate acceperunt. 107
Martyrium Chriſtus promittit pro mercede prædicationis. 650
Mons Granatenſis Martyrum ſanguine ſanctificatus. 107
Moniales pro fide combuſtæ. 103

R. P. Franciſcus Maſtrillus.

Maſtrillianæ Familiæ Imago B. V. perantiqua. 982

Mater.

Nomen infanti à B. V. datur adhuc in utero matris 234
Matris doctrina filio utilis. 1002
Securi ſunt illi libri quos Mater commendat B. V. 267
Infans felix per Matrem bonam. 1005
Matri lac miraculosè reſtitutum. 1008
Matrum orationes pro filijs, ut ferventes ſunt ita & efficaces. 146
Felix, qui matrem habet bonam. 1002
Liberi quandoque parentibus ſunt prudentiores. 103

S. Maternus.

S. Maternus qui fuit filius viduæ à Chriſto ſuſcitatus ſtatuam B. V. ſculpi fecit. 565, 875

Matrimonium.

Honeſta imparis matrimonij cauſa. 120
Malè pater cogit filium ad nuptias. 740
Malè dicitur procus rapuiſſe filiam ſi rapta eſt, quæ te ſponte ſecuta fuit. 47
Matrimonia ſceleſta. 47
Dos fœminæ loco in uxorem ducitur, & fœmina dotis loco accipitur 40
Conjuges mirè concordes. 667
Amore B. Virginis ſponſus ſponſam deſerit. 1098
Merces cultæ Imaginis matrimonium bonum. 789
Quam B. V. vult ſolitariam eam parentes volunt ſocialem, & viro junctam. 318
B. V. eſt conjugum refugium. 71
Matrimonium diu ſine prole ſuſpicionem facit ſterilitatis. 234
Rariùs maritus bonus convertit uxorem malam, quàm uxor bona maritum malum. 916
B. Virgo felicitat conjugia. 551
Fuga matrimonij à B. V. ſuaſa. 928
Rex Ungariæ ante nuptias ſponſam dimittit juſſu B. V. 928
Virgo nobilis naſum, & labia ſibi abſcindit, ne cogi poſſit ad nuptias. 740
Imago B. V. honorata dat ſterilibus prolem bonam, & hoc ſæpius. 234
Sterilium conjugum B. V. hæres. 2
Impar matrimonium. 120

Maurus.

Statua B. V. à Mauris tolerata. 901
Urbs recepta à Mauris ope B. Virgo. 644
Mauri propter Statuam B. V. demerſam puniti, eam deinde ornant. 409

Medicina.

Suſtinet Deipara ſuos vulnerari, ſed eos ſtatim, & ſine dolore curat, ſi quidem in cauſa Mariana patiantur. 144
B. V. curat Sancto Martino vulnera caſu ſcalarum accepta. 481
B. V. remedium exercet. 930
Remedium peſtis à principe inventum. 122
Tibia carens ambulat inuſitato, & inaudito miraculo. 209
B. V. ſuadet cauteria contra dolorem captis. 1007
Teſtimonium Medicorum in miraculis requiritur. 431
Humanâ opus non eſt, ubi medicina cæleſtis adhibetur. 30
Quod ferrum non curat, curat ignis. 61
Pharmacopeum pro pecoribus. 195
Morbi congeniti non niſi ſolâ morte curantur. 377
Deipara medicinam exercet. 915

Medium.

B. V. jubet ſtatuam ſuam in medio templi collocari, Filij ſui memor quòd & ipſe in medio templi inter Doctores ſe collocavit. 264

Memoria.

Propter perpetuam memoriam origines rerum piarum prudenter à majoribus pictæ ſunt in parietibus, & feneſtris templorum. 760
Qui miſer eſt, vix meminit ſe unquam fuiſſe felicem. 717
Peccata præterita remiſſa ope B. V. è memoria excidunt. 247
Liberis beneficia B. V. ſæpe inculcanda à parentibus ne memoriâ excidant. 267
Proſperitas miſeriæ præteritæ memoriam obliterat. 717
Nominari in terra non meretur cujus nomen in cælo ſcriptum non eſt. 305

Se-

Sepulta templa ut ſepulti homines memoriam ſui perdunt, 206
Memoria peregrinorum non ſemper domi eſt, ſæpe peregrinatur: hinc eorum dubia fides. 730
Templa quandoque ita negliguntur ut nec eorum memoria ſit, 206

Mendacium.

Morituri non mentiuntur. 1007
Dæmon in energumenis raro non mendax, 4
Infantes mentiuntur ſed indoctè. 62
In fœmina muta adhuc frons, oculi, vultus, mentiri poſſunt. 773

Mendicitas.

Mendicorum liberalitas in B. Virginem. 1081
Sub ſordido palliolo ſceleſta impietas. 1003, 1103
Mendicus ſtatuam B. V. in flumen abijcit, redeuntem oſſulatim confringit. 1103

S. Menradus.

Bibliotheca S. Menradi quatuor libris conſtabat. 24

Menſa.

Aleatoribus ſæpe pro menſa timpanum eſt. 289

Menſis.

In honorem novem menſium B. V. lampades argenteæ novem B. V. appenſæ. 244

Mercator.

Converſio mercatoris res inſolens eſt. 426
Mercator pretium rerum piarum, quia ignorat pretium, non auget, ideo Simoniacus non eſt. 755
Nundinæ in jugo montis. 84
Mercator lampadem argenteã B. V. dedicat maximam totius orbis. 497
Mercatio infelix. 156
E ruſtico fit mercator. 1031
Mercator pius. 89
Emptor iniquus perdit rem & ejus pretium. 822

Merces.

Nunquam ſine mercede eſt labor, qui pro Deiparæ honore ſuſcipitur. 125
Merces non danda ante opus. 339
Nemo Virginem honorat gratis. 235
Merces in corona. 110
B. V. honores ſibi promiſſos licet adhuc nondum præſtitos, rependit miraculoſâ ſanitate. 133
Militibus Chriſtianis hodie nulla ſpes quietæ ſenectutis eſt, ut olim apud Romanos. 198
Merces cultæ imaginis Marianæ matrimonium bonum. 789
Chriſtus pro equo dat imperium Romanum. 1
Chriſtus pro anno dat ſæculum. 1
Merces unius boni operis devotè peracti deſiderium alterius peragendi, 177
Hoſpitalitatem B. V. largè remuneratur. 730
Nemo Virgini ſervivit, qui mercedem non acceperit. 203
Regnum Hiſpaniæ merces pietatis Auſtriacæ. 940
Brachium à flamma illæſum in mercedem exportatæ ſtatuæ B. V. 46
In mercedem miraculi crediti, agri licet alijs mixti, & grandine pereuntibus manent illæſi. 249
Gratia meritum ſequitur, ut merces laborem. 137
Duodecim Virgines propter obſequium B. V. præſtitum, ſalarium accipiunt, 260
Nihil ſine mercede etiam ſuperis facimus. 286
Religio operæ præſtitæ pretium. 1026
Tabernaculum pro Icone B. V. factum gratis à Michaele Angelo honorata. 578
Merces victoriæ Regnum. 1003
Nihil gratis fit B. Virgini. 789
Multa nobis cælites promittere debent, ſi vel pauca à nobis haberevelint. 125
Cur Deipara non ſemper levia obſequia maximis gratijs compenſet ipſa ſcit. 260
Primi in ſervitio, primi in mercede apud B. V. 252
Honor merces pietatis. 1157
Merces in corona. 110
Facile obediunt quibus aurea manus, & aperta imperat. 703

Meretrix.

Meretricibus non tantum ij utuntur, qui mala majora propter eas committunt, ſed ij etiam qui nunquam de ijs cogitarunt. 194
Quod alijs eſt medicina, alijs eſt ruina, ſi tamen eſt medicina illud quod malum gravius, ut caveat malum minus inducit. 194
Peccatis urbs obnoxia eſſe creditur quæ ad ea vitanda tam magna meretricum mala tolerare cogitur. 194
Ex loco delicti factus eſt locus pœnitentiæ, ex proſtibulo monaſterium, 695
Fornices olim meretricum, & luſorum fora fuere. 124
Ex antiquis carceribus fit dignum meretricibus proſtibulum. 334
In medio inimicorum ſuorum non dominatur, quamdiu ad præſentiam Imaginis ſuæ nulla meretricum convertitur. 194
Ecce moritur ſæpe juſtus, & nemo eſt, qui percipit corde, & impio ſcorto celebrantur annui ludi. 182
Flora licet millies deflorata tamen in pretio eſt. 182

Meridies.

Meridies ante meridiem propter montes. 312

Meritum.

Prodigalis Deipara videretur, ſi favorem omnem in ſolos immerentes profunderet, & ſuos negligeret. 220
Militibus Chriſtianis hodie propter merita, nulla ſpes quietæ ſenectutis eſt ut olim apud Romanos. 198
B. V. glorificantes ſe, glorificat, pro mercede. 727
Ita ut merentur, aſpicit Virgo eos, qui eam intuentur. 312

Meſſis.

Pro bona meſſe utiliter invocatur B. Virgo. 1044

Metallum.

Ferrum malleo durius. 573

S. Michael.

Sacellum S. Michaelis in templo S. Petri Romæ. 126
S. Michaelis lætitia. 150
S. Michael eripit hominem de manu dæmonum. 1168
S. Michael Deiparæ chorus. 1186
Imago B. V. ter locum mutat de uno templo in alterum S. Michaelis. 258
Platea S. Michaelis. 907
Templum S. Michaelis in nubibus. 2
S. Michael inſtruit puellam Aurelianenſem ad bellum. 492
B. V. apparet cum S. Michaele S. Bernardo. 11, 86, 1186

Miles.

Militibus Chriſtianis hodie nulla ſpes quietæ ſenectutis eſt, ut olim apud Romanos. 198
Milites ſpoliantes Sacellum B. V. pereunt in mari. 749
Qui vult impiè, & impunè vivere miles ſit neceſſe eſt. 749
Ex militibus ſæpe fieri latrones antiquum eſt. 939
Statua voce & capitis motu ſignificat tyrannidem ſibi non placere. 136
Milites quotidie Imaginem B. V. flexis genibus honorant. 509
Infans gladiatus, 32

E milite concionator. 1166
Confraternitas militum Immaculatæ Conceptionis. 20
Ex milite non malo fit latro non bonus. 609
Milites ſæpe latronibus peiores. 749
Milites ſibi licere quandoque putant quod latronibus vetitum eſt. 749
Homo malus, miles bonus. 599
Miraculum in milite. 521
Incuria militaris. 521
Miles pius. 77
Cadente Duce milites non ſtant, ſed aut jacent aut currunt, 605
Religioſus felix miles. 955
Aulicus ſequitur abundantem, miles ſequitur dantem. 754
Natura amplius tam potens non eſt ut milites tam multos tamq; fortes procreare poſſit ut olim. 845
Initia pietatis à milite. 1092
Ex milite Religioſus. 854.85
Vita & mors militis ſæpe in teſſeris latent. 289
Ludo & teſſeris amici milites, quia quotidie teſſeram audiunt & loquuntur. 280
Sacellum *B. V.* in domo militis. 564
Milites plerique pauca ſtipendia. & multa vulnera domum referunt, ſi boni ſunt. 34
Milites pij. 45
Non refert à quo milite amico vel inimico ſpolieris, quando utriuſque eadem auri fames eſt. 425
E turbulento milite modeſtus Religioſus. 465
Aliqui mori optant, modò vincant. 468
Miles ſi luſor, ſi blaſphemus, ſi hæreticus eſt, habet non tria, ſed quatuor cappa cachiſta. 327

Minæ.

Minæ dæmonis timendæ. 4
Minæ infantis. 136
Statua Jesuli digito ori impoſito militem conatur abſterrere à ſcelere. 136
Minæ *B.* Virginis. 297
Minæ ſubditi contra principem, ſemper in caput ſubditi redundant. 267
Minis ſerijs ſeriò reſpondendum. 951
Minæ quamdiu intra verba ſtant, rideri poſſunt. 961

Miraculum.

Statua *B.* V. ſine remo & remige in ſcapha portum intrat, nec unquam reſcitum unde. 140
B. V. miraculoſe reſtituit pictori manus, locatori pedes. 133
Per mare natat ad litus marmorea B. V. ſtatua. 157
Manus Jesuli avellitur, & manet in manu S. Gertrudis. 247
Manus B. *V.* picta tenet pictorem ne cadat. 790
Qui miracula patrat, magiæ accuſatur. 832
B. Virgini apparenti non creditur ſine miraculo. 297
Suaviter in terra conſidet, qui per aërem portatur ab ipſa B. *Virgine.* 175
B. V. filo templum deſignat & filum relinquit. 721
B. V. invocata facit invulnerabilem fœminam. 855
B. V. peccatorem equitem ad ſuos è periculo reducit. 1168
Opus Phrygium quod B. V. Monialem docuit, durat plus ſæculo 190
Ruſtici bene judicant de aliquibus miraculis. 1085
Miracula etiam inter rudera templi durant. 1079
Antiquæ & ſtatæ annuæ proceſſiones antiqua miracula arguunt & probant. 201
Oleum fluxit ipſo Nativitatis Chriſti die non uno anno ante. 198
Lapis redintegratur quantumvis fruſtillatim aſportatus. 510
Lapis pro honore B. *V.* ſe paulatim in altum tollit. 103
Equus cum equite lapideſcit. 710
Lapicida quos ictus lapidi intentat eos ſibi infligit. 416
Lampas pluribus annis ad honorem SS. Capillorum ardens. 1003
Lampas ſponte accenſa. 407
Aqua pro oleo ardet. 292
Statua B. V. dat in vultu lætitiæ & triſtitiæ ſigna. 288
Lachrimæ ſanguineæ è ſtatua. 716
Lac miraculoſe matri reductum. 1005
B. V. ſuſcitat de terra inopes, & de ſepulchro mortuos. 209
Templa in montibus B. V. grata ſunt, & facile fiunt miraculoſa. 209
In muto pium miraculum. 1401
B. V. Imagines ſi ſunt miraculoſæ publicè exponi geſtiunt. 18
Miracula durante proceſſione. 898
Libellus precatorius Regiæ perſonæ meretur inter cimelia templi conſervari. 153
Statua B. V. creditur creviſſe. 319
Crux in pectore fœminæ à B. V. formata miraculoſo artificio, & miraculo artificioſo. 134
Injuria *B. V.* ſtatuæ facta plectitur rigore brachij. 103
Fortitudo in ſexu debiliore duplex miraculum eſt. 740
Miniſter hæreticus morte ſuâ auget miracula Mariana. 155
In medio pſallentium choro mortuus monachus reſurgit. 934
Si ſuperis non habetur fides, niſi miraculo ſua dicta probant, quomodo nobis credent ſuperi, quando operibus non probamus dicta noſtra? 206
Templa quæ ipſa B. V. petijt, omnia ſunt miraculoſa. 208
Reliquiæ exiſtimatæ faciunt miracula. 721
Miracula ex reliquijs, etiam falsò creditis. 721
Panis niger fit albus. 720
Ex ipſa Lauretana æde in multa milliaria radij vibrantur in Imaginem B. V. 180
Linum in agro intra noctem matureſcit. 717
Miracula ad ſtatuam B. V. facta centum annis antequam naſceretur. 10
Ad hæc verba *Domina ego à te ſola expecto ſanitatem*, ſtatim ſanitas ſecuta eſt. 375
Primos favores acquirunt, qui primi pietatem fovent. 246
Epiſcopi in approbatione miraculorum cogi nec debent nec poſſunt. 17
B. Virginis miracula recenſentes ridentur. 19
Seipſis fortiores fiunt, quos Deipara animat. 19
Non omnia mira, ſunt miracula. 17
B. V. primum miraculum confirmat per ſecundum. 236
Qui vult continuari miracula nihil mutet in antiquis ſacellis. 776
Virgines duodecim ſingulis annis offeruntur B. V. futuræ moniales. 405
Cereus in orbem ſe agens. 429
Stillata ex hac cera etiam ardet & non conſumitur. 112,158
Miracula in anima majora ſunt quàm miracula in corpore. 114
Miraculum fit impio, ut convertatur & vivat. 751
Maximum miraculum perverſi peccatoris ſpontanea, & conſtans converſio. 222
Mauri etiam viſo miraculo non convertuntur. 409
Creſcentibus numero miraculis facile è Sacellis fiunt templa. 18
Quibus gradibus creſcit populi in *B.* V. pietas, ijſdem gradibus creſcit B. V. in populum favor. 18

Etiam

Etiam ablatâ ſtatuâ in loco fiunt miracula. 18
Tollens imaginem ex arbore immobilis ſtuper. 18
Tecti & tacti linteis benedictis, ſanantur. 832
Templum à flammis immune. 401
Crocodilus repetito natatu, Hiſpanis indicat imaginem Beatæ Virginis. 801
Inſolita omnia tardè fidem inveniunt. 25
Quò pauciora miracula petimus, eò plura obtinemus. 1186
In feneſtris hærent ſagittæ, nec quidquam expugnantes templum B. Virginis. 288
Reo facies turpatur, pænitenti reſtituitur. 747
Faciem ſtatuæ B. V. peccatores quaſi velo tectam vident. 171
Grandinis lapides in altari B. V. mutantur in criſtallum. 1171
Miracula illa Beatæ Virginis glorioſiſſima ſunt, per quæ miſerrimi vel in corpore, vel in anima curantur. 269
S. Statua defendit coronã ſuam. 229
Quandoque miracula hominibus deſunt, quandoque homines miraculis. 111
Hæretici indigni ſunt, ut per miracula convertantur. 63
Hæreticus percutiens cæcum Catholicum, huic viſum dat, ſibi adimit in templo Beatæ Virginis. 225
Hæretici parentes filium quinquennem cæcum, voto facto, videntem è templo domum reducunt. 419
Statua B. V. quando poſt hæreticam templi totius vaſtationem illæſa manet, miraculum eſt. 221
Mariana & miraculoſa auxilia hæreſis videt, & invidet Catholicis. 172
Indigna hæreſis eſt, ablatis à B. V. miraculoſis auxilijs. 172
Mirus cæci hæretici ſucceſſus. 70
Miracula B. V. facit hæreticis materialibus, non formalibus & ſcientibus. 273
Hæretici formales miracula audientes non audiunt, & videntes non vident. 155
Herba ad imaginem B. Virginis quotidie decerpta, quotidie recreſcit. 714
Animæ querelæ ad Deiparam erectæ, ſine oratione, ſine voto, ſanant ægrum. 377
Etiam novæ imagines miraculis aptæ. 1044
Spes in Reliquijs Chriſti & B. V. ad miracula facienda. 111
Miraculum impio & hæretico nec per mille teſtes probatur, etſi aliàs in ore duorum aut trium teſtium ſtet omne verbum. 288
Sodomita pænitens à B. V. è flammis liberatur. 741
Infans ſuſcitatus ad baptiſmum. 717
Ad ſtatuam B. Virginis curantur inſani. 290
Laborant Angeli, ut templa B. V. meliore loco ponantur. 201
Mens dura nec miraculo convertitur. 751
Imagines B. V. ſpretæ vel neglectæ, aptiores ſunt miraculis, quàm pretioſæ. 146
Aquæ miraculoſæ impunè non ſpernuntur. 724
Impijs difficulter probantur miracula. 721
Evigilans è ſomno, peccata ſua ſcripta in manu reperit. 972
Concionator dicit ſe ope B. V. ſuſcitatum à mortis 334
Deſignat columba ramentis poſitis, perfecto circulo templum B. V. ponendum. 708
Bonis non probatur, qui Superos ad ſuperflua miracula cogit. 367
Curioſa manus in exploranda pictura, ab ipſa B. V. facta, unà cum brachio exareſcit in pœnam temeritatis. 236
Multæ B. V. imagines intereunt ſine miraculis, quia ſine cultu negliguntur. 137
Crux ſigillum B. V. in lapide miraculoſo beneficio expreſſum. 144
Princeps vovet ex ædibus ſuis templum, convaleſcit. 322
Dives pius & liberalis, non multùm abeſt à miraculo. 413
Illa miracula impijs grata non ſunt, per quæ illorum divitiæ minuuntur. 12
Singularia beneficia in templis deſertis obtinentur. 204
Triginta millia aureorum brevi tempore propter accepta beneficia oblata. 402
Energumeni intra quadraginta dies in domo ad id paratâ liberantur. 753
Equis plurimis ſanitas reſtituta, primum eſt miraculum. 1005
Antiquæ picturæ non delendæ, muri non deſtruendi, non multum renovanda templa, ne miracula ceſſent. 760
Mutationem loci probant ſequentia miracula. 292
Donatæ à Sanctis imagines, patrant miracula. 867
Statua novies in templum portata, novies ab Angelis in montem reportatur. 329
Centum quinquaginta ſanguiſugæ vomitu ejectæ. 743
Miracula augentur, ſi ex oblationibus fiant hoſpitalia & congregationes peregrinorum & ægrorum. 176
E muro lapis miraculosè & repentè exporrigitur, ut ex eo ſuſpendatur, qui vulneravit ſtatuam B. Virginis. 654
Luſores faciunt miracula, ferè quoties volunt. 744
Miraculoſæ curæ novendiali devotione acquiruntur. 884
Penè in noſtra poteſtate eſt facere imagines B. V. miraculoſas. 885
Statua B. Virginis ſub dio nunquam nivibus operitur. 184
Statuæ B. Virginis miraculoſæ non ſe permittunt tangi ab omnibus temerè 157
Hiatus ſeu vulnus muri, in quo picta B. Virginis imago miris, ſed veris modis paulatim ſolidiſſimè coaleſcit. 309
Imagines B. V. miraculoſæ initio eos Eccleſiaſticos Patronos inveniunt, qui lucrũ inde habent, eos adverſarios, qui damnum timent. 795
Imago ſemel faciens miraculum, ſæpius facit, ſi exponatur publico. 758
Imago nondum viſa, jam patravit miracula. 467
B. V. ubi ſevera eſt, quod non ſolet, ibi benigna eſt, quod ſolet. 912
Globus tormenti curulis innoxius. 904
Quadraginta mortui ſuſcitati ope B. Virginis. 541
Lignum incarnatum Damaſci. 846
Cujuſvis miraculi reverentia tangit pios. 901
Templo emitur à B. V. immunitas miraculoſa à peſte. 134
Quomodo fiat ſtatua B. V. miraculoſa. 952
Bombice tangitur S. Imago, & intingitur in oleo, & tangitur oculus cæcus. 1162
Aquæ miraculoſa reverentia erga imaginem B. V. 117
Tres fontes S Pauli miraculoſi. 328
Tilia jam arida, poſt ſæculum iterum revireſcit. 1023
Diverſarum ægritudinum ſanatio, certa miraculi probatio. 117
Imago B. V. in quamcunque domum importata unum, ſed unum ſolùm ſanavit. 698

Etiam bruta gratias partiuntur cum hominibus, quando ijs æquè ac hominibus fontes miraculoſi proſunt. 195
Apparitiones & ſomnia fidem etiam in contumacibus jure poſcunt, quando ſequentibus ſignis confirmantur. 204
Quibus cordi eſt antiqua monumenta diruera, ut novis architecturæ artibus cedant, ij miraculis viam obſtruunt. 1022, 395
Virgines imaginis ſacræ molem trahunt, quam operarij fortes non potuêre. 309
Incœptam templi fabricam ceſſanti tibus pecunijs diu fortè ſtaturamB. V. miraculis promovet. 186
Architectura inimica miraculis & econtrà 1044
Ampliato templo, multiplicantur miracula. 402
Artem nendi arte Phrygiâ deſiderat monialis, & à B. Virgine obtinet. 190
Imago Deiparæ quamdiu aulæ vicina, tamdiu miraculoſa, aulâ amota, miraculoſa eſſe deſinit. 126
Deiparæ verba duobus & grandibus miraculis confirmara, tandem apud avaros inveniunt fidem. 134
Tela in hoſtem regrediuntur cum damno. 954
Blaſphema mulier utrumque pedem miraculo amittit. 216
Miraculoſam crede imaginem, ad quam vides pendere anathemata pretioſa, quia nemo gratis quidquam dat etiam Superis. 200
Campanæ ſpontaneo ſono furis fugam produnt. 229
Equi veſtigium miraculosè relictum in teſtimonium miraculi. 205
B. V. dat fortitudinem equis. 125
Ex patre Tirannum facit furor, ex Tiranno patrem facit miraculum. 740
Petentibus robur viréſque, miraculosè reſtituuntur. 452
Fons ſub ſtatua exortus ſalubris. 264
Meretur in aquas abijci ad experimentum, qui negat miraculum eſſe, quod ſeptennis puer raptus à Tiberi, redierit ad littus incolumis. 146
Filo B. V. templum deſignat, filo relicto. 717
A Sinenſi Ethnico honorata imago, dat ei prolem maſculam. 807
Vehementer diſplicet B. V. quando faſtidioſâ probatione cogitur ad miracula 827
Mauri pyratæ, nec templi B. V. nec monaſterij portam unquam potuerunt reperire. 826
Majus miraculum eſt, quando ſine miraculo captivus apud Turcas liberatur. 815
B. V. ſtatua migrat aliò, quando alicubi neceſſitas publica urget, iterúmque redit. 281
Fons miraculorum, qui fluxit in templis vetuſtis, exareſcit in novis. 395
Multa juſtè cenſentur inter miranda, quæ tamen pro miraculis non habentur. 18
Turca unà cum equo lapideſcit. 710
Miraculum quodcunq; bis magnum eſt, quando lucroſum eſt, nam ſic etiã apud malos eſt in pretio. 242
Infans vigeſimo ætatis die, dicit *Ave Maria*. 234
Miraculum niſi pro teſtibus afferat alia miracula, & quidem plura non adſcribitur à quibuſdam inter legitima. 250
Ad loci ſanctitatem facit, quando B. V. ægrum è longinquo vocat, ut ſanet. 203
Meritò accurritur ad primum miraculum, quia primæ gratiæ majores ſunt & certiores. 143
Umbra ſuſpenſi hominis, & jam ante centum & amplius annos ſepulti, ad ſolem meridianũ apparet. 173
Lapis creſcit inter manus operariorum 1068
Apud crudos judices unum miraculum ſeipſum probare debet per aliud. 250
Fætor peſte infectorum, in templo B. V. innoxius. 174
Terra motu non uſitato, ſignificat ſibi tyrannidem ingratam 136
Motu capitis & voce monitoria, ſtatua Deiparæ ſignificat tyrannidem ſibi ingratam. 136
Puer quarta vice mortuus. 67
Prodeſt ad honorem B. V. miracula, dum reverenter durant, multis oſtendere, ut probari contumacibus poſſint. 202
Multa Deus facit miracula, quæ prudentes hujus ſæculi adſcribunt naturæ. 276
Quercus tota miraculoſa. 1019
Fragmenta querna miraculoſa. 1019
Pœnâ gravi punitur, miracula petens ſine neceſſitate. 1015
Mira cædes Feſto SSS. Trinitatis, in templo Tunchinenſi. 912
